UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

urn:nbn:de:hbz:466:1-67406

Visual Library

Fk. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS

HISTORIA ECCLESIASTICA

A

R. P. ALEXANDRO

A S. JOANNE DE CRUCE DEFINITORE PROVINCIALI
EX PROVINCIA BAVARICA CARMELITARUM
DISCALCEATORUM, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE.

CONTINUATIONIS
TOMUS
TRIGESIMUS SEXTUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS LX.

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
IMPENSIS OFFICINÆ LIBRARIÆ JOSEPHI WOLFF.
MDCCLXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CXCIX.

§. 1. *Pax Pragenſis inter Ferdinandum II. Imperatorem, & Joannem Georgium Saxoniæ Electorem.* Pag. 1.

§. 2. *Theologorum Viennenſium conſultatio circa hujus Pacis æquitatem juſſu Cæſaris habita.* 5

§. 3. *Præcipui hujus Pacis articuli.* 8

§. 4. *Belli Gallici initium contra Cæſarem.* 11

§. 5. *Urbs Auguſtana a Cæſareo - Bavaris arcte cincta.* 15

§. 6. *Compoſitionis articuli ab Auguſtanæ Urbis Delegatis Gallaſo Comiti propoſiti.* 18

§. 7. *Dedendæ Urbis conditiones a Cæſare Auguſtanis præſcriptæ.* 25

§. 8. *Variæ Urbes a Cæſareis recuperatæ, mutuæque clades.* 35

§. 9. *Schaffgotius & Gratzius capite plexi.* 37

§. 10. *Gallica expeditio adverſus Hiſpanos.* 39

§. 11. *Nova contentio Reipublicæ Venetæ cum ſummo Pontifice.* 45

§. 12. *Academia Gallica Pariſiis erecta.* 49

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 13. *Varii libelli a facultate Parisiensi Theologica censuris notati.* 51
§. 14. *Proscriptio cujusdam Catechismi a facultate Parisiensi facta.* 53
§. 15. *Christophori Bessoldi reditus ad fidem Catholicam,* 54
§. 16. *Conspiratio contra summum Pontificem Romæ detecta.* 57
§. 17. *Cardinalium, Principum atque illustrium obitus.* 58
§. 18. *Quædam Sacrarum Congregationum decisiones.* 61
§. 19. *Scriptorum Religione Catholicorum obitus.* 64
§. 20. *Quidam Scriptores ex Protestantibus hoc anno defuncti.* 68
§. 21. *Bellum inter Saxones & Suecos continuatum.* 76
§. 22. *Varia belli fortuna in Hassia & Westphalia.* 78
§. 23. *Judicium de belli Gallici adversus Cæsarem justitia.* 80
§. 24. *Gallorum expeditio in Alsatia.* 84
§. 25. *Cæsarei atque Hispani in Gallias cum exercitu effusi.* 86
§. 26. *Leodiensium turbæ.* 88
§. 27. *Bellum in Italia inter Hispano-Cæsareos & Gallos.* 90
§. 28. *Concordiæ pacta inter Ferdinandum Cæsarem & Turcarum Imperatorem.* 95
§. 29. *Ragotsii Transylvaniæ Principis bellum contra Bethlenium.* 96
§. 30. *Ferdinandus III. in Cæsarem Ratisbonæ renuntiatus.* 98
§. 31. *Malevolorum cavillationes contra hanc Ferdinandi electionem.* 103

§. 32.

§. 32. *Fanatici cujusdam Reformatoris rebellio, & supplicium.* 104
§. 33. *Alius fanaticus Impostor in Borussia capitali sententia damnatus.* 108
§. 34. *Tiberii Muti Cardinalis obitus.* 110
§. 35. *Franciscus a Dietrichstein Cardinalis vita functus.* 111
§. 36. *Principum atque Illustrium decessus.* 113
§. 37. *Angliæ Regina in fidei odium a Puritanis vexata.* 115
§. 38. *Caroli I. Regis Angliæ edictum de nova Liturgia in Scotiæ Regno recipienda.* 117
§. 39. *Populi tumultus in Scotia ob novam Liturgiam.* 124
§. 40. *Variæ Sacrarum Congregationum Constitutiones.* 126
§. 41. *Fridericus Hassiæ Landgravius ad fidem Catholicam reversus.* 127
§. 42. *Scriptorum Religione Catholicorum Obitus.* 129
§. 43. *Scriptores Acatholici hoc Anno defuncti.* 131
§. 44. *Supplicium Jacobi Centini & cæterorum in Pontificis vitam conjurantium.* 132
§. 45. *Ferdinandus II. Imperator vita functus.* 141
§. 46. *Sueci in Pomeraniam repulsi.* 145
§. 47. *Prospera Joannis de Werth expeditio ad Rhenum contra Gallos, Suecosque.* 149
§. 48. *Gallorum, Batavorumque gesta bellica contra Hispanos.* 152
§. 49. *Novæ Leodiensium Turbæ.* 155
§. 50. *Tumultus inter Trevirensem Clerum & populum.* 157
§. 51. *Franciscus Cupisus ob apostasiam e Sorbona ejectus.* 159

§. 52. *Facultatis Theologicæ Parisiensis censura in libros Theophili Milleterii.* 163

§. 53. *Alenconiense Calvinistarum Conciliabulum.* 174

§. 54. *Moysis Amyraldi Calvinistæ controversia cum Friderico Spanheimio, aliisque circa gratiam Universalem.* 179

§. 55. *Continuata Puritanorum rebellio in Scotia ob novam Liturgiam.* 185

§. 56. *Scotorum jurata Anglicani ritus detestatio.* 191

§. 57. *Petrus Pasmanus Cardinalis mortuus.*

§. 58. *Laudivii Zacchiæ Cardinalis Obitus.* 199

§. 59. *Lutheranorum turbæ contra Catholicos in Comitiis Possonienſibus.* 200

§. 60. *Variæ Urbani VIII. Pontificis & S. Congregationum Constitutiones.* 203

§. 61. *Principum atque Illustrium obitus.* 204

§. 62. *Quorumdam Scriptorum Catholicorum decessus.* 206

§. 63. *Quidam Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.* 210

§. 64. *Cæsareo - Saxones ob inediam ex Pomerania excedere coacti.* 212

§. 65. *Fausta Vinarienſis Ducis expeditio contra Cæsareos.* 215

§. 66. *Galli & Hollandi ab Hispanis cæsi.* 220

§. 67. *Palatini Principes a Cæsareis profligati.* 222

§. 68. *Franciæ Delphinus hoc anno natus.* 227

§. 69. *Cosaccorum seditio.* 230

§. 70. *Turcarum motus contra Venetos & Persas.* 234

§. 71.

§. 71. *Nicolai Drabizii Moravi Prædicantis deliria.* 239

§. 72. *Cyrilli Lucaris Patriarchæ Corſtantinopolitani ſupplicium, necnon Synodus contra ejus errores celebrata.* 248

§. 73. *Continuati Puritanorum tumultus in Scotia.* 251

§. 74. *Glaſcuana Synodus a Puritanis habita.* 257

§. 75. *Antonii Zapatæ Cardinalis obitus.* 264

§. 76. *Hyppoliti Aldobrandini Cardinalis mors.* 265

§. 77. *Lælius Biſcia Cardinalis mortuus.* 266

§. 78. *Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi vita, & obitus.* 266

§. 79. *Janſenii opera typis edita.* 271

§. 80. *Diverſæ Urbani VIII. Pontificis conſtitutiones.* 279

§. 81. *Variæ S. Congregationum deciſiones.* 280

§. 82. *Propoſitiones ex libro Claudii Seguenoti decerptæ, atque a facultate Pariſina damnatæ.* 281

§. 83. *Facultatis Theologicæ judicium circa Theſes & epiſtolam nuncupatoriam Patris Joannis Fabri.* 287

§. 84. *Scriptorum Religione Catholicorum obitus.* 289

§. 85. *Patris Joſephi Capuccini obitus.* 291

§. 86. *Scriptores Acatholici hoc anno denati.* 294

§. 87. *Principum atque Illuſtrium obitus.* 297

§. 88. *Pacis negotiationes variis artibus eluſæ.* 298

§. 89. *Vinarienſis Dux in Burgundiam irrumpens.* 302
§. 90. *Bernardus Vinarienſis Dux mortuus.* 304
§. 91. *Carolus Ludovicus Comes Palatinus a Gallis captus.* 307
§. 92. *Suecorum res in Imperio.* 311
§. 93. *Belli Continuatio inter Hiſpanos, & Gallos.* 313
§. 94. *Novum bellum in Sabaudia.* 314
§. 95. *Variæ moleſtiæ ſummo Pontifici cauſſatæ.* 316
§. 96. *Propoſitiones ex Summa P. Stephani Bauni extractæ, atque a Facultate Pariſina damnatæ.* 320
§. 97. *Continuata Scotorum rebellio contra Carolum I. Regem ſuum,* 327
§. 98. *Comitiorum Generalium Edini celebratorum acta.* 330
§. 99. *Judicialis Inquiſitio in ſcripta Joannis de Verger San-Cyrani Abbatis Pariſiis facta.* 335
§. 100. *S. Vincentii teſtimonium in cauſſa Abbatis San-Cyrani.* 341
§. 101. *Fabritii Veroſpii Cardinalis obitus.* 350
§. 102. *Dominici Ginneſii Cardinalis mors.* 351
§. 103. *Beringarius Gypſius Cardinalis mortuus.* 353
§. 104. *Deſiderii de Scalia Cardinalis deceſſus.* 354
§. 105. *Auguſtini Galaminii Cardinalis extrema.* 355
§. 106. *Ludovicus de Nagarets de la Valeta Cardinalis vita functus.* 356

§. 107.

§. 107. *Arnaldiſtæ ex Abbatia Portus Regii in Campis ejecti.* 357

§. 108. *Collectio tractatuum de libertatibns Eccleſiæ Gallicanæ a Regio Senatu proſcripta.* 361

§. 109. *Scriptores Religione Catholici hoc anno denati.* 364

§. 110. *Ex Proteſtantibus Scriptores nonnulli mortui.* 366

§. 111. *Namurcenſis Diœceſanæ Synodi acta.* 367

§. 112. *Quorumdam Principum & Illuſtrium obitus.* 369

§. 113. *Sueci per Leopoldum Auſtriæ Archiducem ex Bohemia ejecti.* 369

§. 114. *Cæſareo-Bavari adverſus Gallos, & Vinarienſes vario Marte pugnantes.* 371

§. 115. *Gallici exercitus geſta in Italia & Belgio contra Hiſpanos.* 373

§. 116. *Comitia Imperii Ratisbonæ celebrata.* 375

§. 117. *Siniſter horum comitiorum ſucceſſus.* 378

§. 118. *Turbæ in Galliis ob editionem libri, cui titulus: Optatus Gallus, exortæ.* 380

§. 119. *Quædam propoſitiones a Sacra Facultate Theologica Pariſiis notatæ.* 384

§. 120. *Catalonorum rebellio ac defectio.* 399

§. 121. *Luſitani Hiſpani Imperii jugum excutientes.* 403

§. 122. *Caroli Regis rationes pro æquitate belli contra Scotos rebelles denuntiati.* 409

§. 123. *Senatus, seu Parlamentum a Carolo Rege in Anglia habitum.* 412

§. 124. *Ipsimet Angli vario sub obtentu Regi suo infensi.* 417

§. 125. *Regis exercitus a rebellibus Scotis profligatus.* 419

§. 126. *Carolus Rex Parlamentum convocare compulsus.* 422

§. 127. *Anglorum Scotorumque violentiæ contra Carolum Regem suum.* 425

§. 128. *Lusitani omnesque Europæi a Japonia in perpetuum exclusi.* 427

§. 129. *Josuæ Placæi hæresis de peccato originali.* 433

§. 130. *Principum, aliorumque Illustrium obitus.* 437

§. 131. *Variæ Urbani VIII. Pontificis Maximi Constitutiones.* 439

§. 132. *Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.* 440

§. 133. *Pretiosa mors S. Petri Forerii.* 441

§. 134. *Scriptores Ecclesiastici hoc anno defuncti.* 445

§. 135. *Protestantium Scriptorum obitus.* 448

§. 136. *Synodi Audomarensis statuta.* 459

LIBER CC.

§. 1. *Palatinatus Superior a Bannerio devastatus.* 451

§. 2. *Variæ Suecorum clades in Saxonia.* 453

§. 3.

§. 3. *Fœdus Gallos inter & Suecos firmatum.* 455
§. 4. *Domeſticæ in Galliis turbæ.* 459
§. 5. *Caroli Lotharingiæ Ducis fata circa ſui matrimonii valorem.* 462
§. 6. *Pater Cellotius librum ſuum de* Hierarchia *retractare compulſus.* 472
§. 7. *Ratisbonenſium comitiorum ſucceſſus.* 488
§. 8. *Horrendæ Anglici Senatus vexationes contra Regem & Epiſcopos.* 495
§. 9. *Plures Regi addicti ab Inferiore Curia ſupplicüs affecti.* 498
§. 10. *Puritanorum immanitas contra Catholicos.* 503
§. 11. *Anglorum vexatio contra Roſſetum Sedis Apoſtolicæ Nuntium.* 507
§. 12. *Anglorum & Scotorum Præconum Epiſtola ad Franciæ, Belgii, & Helvetiæ Calviniſtas.* 508
§. 13. *Scotorum rebellium animadverſiones in librum Liturgiæ.* 523
§. 14. *Anglorum, Scotorumque Præconum Judicium de novo Canonum Libro.* 551
§. 15. *Inſidiæ novo Luſitaniæ Regi ſtructæ.* 564
§. 16. *Galliarum Regis victoriæ contra Hiſpanos,* 568
§. 17. *Belli inter Urbanum VIII. Papam, & Ducem Parmenſem exorti initia.* 569
§. 18. *Motus contra Janſenii libri editionem Romæ excitati.* 576

§. 19.

§. 19. *Urbani VIII. Papæ Conſtitutio contra Janſenii librum, aliaque ſcripta.* 578

§. 20. *Petri Aurelii liber a Clero Gallicano imprimi juſſus.* 590

§. 21. *Felix Centinus Cardinalis mortuus.* 591

§. 22. *Caroli Emanuelis Pii Cardinalis obitus.* 592

§. 23. *Joannis Franciſci Comitis de Guidiis Cardinalis mors.* 593

§. 24. *Ferdinandi Auſtriaci Hiſpaniæ Infantis Cardinalis extrema.* 594

§. 25. *Antonii Sanctacrucii Cardinalis deceſſus.* 596

§. 26. *Franciſci Boncompagni Cardinalis fata.* 597

§. 27. *Duodecim Cardinales ab Urbano Pontifice Purpura decorati.* 599

§. 28. *Principum, atque illuſtrium obitus.* 600

§. 29. *Quædam Urbani VIII. Pontificis Conſtitutiones.* 601

§. 30. *Varia Sacrarum Congregationum decreta.* 602

§. 31. *Synodi Diœceſanæ Culmenſis decreta.* 605

§. 32. *Scriptores Catholici hoc anno defuncti.* 606

§. 33. *Scriptorum Acatholicorum obitus & operâ.* 608

§. 34. *Cæſarei in Weſtphalia ab Haſſis, Sueciſque profligati.* 610

§. 35.

§. 35. *Varii pacis tractatus suo successu frustrati.* 613

§. 36. *Silesia & Moravia a Torstensonio Suecorum Duce subacta.* 616

§. 37. *Cæsareorum clades apud Lipsiam.* 618

§. 38. *Gallorum Res in Catalonia & Belgio.* 620

§. 39. *Cimmartius Marchio & Thuanus capite plexi.* 622

§. 40. *Armandi Richelii Cardinalis obitus.* 627

§. 41. *Armandi Richelii Cardinalis Testamentum Christianum.* 631

§. 42. *Ejusdem Cardinalis Testamentum Politicum.* 636

§. 43. *Aloysii Cajetani Cardinalis mors.* 643

§. 44. *Cosmus de Torres Cardinalis mortuus.* 643

§. 45. *Petri Mariæ Burghesii Cardinalis decessus.* 644

§. 46. *Joannis Doria Cardinalis fata.* 645

§. 47. *Novi tumultus in Anglia, vicinisque Regnis contra Carolum I. Regem, ejusque fautores concitati.* 646

§. 48. *Carolus I. Angliæ Rex Londino excedere, a rebellibus subditis suis compulsus.* 649

§. 49. *Angli Carolo Regi suo bellum palam denuntiantes.* 653

§. 50.

§. 50. *Fruſtranea Caroli Regis ſollicitudo pro concilianda pace.* 661

§. 51. *Conſilium Conſtantinopolitanum adverſus Calvinianam fidei confeſſionem a Cyrillo Lucare editam.* 669

§. 52. *Joannis Biarotte Ord. FF. Prædicatorum contentio cum Pariſina Facultate Theologica.* 672

§. 53. *Diverſæ Urbani VIII. Papæ Conſtitutiones.* 674

§. 54. *Variæ SS. Congregationum deciſiones.* 677

§. 55. *Principum ac illuſtrium obitus.* 679

§. 56. *Scriptores Eccleſiaſtici religione Catholici hoc anno mortui, eorumque opera.* 680

§. 57. *Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.* 684

§. 58. *Fervens Cæſaris erga pacem ſtudium.* 687

§. 59. *Prævii pacis pertractandæ articuli.* 688

§. 60. *Gallo-Vinarienſes a Cæſareis multiplici clade proſtrati.* 693

§. 61. *Iterata Vinarienſium clades.* 697

§. 62. *Hiſpani a Gallis profligati.* 698

§. 63. *Ragotſius cum Valachis Cæſari bellum inferens.* 700

§. 64.

§. 64. *Lovanienſis Univerſitatis Doctores in Janſenianæ doctrinæ cauſſa Romam deputati.* 702

§. 65. *Tumultus in Galliis exorti ob Urbani VIII. Bullam.* 706

§. 66. *Quidam Abbatis San-Cyrani liber a Pariſienſi Archiepiſcopo proſcriptus.* 710

§. 67. *Antonii Arnaldi liber de frequenti communione.* 712

§. 68. *Alia Facultatis Acta.* 719

§. 69. *Initia Congregationis Eudiſtarum, & Filiarum Charitatis.* 720

§. 70. *Prima Bollandiſtarum opera.* 722

§. 71. *Anceps Caroli I. Angliæ Regis bellum contra rebelles ſubditos ſuos.* 723

§. 72. *Scoti rebelles a Parlamenti Senatoribus contra Regem ſuum in Angliam evocati.* 727

§. 73. *Briſtollium a Regiis expugnatum.* 729

§. 74. *Ludovici XIII. Franciæ Regis obitus.* 732

§. 75. *Decreta Synodi Tornacenſis, & Antverpienſis.* 733

§. 76. *Petri Camporei & Octaviani Raggii Cardinalium obitus.* 733

§. 77. *Quindecim Cardinales ab Urbano VIII. creati.* 738

§. 78.

§. 78. *Alii duo Cardinales ab eodem Pontifice Purpura decorati.* 739

§. 79. *Diversæ ejusdem Pontificis Constitutiones.* 740

§. 80. *Variæ SS. Congregationum decisiones.* 741

§. 81. *Joannis Vergeri San-Cyrani Abbatis obitus, ejusque opera.* 743

§. 82. *Scriptores Ecclesiastici hoc anno denati.* 747

§. 83. *Ex Protestantibus Scriptores quidam hoc anno fatis functi.* 753

HISTO-



Lusitanorum defectio ab Hispanis.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

LIBER CXCIX.

URBAN. VIII. PONTIF. MAXIMUS.
FERDIN. II. & III. OCCID. IMP.

§. I.

Pax Pragensis inter Ferdinandum II. Imperatorem & Joannem Georgium Saxoniæ Electorem.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Infaustus Nordlingensis prælii successus tantopere Germaniæ Protestantes, Suecosque animo dejecerat, ut

Jæger. Hist. Eccl. l 5. c. 1. Brachel. Hist. lib. 5.

Sæc. XVII. A. C. 1635

Annal. Boic. part. 3. l. 20. Londorp. Acta publ. l. 10. c. 29. p. 1426.

in Wormatienſi Conventu varia voluerent conſilia, quibus lapſas fœderatorum res reſtituere poſſent; præcipue tamen eorum cura eo abibat, ut Joannem Georgium Saxoniæ Electorem, quem Cæſari nimis propenſum ſuſpicabantur, a ſeparata pacis negotiatione averterent. Hanc in rem non modo literas, ſed ipſum etiam Oxenſtirnium ad eundem decernebant: Verum Elector belli pertæſus, ac ſui neglectu offenſus, armorum ſocietatem, cujus ipſe primus Author erat, prior quoque diſſolvere, pacemque cum Cæſare inire ſtatuit, acriter impellente Mathia Hoco Lutherano Præcone, Viro fidem ac ſectæ ſuæ cauſſam cuicunque plus offerenti venalem exponere parato, qui etiam quatuor Philippicorum, & decem regalium millia in procuratæ pacis mercedem accepiſſe fertur. Præterea Electorem ſollicitabat Philippus IV. Hiſpaniæ Rex, Dresdam miſſo Paradiſio Comite; pariter Ferdinandus III. Hungariæ Rex datis literis Saxoni ſignificabat, quod plena agendi facultate inſtructus, Patris ſui nomine honeſtas pacis conditiones offerre paratus eſſet, jamque Leitomeritium Legatos ſuos Trautmansdorffium Comitem, Queſtenbergium, & Ghebardum Doctorem deſtinaſſet, proin Elector ſuos quoque Ora-

Oratores eo decerneret. Annuit Saxo, atque urgente Georgio Haſſiæ Landgravio, qui ſe nunquam Auſtriacas partes deſerturum, moribundo Patri ſuo pollicebatur, ibidem die decima Martii anni prioris inducias ſanxit: Poſtquam vero Joannes Bannerus Suecici exercitus Dux Bohemiam infeſtare moliebatur, Legati Leitomeritio Pirnam conceſſere, ubi ſerio de ipſa pace actum eſt. Vertebatur totius difficultatis cardo circa Cæſareum reſtitutionis edictum, ejusque executionem: jam enim occupata Eccleſiaſticorum bona retinendi ſpes, in Proteſtantibus Religionis, belli, pacisque moderatrix evaſerat: Igitur explorata Saxonum cupiditate, Cæſaris Legati, cum pacem Sacrorum ſpoliis de fœderatis eſſe mercandam cognoviſſent, Electori pollicebantur, Cæſaris edictum in Saxonia nequaquam effectui dandum fore, in ceteris quoque Proteſtantium Principum ditionibus illius executionem eſſe differendam: Minus arridebat hæc pollicitatio illis, qui bonorum Eccleſiaſticorum uſurpationem reſciſſo penitus reſtitutionis edicto ſibi perpetuo jure aſſertam volebant: Multis in hanc rem ultro citroque agitatis conventum eſt, ut utriusque partis Oratores Pragam contenderent, ultimam manum pacis negotio adhibituri: Obſtiterat

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

stiterat vehementer Rothæus Franciæ Legatus, qui Protestantibus validas pecuniarum, militumque suppetias Regis sui nomine pollicebatur; ipse etiam Bannerus datis ad Saxoniæ Electorem literis haud dissimulanter pacis consilia vellicabat, sibi significari postulans, quid tandem subsidii Suecia a Saxone sperare posset? Insuper Christina Sueciæ Regina eundem Electorem, quod ea inscia ac inconsulta Pragæ pacem iniisset, objurgabat, datis die secunda Decembris Holmiæ literis. Nihilominus superatis hisce quoque obstaculis paucos intra dies pax die vigesima bona Maji composita, atque Viennæ a Cæsare confirmata est, cui etiam Saxoniæ & Brandeburgi Electores, Guilielmus Vinariensis, Georgius Luneburgicus & Anhaltinus, omnesque Principes, & Saxoniæ inferioris Ordines, qui hac pace res suas habuerunt integras, subscripsere, adeo, ut Suecis duntaxat Guilielmus Hassiæ & Bernardus Vinariæ Duces juncti remanerent: Norimbergenses quoque & Memmingani, Erfurtenses, Ulmenses, & Francofordiani dimisso Suecorum præsidio in Cæsaris gratiam rediere, bonaque Ecclesiastica post annum 1627. ablata Catholicis restituerunt, Hungariæ Regis potentiam veriti, qui cum valido exercitu

citu ex Hungaria in Imperium, sanSæc. XVII.
citæ pacis articulos executurus, pene- A. C. 1635.
traverat.

§. II.

Theologorum Viennensium consultatio circa hujus pacis æquitatem jussu Cæsaris habita.

Priusquam vero Ferdinandus II. Im- *Khevenh. Annal. Ferd. tom. 12. Caramuel Pac. lic. demonstr. p. 39.*
perator hujus pacis negotio postremam adhiberet manum, ut suæ conscientiæ securitati consuleret, nec temere in Ecclesiæ præjudicium, propositos pacis articulos, *ipsa pace Religionis* duriores, approbasse argueretur, hoc dubium, *an tuta conscientia Pragensis pacis articuli admitti valeant*? mature discuti jussit, Ergo viginti octo Theologos, Viros lectissimos, quibus pietate & doctrina clariores, magisque exercitatos universa Austria non habuit, Viennam convocabat, hos inter magis conspicui erant duo FF. Prædicatores, Valdespina, & Farrarius; ex Capuccinis P. Didacus de Quiroga, Mariæ Imperatricis Confessarius, Valerianus Magnus, & Basilius de Aerea: Vocabantur etiam in consilium, præter alios quinque Jesuitas, P. Lammormannus Ferdinandi II. Cæsaris Confessarius, necnon Universitatis Viennensis Rector

Sæc. XVII. A. C. 1635. Magnificus, atque ex Carmelitis Discalceatis P. Alexander a Jesu Maria, Ex-Provincialis, & P. Stephanus, Theologiæ Professor, ambo pietate, scientia, librisque asceticis & Scholasticis, quos ediderunt, nominatissimi. His duo Francisçani Conventuales ex monasterio Sanctæ Crucis, unus Augustinianus, necnon Ecclesiæ S. Michaelis Præpositus, aliique accesserunt. Congregatis igitur his omnibus diu propositæ utrinque rationes ponderabantur, atque ex Consultoribus nonnulli hanc pacis negotiationem improbabant, eoquod Saxoniæ Electori, eique fœdere junctis Protestantibus ad quadraginta annos Ecclesiasticorum redituum usus, necnon tres Magdeburgenses Dynastiæ, ejusque Filio Magdeburgensis Archiepiscopatus permitteretur: Præ ceteris P. Quiroga demonstrare nitebatur, quod Cæsar non modo *possit*, sed & Religione *obstrictus* esset, hanc pacem ratam habere, cunctaque concedere, sine quibus Saxones pacem admittere recusarent: aliis tamen reponentibus, quod minus necessarium esset, inquirere, an Cæsar pacem hanc admittere *teneatur*, sed utrum salva Religione in articulos cunctos a Saxone propositos consentire *valeat?* id Cæsarem posse spectata necessitate extrema, affirmabant Consultorum

Sæc. XVII. A. C. 1635.

rum potiſſimi, quibus etiam acceſſit P. Pennaloſa Jeſuita, reliqui vero quinque Socii, nec inter ſe, nec cum ceteris Theologis conveniebant, variis inſiſtentes principiis; probe enim perſpectum habebant, (ut ait Caramuel) quod, cum *ipſi fuerint Regum, Principumque Confeſſarii, aut pœnitentibus ſuis abſolutionem negare (quod tamen facere haud ſolent) aut ſententiam, quam diſſuaderent, probabilem judicare tenerentur.* Cum autem ſexdecim omnino ex Theologis cenſerent, quod Cæſar hanc pacem cum Saxonibus inire valeat, hinc illorum conſultatio exacte conſcripta ad Cæſareum Senatum deferebatur, ubi etiam Cardinalis Pasmannus Strigonienſis Archiepiſcopus, Cæſarem hos articulos firmare, *obſtrictum* eſſe, pronuntiabat, ſuamque ſententiam edito tractatu, qui in Cancellaria Cæſarea aſſervatur, comprobare, oppoſitasque rationes refellere nitebatur, ſimulque Patri Quirogæ manifeſtabat, quod jam antea mentem ſuam circa immunitatem Eccleſiaſticam Urbano VIII. Pontifici aperuerit, eidemque haud diſſimulanter declararit, *duo eſſe privilegiorum genera in Eccleſia, nimirum, aliqua eſſe conceſſa a Chriſto, alia a Regibus, illa humanitus auferi non poſſe, hæc vero poſſe, ſi neceſſitas publica poſtulet, nec civilis aliter*

Sæc. XVII. A. C. 1635

possit obtineri tranquillitas. Rebus igitur in Senatu diu matureque agitata prævaluit sententia illorum, qui Cæsarem ad hanc pacem obstrictum censuere.

§. III.

Præcipui hujus Pacis articuli.

Priorat. Guald. Hist. Ferd. II. Bougeant Hist. Bell. tricen. part. 1. l. 3. §. 65. Pufendorf rer. Suec. lib. 4.

Ad firmandam hanc pacem Saxoniæ Elector, ceterique Principes Acatholici præcipue movebantur, eoquod Protestantium rebus per Nordlinganam cladem collapsis, Cæsaris vero auctis, exiguam Ecclesiasticorum bona retinendi vel augendi spem haberent reliquam; Sueci autem Proceres privatis duntaxat commodis suis intenti, communem Protestantium caussam negligere viderentur, ac pro suo arbitratu per Germaniam dominantes, ad Imperii excidium Gallos, Batavos, aliosque exteros Principes bello involvere satagerent. Genuina tamen properæ hujus pacis caussa in Electore Saxonico haud alia erat, quam sacri spolii conservatio sibi promissa, qua pro se potitus, haud ultra Augustanis, aliisque Protestantibus, quos paulo ante contra restitutionis, reformationisque edictum calamo & gladio tam ardenter tuebatur, patrocinium suum impendit: Erant autem inter pacis conditiones præcipue Reli-

Religionem ſpectantes potiſſimum hæ. I. Bona Eccleſiaſtica immediata ante Paſſavienſem pacem erepta, necnon mediata ante & poſt hanc pacem a Proteſtantibus occupata, quotquot eorum anno 1627. die duodecima Novembris ab eis erant poſſeſſa, Proteſtantes ad annos quadraginta quiete retineant, & a præfato temporis ſpatio eis per Catholicos erepta reſtituantur, niſi de iis antea lis apud Cæſaris tribunal mota fuerit. II. Viciſſim Catholici eo tempore poſſeſſa retineant, & poſtmodum ablata eis reddantur. III. Status Politicus in iisdem bonis, item Electiones, Poſtulationes, Menſes Papales, exercitium Religionis inter Catholicos & Proteſtantes etiam in Archiepiſcopatu Bremenſi, uti præfato tempore utrinque ſervabatur, relinquantur. IV. Durante hoc ſpatio quadraginta annorum, intra primum decennium agatur de perpetua pace, quæ ſi obtineri nequit, tota controverſia maneat, uti præfato tempore fuit, ſalva ſemper Cæſaris auctoritate controverſiam illam moderandi. V. Electoris Filius Archiepiſcopatum Magdeburgenſem poſſideat, Brandeburgico autem Marchioni, dum vivit, quotannis inde duodecim Imperialium millia perſolvat. VI. Saxoniæ Elector utramque Luſatiam a Cæſare, & Querfur-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

tum, Gutterbockium, Damam & Borckium a Magdeburgenſi Archiepiſcopo jure feudi, Halberſtadienſem vero Epiſcopatum Leopoldus Guilielmus Cæſaris Filius obtineat. VII. Libera Imperii Nobilitas, & civitates Imperiales juxta transactionem Paſſavienſem vel ſpecialia pacta, Religionis exercitio fruantur. VIII. Donawertha refuſis nondum belli ſumptibus, necnon Electoratus & Palatini ditiones quamdiu linea Wilhelmiana floruerit, Maximiliano Bavariæ Duci relinquantur. IX. Omnia loca ab infeſto Sueciæ Regis adventu Cæſari, ejusque fœderatis ablata, ſi adhuc in Proteſtantium poteſtate exiſtunt, reſtituantur. X. Adrecuperanda cetera bona Saxo Cæſarem omni ope juvet, omnia tamen bello Danico occupata Cæſar reddat, data Electori Brandeburgico, ſi in hanc pacem conſenſerit, inveſtitura in Pomeraniæ Ducatum. XI. Philipsburgum in poteſtate Cæſaris pro commodo Imperii permaneat. XII. Omnes in hanc pacem conſpirantes conſilia & arma jungant, ut Sueci & Galli ex Imperio amoveantur. XIII. Captivis utrinque libere dimiſſis, generalis offenſarum oblivio ſit, excepta tamen cauſſa Palatina & Bohemica, necnon quibusdam

dam rebellibus, quos Cæsar excipiendos judicaverit. Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. IV.

Belli Gallici initium contra Cæsarem.

Promulgata hac pace Protestantium plerique ad Cæsaris Saxonisque partes revertebantur, initaque armorum societate Rhenum pene omnem, magnamque Imperii partem recuperarunt: unde nil minus arduum fuisset, quam Suecos aliunde nupera clade fractos Germaniæ finibus pellere, Imperio pacem reddere, oppressisque Catholicis Religionis suæ libertatem, quietamque bonorum possessionem asserere: Verum hanc felicitatem Germaniæ invidebat Richelius Cardinalis, qui pro vasto ac inquieto ingenio suo Ludovicum XIII. Regem optimum, quem pro suo arbitrio regebat, proposita universalis Monarchiæ spe, eo inclinabat, ut Suecis duodecim peditum & sex Equitum millia præter quatuor librarum milliones contra Cæsarem, ejusque fœderatos promitteret, ea tamen lege, ut cum Austriacis (nisi ex communi Gallorum, Suecorumque consensu) nec pax nec induciæ fierent, sed ad urgendum bellum uterque ex fœderatis mutuum præstaret auxilium: Enimvero Cæ-

Annal. Ferd. Khevr. t. 12. Theates Europ. l. 3. Maier. acta pac. Westph. Recueil des traites de Franc. p. 381.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Cæsar Urbanum Papam interpellabat, ut ab hoc fœdere rei Catholicæ admodum funesto Franciæ Regem averteret: nec suis partibus defuit Pontifex: verum Austriacæ magnitudinis æmulatio, perturbatisque Germaniæ rebus Gallicum Regnum novis Imperii accessionibus protendendi opportunitas spesque Richelium tantopere inflammabat, ut eo instigante Galliarum Rex Cæsari, & Hispaniarum Regi bellum palam denuntiaret, simulque diversis exercitibus Hispaniam, Germaniam, Italiam, Belgium, & Rhætiam peteret: Neceidem deerant specioſi hostilitatis obtentus, & præcipue denegata capti Trevirensis Electoris libertas, Treviris & Philippsburgum, ejecto Gallico præsidio a Cæsareis Hispanisque recuperatum, & Spira a Bavaris in deditionem accepta, quam tamen paulopost Galli Suecorum copiis suffulti recuperarunt: Ne vero Sueci exspirantibus induciis per Polonorum invasionem in Borussiam, a Germanico bello præpedirentur, Franciæ Rex Claudium Memmium de Avaux, Virum mira in rebus gerendis dexteritate præditum ablegabat, ut cum ceteris Principum Oratoribus Stumsdorffii congregatis Uladislaum Poloniæ Regem ad perpetuam pacem, vel saltem diuturnas inducias permoveret:

veret: Horum etiam suasionibus in viginti sex annorum inducias utrinque conventum, non alio Religionis emolumento, nisi quod Parochiale Templum Elbingæ Catholicis relictum esset: Sueci autem urbes omnes in Borussia occupatas haud cunctanter Polonis restituerent, unice eo fine, ut Polonorum metu soluti unacum Gallis Cæsarem in Germania validius opprimere possent. Nec alia ex caussa Ludovicus XIII. Franciæ Rex cum Oxenstirnio nomine Sueciæ Reginæ, mutato nonnihil priori fœdere in hos articulos convenit. Sæc. XVII. A. C. 1635.

I. *Regina & regnum Sueciæ, & Rex regnumque Franciæ impliciti bello cum domo Hispanica, & domo austriaca obligant ac promittunt; se non suscepturos aut admissuros ullum tractatum pacis cum Principibus dictæ domus austriacæ uno aut pluribus, multo minus super hoc negotio conclusuros, nisi conjunctim & communi consensu, nec inituros ullam armorum suspensionem, aut inducias, nisi conjunctim & communi consensu.*

II. *Cancellarius Sueciæ promittit & se obligat nomine Reginæ ac regni Sueciæ ad conservandum liberum exercitium Religionis Catholicæ in Ecclesiis a sua potestate ac imperio dependentibus occupatis in Imperio ab anno millesimo sexcentesimo decimo octavo*

post

Sæc. XVII. A. C. 1635. *post exortos hosce Germaniæ motus. Et ut Ecclesiasticæ Personæ libere fruantur bonis suis sine impedimento ac molestia; cum hac reservatione, ut cuicunque parti suum jus salvum maneat.*

III. *Convenit quoque inter prædictos Legatos, ne quis locus munitus aut castrensis in Imperio, quod tenetur manu Reginæ Sueciæ ac Regis Franciæ, reddatur hosti, nisi communi consensu utriusque Reginæ, Regisque Sueciæ & Franciæ.*

IV. *Serenissima Regina Sueciæ, & Christianissimus Rex Galliæ convenerunt, & se obligarunt ad auxilium militare confœderatis Germaniæ servandum, prout se quisque obstrinxerit.*

In majorem rei fidem hæc sincere servatum iri, munivimus hac manus nostræ subscriptione, & sigilli appositione, factum Compendii die 28. Aprilis Anni 1635.

Axelius Oxenstirnius
Boutillerus.

Præterea ipsemet Rex die nona Junii ex Monceo castro literas oppido prolixas ad Montbazonum Ducem dedit, in quibus belli Hispaniæ Regi denuntiati æquitatem vindicare satagebat.

§. V.

Sæc. XVII.
A. C. 1635.

§. V.

Urbs Augustana a Cæsareo-Bavaris arcte cincta.

Jam septimo Mense Bavari Augustanam Urbem, intercluso commeatu, arcte cinctam tenebant, quin tamen adhuc oblata Cæsaris clementia, Nordlingana Suecorum clades, grassansque in Urbe contagio, atque extrema inopiæ necessitas Lutheranorum pertinaciam frangere potuisset: Adeo spurius Religionis libertatisque amor sectariorum animos in sua pervicacia obdurare solet. Hortabatur equidem Senatum Magnus Teutonici Ordinis Magister Comes de Stadian, qui absdubio Ferdinandi Hungariæ Regis, quocum Lauingæ agebat, impulsu, missis inde literis pro recuperanda Cæsaris gratia Augustanis suam spondebat operam, eosdem admonens, ut fractis jam Suecorum viribus, honestas deditionis leges potius, quam irati Victoris vim præstolarentur; verum Augustani nuntium, qui Teutonici Magistri epistolam attulerat, ne quidem reseratis hisce literis remisere, respondentes quod, pacisci non possent, utpote nimis arcte Suecorum fœderi juncti. Comperta horum obstinatione Maximilianus Bavariæ Ele-

Langenmant. Hist. Regim. Aug. l. 4. c. 3. Stengel. Rer. Aug. P. 2. c. 73. Khevenh. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1635. Elector Wallium Comitem ſupremum Boici caſtri Præfectum juſſit, ut adhuc anguſtius urbi aſſidere, & contumaces tandem fame ſubigere niteretur: Inde vero urbs ad tantam victus inopiam redigebatur, ut Senatus miſſis ad Regem legatis cum eo tranſigere peteret: hi tamen a Rege fuere repulſi, eoquod tam indignas obtuliſſent conditiones, ut eas Rex nequidem legere dignaretur. Arctius igitur occluſa urbe, jam-jam equorum, aſinorum, canum, felliumque carnes publice in macello venum ibant, imo & nonnulli a mortuorum hominum carne haud abſtinuerunt. Tentabant quidem Ulmenſes Lutherani ſuis ſociis inferre cibaria: aſt ab obſidentibus territi, annonam omnem agricolis, Bavarisque relinquere coacti ſunt. Necdum tamen Joannes de Winckel Suecus Urbis Gubernator tot civium militumque calamitates ultronea deditione redimere cogitabat, ſed querulos objurgans, famem in urbe graſſari negabat, eoquod ejus rheda adhuc ſalva eſſet, ex cujus corio fames depelli poſſet. Hujus inhumana pervicacia animatus impudentiſſimus quidam Præco, in Eccleſia ad S. Annam frequentiſſimo populo die decima ſexta Auguſti e ſuggeſtu declamans, ſuadere non

non erubuit, ſatius eſſe, fæno & palea paſci, quam ſe Cæſari ſubmittere, militesque potius ſiniſtram arroderent, & dextera pugnarent, quam utramque manum ad implorandam Cæſaris clementiam attollerent. Poſtquam vero inediæ violentia, ac diuturnitas urbem pene ad incitas redegerat, tandem die decima octava Januarii anni currentis Lutherani decrevere, quod cum Catholicis civibus primo concordiæ pacta mutuo conſenſu ſtabilire vellent, ut demum Imperatori nil ultra reliquum maneret, niſi ut hæc pacta ipſe ſua quoque auctoritate firmaret; cum autem hi denuo tam duras Catholicis proponerent conditiones, ut iniqua vexatio non ſublata, ſed duntaxat in aliam oppreſſionis ſpeciem mutata videretur, hinc Lutherani propriæ calamitatis ſublevandæ neceſſitate compulſi, die ſexta Februarii hoc anno Legatos Lowenburgum Wirtembergici Ducatus urbem ad Comitem Galaſſum, ſupremum Cæſarei exercitus Vicarium decernebant, eo fine, ut eidem circa cives Auguſtanos, Religionis exercitium, impoſitosque urbi milites, mutuæ transactionis articulos proponerent.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. VI.

Compositionis articuli ab Augustanæ Urbis Delegatis Gallasso Comiti propositi.

Ex Arch. Abbat. S. Crucis.

Cum vero Senatus Lutheranus deditionis articulos haud absimiles ab illis, quos antea Catholicis obtrudere gestiebat, pariter Cæsareo Belliduci præscribere præsumeret, hinc illos rursus immutare eidem consultum videbatur: Erant autem sequentes tractationis conditiones, ad quas Gallassus post longam deliberationem quidem respondit, responsi tamen confirmationem, ab ipso Cæsare præstolandam esse edixerat.

I. „Vi pacis Religiosæ, ac specialis „pacti de anno 1584. factæque desuper „Cæsareæ ratihabitionis tam Catholica „quam Lutherana Religio usque ad nu„per factam immutationem continuato „modo in hac Urbe simul deinceps ac „perpetuo relinquatur; æque ac Mini„sterium Evangelicum, prout nunc est, „immutatum, penitus independens, „ac intactum servetur ac conservetur.„

Ad hoc fuit responsum: *Religio in eo statu, quo tempore Suecicæ invasioni exstitit, remaneat:*

II. „Dam-

II. „Damna, devaſtationes &c. tam Eccleſiaſticis quam Laicis intra „vel extra Urbem turbidis hiſce temporibus quovis modo illatæ oblivioni „tradantur, ac propter eas nec ab Urbe „nec a Senatu &c. quicquam repetatur.„ Sæc. XVII. A. C. 1635.

Reſponſum: *Propter ejusmodi damna Suecicæ invaſionis tempore illata cuilibet via juris ſit aperta, Bavariæ autem Electori ob diuturnam, & pertinacem Urbis obſidionem illico poſt firmata deditionis pacta refundenda ſint octoginta florenorum millia.*

III. „Urbs, Magiſtratus, & cives „utriusque Religionis ob deprædationes „&c. non moleſtentur, ſed ſalva ſint „eorum privilegia & immunitates.„

℟. *Cuilibet ſua, prout in primo articulo ſtatutum quoad Religionem ſalva ſint, quantum vero ad privilegia, eorumque confirmationem, facta criminis deprecatione, expectanda ſit deciſio a Cæſare.*

IV. „Vi pacis Religioſæ quatuor illis „Catholicis Sacerdotibus, qui tempore „hujus pacis in urbe erant, omnes Ec„cleſiæ eorum (exceptis illis ad S. Cru„cem & S. Georgium) usque dum am„bæ a duobus Dominis Abbatibus de„ſtructæ, erunt iterum ædificatæ, ſicut „& omnes eorum domus, in urbe bo„naque extra urbem ſita, quotquot eo„rum in Magiſtratus manus venerunt, „in eo ſtatu, in quo nunc ſunt, reſti-

Sæc. XVII. A. C. 1635. „tuantur & cedantur, viciſſim vero „Evangelicis eorum Eccleſiæ, Scholæ, „fundationes, & pia loca, prout ea „ante nuperam innovationem poſſede„runt, cum quieta poſſeſſione in„dulgeantur.„

℟. *Cuncta, quæ ad Religionum exercitium unacum Eccleſiis, Scholis, Noſocomiis, & bonis ad ea ſpectantibus decreta ſunt, relinquantur, & in eo ſtatu, quo tempore Suecicæ invaſionis erant, reſtituantur.*

V. „Quoniam vero Magiſtratus Lu„theranus in eo potiſſimum gravatus „fuerit, quod Catholici ſuffragantium „numero prævaluerint, indeque gra„ves illæ diffidentiæ & diſſidia ortum „traxerint, ideo Magiſtratus, Curiæ, „officia, Collegium Advocatorum, & „Cancellaria ex Catholicis & Prote„ſtantibus æquali numero conſtet, & „nuper electi Evangelici Patricii a tota „Patriciorum Societate acceptentur & „confirmentur.

℟. *Cuncta in eo ſtatu, quo tempore Suecicæ occupationis erant, relinquantur, a Cæſare autem præterea conſtituatur Urbis Gubernator, ſine cujus ſcitu, conſenſu & confirmatione nec in criminalibus, & Politicis, nec in Oeconomicis quicquam decernatur: circa Patricios occurrente neceſſitate ad Cæſarem recurrendum erit.*

VI. „Epi-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

VI. „Episcopus, ejus Successores, „& vicini Ordines jurisdictionem exer„cere, vel ob illata damna compensa„tionem quærere, a Cæsare prohibean„tur: Ad hoc est responsum, uti antea „ad articulum secundum.

VII. „Urbis Gubernator, tribuni & „præsidiarii cum omnibus sarcinis libere „urbe excedere permittantur, & qui„dem cum honoribus militaribus,„

℟. *Id concedendum esse.*

VIII. „Omnes cujuscunque conditio„nis, qui Suecis, eorumque fœderatis „consilio, officio vel quovis pacto ad„hæserunt, libere excedere permittan„tur, nec sub ullo obtentu molestentur.„

℟. *Omnes, qui ad præsidium non pertinent, intra sex hebdomadas post præsidii discessum Belliduci sese sistant, & si emigrare desiderant, securitatis literas obtineant.*

IX. „Omnia belli tormenta a Suecis „occupata & relicta secure remittantur.

℟. *Totus belli apparatus a Suecis præcipue in ditione Bavarica occupatus, atque in urbem deductus, ibidem intacte permaneat, ea vero, quæ ad Electorem Bavariæ pertinent, sine tergiversatione eidem restituantur, & eo, unde fuerunt ablata, deducantur, de ceteris Cæsar disponat.*

X. „Obsides Monacenses & Landis„hutani ex Bavaria extracti præstita „satisfactione & cautione unacum præ-

Sæc. XVII. A. C. 1635. „ſidiariis urbe excedant, ſeque ad lo„ca ipſis aſſignanda recipere teneantur.

℟. *Omnes quicunque obſides & capti ſine lytro & promiſſi exactione dimittantur.*

XI. „Præſidiariorum currus & ſar„cinæ nullibi viſitentur, aperiantur, „aut teloniis graventur, nec etiam eis „equi vel alia ſpolia eripiantur.

℟. *Obſervetur articulus ſeptimus & octavus, ſimulque Magiſtratus, ne dolus fiat, provideat.*

XII. „Emigrantibus de omni ſecuri„tate per publicæ fidei literas contra „omnes incurſus caveatur, ac per Ba„variam vel Cæſaris ditiones tranſeunti„bus gratis omnia neceſſaria ſuppedi„tentur.„

℟. *Id eis usque Ulmam & Norimbergam concedatur, urbsque eis quotdam ſubminiſtret currus, relictis obſidibus, ut de curruum &c. reſtitutione, damno &c. cautum eſſet.*

XIII. „Ex Bavari vel Cæſaris ſignis „tranſfugæ in ſuis officiis relinquan„tur, nec reverti cogantur: Tribuni ve„ro ſevere eos caſtigent, qui tranſfu„gere moliuntur.„

℟. *Bavari & Cæſarei tranſfugæ absque pœna honoris vel vitæ ad ſua ſigna, retento eodem officii gradu revertantur, ac unicuique liberum ſit, ultro Bavari vel Cæſaris ſigna ſequi.*

XIV.

Sæc. XVII A. C. 1635.

XIV. „Ob Damna, incendia &c. in „tranſitu fors emergentia, emigrantes „non retineantur, ſed reus a ſuo Tri„buno plectatur.„

℟. *Obſervetur articulus duodecimus.*

XV. „Ægrotis militibus Auguſtæ ne„ceſſaria ſuppeditentur, ac demum ad „exercitum libere remittantur.„ Id quoque eis conceſſum, ſicut & XVI. articulus, quo petitum, „ut cadavera „Lautereggenſis & Badenſis Marchio„num in ſuis ſepulcris intacta rema„neant, & petentibus Agnatis ſine im„pedimento remittantur.„

XVII. „Omnes quovis modo Suecis „inſervientes libere dimittantur, nec „propterea eis quicquam imputetur, „ſed in perfecta amneſtia comprehan„dantur.„

℟. *Hi ad viam juris & æquam Cæſaræ Majeſtatis cognitionem remittantur.*

XVIII. Quiscunque negotii cauſſa in „Urbe moratus fuit, nunc vero cum „præſidiariis emigrare deſiderat, libere „dimittatur.„

℟. *Obſervetur articulus octavus.*

XIX. „Omnes Magiſtratui addicti, „ceterique ob præſtita Suecis obſequia, „vel ex alio quocunque obtentu non de„tineantur, ſed ſolutis ſolvendis ſub „publica fide emigrare permittantur, „ſique nonnulli negotiorum cauſſa in

Sæc. XVII A. C. 1635.

„urbe morari desiderant, venditis suis „intra annum libere emigrare permit„tantur.

℟. *Circa emigrationis tempus observatur articulus octavus, circa præstationes trinas vero ob emigrationem Magistratus commune urbis bonum respiciet, nullumque injuste gravari permittet.*

XX. „Urbs ab utriusque Religionis „civibus defendatur, nec armis spolie„tur, sique Urbi præsidiarii imponeren„tur, non alii quam Cæsarei juxta ne„cessitatis & facultatum rationem im„ponantur, iique æquali numero in Ca„tholicorum & Lutheranorum ædes „collocentur, stativorum distributione „Magistratui relicta.

℟. *Præsidiarii & Gubernator ad Cæsaris arbitrium Urbi imponantur, non plures tamen, quam ad Urbis defensionem & securitatem necessarii erunt.*

XXI. „Si Saxoniæ Elector vel alii „Ordines Evangelici in favorem Luthe„ranorum ultra hæc pacta quicquam „obtinuerint, vel obtenturi sint, iis hi „libere gaudeant.„

℟. *Præter hic conventa nihil omnino concedatur.*

XXII. „Interim Urbis Magistratus „usque ad Cæsaream supradictorum ar„ticulorum confirmationem in præsenti „statu relinquatur.„

℟. *Re-*

℟. *Relinquatur usque ad plenam reconciliationem cum Cæsare & ejusdem ulteriorem dispositionem.*

Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. VII.

Dedendæ Urbis conditiones a Cæsare Augustanis præscriptæ.

Quoniam vero Lutherani ob Cæsaris auctoritatem tam indigne vilipensam, totiesque neglectam oblatæ gratiæ viam tam amplis favoribus sese indignos reddiderant, prioris transactionis capita potissimam partem Cæsaris jussu fuerunt immutata, tandem vero die decima tertia Martii nomine Cæsaris Regisque Hungariæ Mathias Comes de Gallas, necnon fœderatorum Principum, & Protestantium Ordinum nomine Joannes Georgius Winckelius Urbis Augustanæ Gubernator, item Consules, totusque Senatus ac cives insequentes dedendæ Urbis articulos interposita sacramenti Religione convenere.

Acta Arch. Abbat. ad S. Crucem. Ex auth. Arch. Abb. Imp. ad S. Udalr. lit. X. Adlzr. Annal. Boic. p. 3. l. 20. p. 551. Kham. Hierarch. Ang. P. I. Cathedr.

I. „Circa Religionem, decreto Cæ„sareo, ac reformationi anno milleſi„mo ſexcenteſimo vigeſimo nono inſti„tutæ inſiſtatur, ita tamen, ut Augu„ſtanæ Confeſſionis civibus ex ſpeciali „Cæſaris gratia Eccleſiam *unam*, eorum „expenſis, ædificandi, ac Prædicantem

Sæc. XVII. A. C. 1635.

„*unum* eidem præficiendi copia fieret, „hic vero Præco jurato profiteretur, „quod præter ea, quæ Confeſſioni Au„guſtanæ immutatæ conſona ſunt, ni„hil ad populum dicere, docere, nul„lamque in Romano Imperio prohibi„tam ſectam invehere velit.„

II. „Circa Eccleſiaſticorum bona ex „norma pactorum inter Auguſtanum „Epiſcopum, & Magiſtratum conven„torum, atque ad utriusque partis pre„ces a Cæſare confirmatorum reſti„tutio fiat, ſimul tamen Cæſarea ſua „Majeſtas indulgeat, ut Auguſtanæ „confeſſioni addictis fundationes pro „eorum ſectæ aſſeclis factæ & erectæ „relinquantur.„

III. „Quoad Noſocomia, Ophanotro„phia, Leproſorum, expoſitorum Do„mus &c. ſervetur Cæſareum decretum „anno præfato die Octava Martii e„manatum.„

IV. „Urbi omnia priſtina privilegia, „immunitates &c. integræ permaneant.

V. „Circa urbis Regimen pro nunc „duntaxat electionis norma Caroli V. „necnon deſuper prædicto anno & die „facta Ferdinandi Cæſaris ſanctio ſer„vetur, ac Regimen, prout ante Sue„cicam immutationem fuerat, reſtitua„tur: integrum tamen ſit Cæſareæ Ma„jeſtati, pro proxima electione ac Re„gimi-

„giminis norma juxta præfatam Ca- Sæc. XVII.
„roli V. ſanctionem decernere.„ A.C. 1635.

VI. „Damnorum ferventibus hiſce „turbis cuicunque illatorum compen- „ſatio non per vim, ſed per viam juris „quæratur.„

VII. „Nec urbs, nec Senatus nec „quicunque alius lytris, deprædationi- „bus &c. quovis pacto moleſtetur.

VIII. Urbis Gubernator cum omni- „bus militibus, ſarcinis &c. inter mili- „tares honores armatus urbe excedat.

IX. „Belli tormenta, ac reliquus ap- „paratus ad urbem ſpectans relinqua- „tur intactus: Ea autem omnia, quæ „ad Bavariæ Electorem ſpectant, præ- „ſertim quæ Suecicus miles ante trien- „nium ex Monacenſi armamentario, & „theſauro abſtraxerat, eidem mox re- „ſtituantur, necnon quinquaginta flore- „norum millia, quæ idem Elector in „ſuos milites, qui urbem cinctam tene- „bant, impendere cogebatur, eidem „refundantur, ita ut millia viginti quin- „que proximo Paſchatis, totidem vero „Pentecoſtes feſto ſolvantur (*).

X. Om-

(*) Quoniam vero Electorem plusquam octoginta florenorum millia coercendæ urbi impendiſſe conſtiterat, hinc die ſexta Martii Deputati ſpeciali transactione polliciti ſunt, ſe reliqua triginta florenorum millia ad diem S. Michaelis numeraturos.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

X. „Omnibus (exceptis Cæſari ſubjectis) qui officio vel obſequio Suecis, „fœderato exercitui, vel Auguſtanæ „Confeſſionis Statibus &c. quovis modo „adhæſerunt, intra ſex hebdomadas „cum omnibus ſuis bonis libera emigrandi facultas ſit.„

XI. „Nec emigrantium currus &c. „aperiantur vel luſtrentur, nec etiam „præſidiarii teloniis graventur, caveat „tamen Magiſtratus, ne aliorum bona „ſub hoc obtentu ex urbe educantur, „vel aliunde quid fraudis irrepat.

XII. „Obſides, & captivi utrinque „ſine lytro dimittantur, prius tamen „quæ pro ſuo victu debent, ſolvere te„neantur.„

XIII. „Emigrantes quoque ſub con„gruo præſidio Erfordiam usque dedu„cantur, & ab omni militum incurſu „defendantur, eisque ubique neceſſa„ria ad victum gratis ſuppeditentur, „atque ad duodecim currus neceſſarii „equi ſubminiſtrentur, relictis interim „obſidibus, per quos de reſtituendis „hiſce equis cautum ſit.„

XIV. „Suecicum præſidium mox „adventante Cæſaris milite, urbe ex„cedat.„

XV. „Milites a Cæſaris vel Bavari „ſignis transfugæ rurſus ad ſua vexilla „redeant, ad quæ etiam quivis alius „tran-

„tranſire permittatur, non tamen co„gatur.„

XVI. „Si fors ab emigrantibus Sue„cis ex incendio &c. damnum cuivis „inferretur, propterea emigrantes non „detineantur, ſed culpæ obnoxius a „ſuis Tribunis plectatur.,

XVII. „Infirmis militibus Auguſtæ „neceſſaria porrigantur, ac ſanitati „reſtituti datis ultro ſecuritatis literis „ad Suecicum exercitum remittantur.

XVIII. „Palatino-Lauterckii & Ba„denſis Principum cadavera in ſuis ſe„pulcris relinquantur, vel petentibus „Agnatis libere extradantur.„

XIX. „Si quiscunque alius civis &c. „unacum præſidiario milite emigrare „peteret, eidem ſolutis, quæ de jure „urbi ſolvenda ſunt, diſcedere inte„grum ſit:„

XX. „Omnes Senatui deſervientes, „Præcones, cives &c. propter eorum „officia vel ob alios quoscunque obten„tus non detineantur, ſed ſexta heb„domada poſt præſidii diſceſſum eis ſe„curitatis literæ tradantur, ſi vero ne„gotiorum cauſſa in urbe remanere co„gantur, id eis integrum ſit, evoluto„que anno ac peracto negotio venditis „rebus ſuis libere aliorſum migrare „valeant.„

XXI.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

XXI. „Imponatur Urbi præsidium „juxta decreta alendum, de cetero „circa militiam & Statum politicum „inscio Gubernatore nihil agant, quin „tamen propterea Senatui in Urbis „regimine quicquam derogetur, ut„que Urbs in suis privilegiis non „lædatur, Gubernator invigilet.„

XXII. „Hisce vero præsidiariis sta„tiva assignandi cura, Senatui relin„quatur, deinceps vero Urbs nullis a„liis stativis sit obnoxia.„

XXIII. „Privatis hisce pactis Urbs „contenta sit, ac deinceps ex univer„salibus pactis nihil speret nec timeat.„

XXIV. „Usque ad hujus pacti confir„mationem a S. Cæsarea Majestate fa„ciendam Respublica in statu præsenti „remaneat.„

Hæc pacta, quorum quatuor exempla æquali tenore confecta fuerunt, nomine Cæsaris a Comite Mathia de Gallas, Carolo Ludovico Comite de Sultz, Georgio Comite de Wolckenstein & Joanne Kranen: nomine autem Bavariæ Electoris a Christophoro Barone de Ruepp fuere signata. Demum nomine Gubernatoris ac Suecici præsidii Georgius Braitkhull, Joachimus Falckhenmair & Joannes Mathias Lauber Doctor chirographum suum apposuere. Postea nomine civitatis Jeremias Jacob Steng-

Stenglin Duumvir, Otto Lauginger Consul, Joannes Udalricus Oesterreicher Judex, Zacharias Stenglin & Johannes Forstenhauser Doctores, ac Senatus Consultores subscripsere. Sæc. XVII. A. C. 1635.

Postera die Protestantes per Deputatum querebantur, quod suis civibus, nec Ecclesia nec locus, in quo interim, usquedum concessum erigeretur Templum, sectæ suæ sacra peragere possent, in hisce pactis fuisset assignatus, ac unicus duntaxat Præco tantæ multitudini impar promissus: rogabant itaque Comitem de Gallas, ut Cæsarem ad hæc eorum petita inclinare vellet: Itaque Comes die decima quarta ejusdem Mensis (dummodo Cæsaris consensus accedat) ut unum adhuc Præconis coadjutorem advocare, ac precario ad sex hebdomadas Ecclesia Fratrum Minorum pro sectæ suæ exercitio uti possent, eisdem indulsit, ea tamen lege, ut ipsimet interim pro sibi assignanda Ecclesia Cæsarem supplices adirent. Præterea Lutherani Senatores Maximilianum Bavariæ Electorem, nondum obtenta Cæsarea pactorum confirmatione, die decima quinta Aprilis convenere, rogantes, ut pro impetranda quadam harum conditionum moderatione apud Cæsarem partes suas interponere haud gravaretur: verum Luthe-

Sæc. XVII. A. C. 1635. Lutherani ſibimetipſis amplioris gratiæ viam obſtruxerant, eoquod tamdiu paternas hortationes toties adhibitas, oblatamque Cæſaris clementiam antea flocci habuiſſent, & nunc primum fame ferroque ad extrema redacti, ſeſe Cæſaris imperio ſubjicere coacti eſſent. Nihilominus Auguſtani Deputati pro mitigandis concordiæ articulis Viennam contenderunt: interim vero die vigeſima ſeptima Martii Wallius Generalis cum Winckelio Gubernatore Sueco collocutus, ſequenti die cum duabus Cæſareo-Boicis legionibus urbem ingreſſus eſt, Sueco præſidio inde mox excedente: die autem prima Aprilis Comes Otho Henricus Fugger deſignatus a Cæſare Urbis Gubernator, comperta Catholicorum oppreſſione Lutheranam plebem armis exui, & præſidiarios milites Lutheranis duntaxat civibus imponi, atque Eccleſiarum claves Eccleſiaſticis reſtitui juſſit: unde Abbas ad S. Crucem ſolemni Paſchatis die rurſus Eccleſiam ſuam ac Monaſterium poſſidere cæperat, clauſis Lutheranorum templis: unde hi usque ad annum hujus ſæculi quadrageſimum nonum duntaxat in Annæo Collegio ſuæ ſectæ cultum exercebant (*). Allata autem, die vigeſima

(*) Quod autem ante & poſt pacem Paſſavien-

gesima tertia Aprilis Cæsarea pacto- Sæc. XVII.
rum confirmatione, tertia post die Ca- A.C. 1635.
tholicus Senatus (exclusis Lutheranis)
primum in Curia consessum habuit, ubi
exauctorati Senatores Lutherani, cum
impositam mulctam solvere tergiversa-
rentur,

---

vientem non Confessio Augustana, sed potissimum Calviniana apud Augustanos prævaluerit, fatentur eorum acta Historico - Ecclesiastica parte 105. pag. 437. his verbis: Die evangelische Pfarrgemeine zum heiligen Kreuz bis noch geendigten Reichstage 1530. bliebe ohne Prediger, und da der gröste Theil des evangelischen Raths und die Bürgerschaft sich auf die schweizerische Seite geneigt hatte, und der Confessioni Tetrapolitanæ anhieng, ließ man Buzerisch gesinnte Prediger von Straßburg kommen. . . Daher man sich den damaligen Lehrbegriffe sowohl als die Kirchengebräuche leicht vorstellen kann: bis auf 1535. (zum *Interim*) verstunden sich alle Prediger, bis auf Johann Kargen, und Hallern . . . Mithin sahe auch wohl die Heil. Kreuz-Kirche bis 1551. in den Ceremonien Interimistisch aus . . . Caspar Hueber, Hieronymus Härtlein, und Thomas Wiedeman liessen sich bereden einen interimistischen Prediger abzugeben . . . Die beyden neuen Prediger allda wurden, weilen sie flacianische Irrthümer behaupteten, nebst vier anderen Verdächtigen entlassen, item pag. 467. Andreas Musculus kam anno 1531. an, und hielt es mit

Sæc. XVII. A. C. 1635

rentur, in Curiam vocati includebantur, donec de certa solutione caviſſent. Nec ſecum durius factum fuiſſe, merito conqueri poterant Lutherani, cum longe acerbiora Catholicis, Sueci Regiminis tempore, intuliſſent, proin talionis pœnam ſubire cogerentur: quousque autem illos fanaticum ſectæ ſuæ ſtudium, innatumque in Catholicos odium deduxerit, ſequentes tumultus ab eis poſtea ſuſcitati teſtatum reddent.

§. VIII.

Bucero und dem Bekänntniß der vier Städte. Johann Forſter 1537. hatte vielen Streit mit den damaligen zwingliſch geſinnten Predigern in Augsburg . . . Caſpar Knittel ſoll Flacii Irrthümer ergeben geweſen ſeyn, daher man ſich ſeiner 1589. loß gemacht, weil dieſes der Formulæ Concord. zuwider war. . . . David Piſtorius hatte einigen Verdruß wegen des Catechismi, man bediente ſich ſeit 50. Jahren desjenigen, den der Pfarrer Meckhard zu St. Anna 1559. verfertiget, und die zehen Gebothe waren nach zwingliſcher Art abgetheilet: die Obrigkeit muſte befehlen, es bey den Meckhardiſchen Catechismo zu laſſen . . . Peter Pezmann, weil er andere Prediger der Unrichtigkeit der Lehre beſchuldigte, und zwingliſche Schleicher nennte, entließ man ihn 1554. ſeines Dienſtes. Johann Hueber bekam 1589. wegen ſeiner flacianiſchen Irrthümer ſeinen Abſchied.

Sæc. XVII.
A.C. 1635.

§. VIII.

Variæ urbes a Cæsareis recuperatæ, mutuæque clades.

Enimvero Saxoniæ Elector per Legatos suos Oxenstirnium ad amplectendam pacem Pragensem hortabatur, cum vero Sueci amplis Gallorum promissis tumidi, conditiones ipso bello duriores præscriberent, non modo omnes concordiæ tractatus in irritum cecidere, sed insuper novos exercitus ad urgendam pacis executionem contrahere necesse erat: Eapropter Cæsar Ferdinando Filio suo Hungariæ Regi rursus negotium dabat, ut copias suas, quas interim conscripserat, in aciem contra Suecos educeret: hic ergo, postquam in Ecclesia Patrum Carmelitarum Discalceatorum rei Divinæ, quam in Ara prope sepulcrum Venerabilis Patris Dominici a Jesu Maria peragi voluit, intererat, die vigesima tertia Maij Vienna discessit, ac in Bohemiam contendit, ubi comperto, quod Saxoniæ Elector copias suas ex Silesia revocasset, ipse quoque Colloredo Comiti, & Granæ Tribuno præcepit, ut suas legiones inde in Imperium ducerent, seque Gallasso Comiti jungerent. Interim vero Cæsarei in Franconia arcem Herbipolen-

Khevenhill. Annal. Ferd. t. 12. p. 1747.

Sæc. XVII. A. C. 1635. lenſem, Pappenheimenſem, & Coburgènſem ceterasque urbes, excepto unico Königshofio occuparunt, cæſis a Joanne Werthio Francorum Gallorumque quamplurimis. Ad Rheni vero & Mœni tractum e Franckentalia, Falckenſteinia, Herbipoli, Moguntia, Wormatia aliisque circum locis Ferdinandus Hungariæ Rex junctis ſibi Bavaricis copiis Suecos expulit, ac Superioris Palatinatus urbes ferme omnes armis ſuis ſubegit. In Alſatia quoque Carolus Lotharingiæ Dux non ſine luculenta hoſtium ſtrage varia cepit loca, die autem vigeſima octava Maij a Gallis prope Belfortem obrutus, tam ingentem accepit cladem, ut ejus exercitus duodecim millibus conſtans ferro, fame, morbisque conſumptus vix quatuor armatorum millia recenſeret: nihilominus Dux Bavaricis Cæſareisque ſuppetiis auctus, in Lotharingiam revertebatur, pluresque Auſtraſiæ urbes recuperabat: minus proſpera Cæſareis ad Meiſenheimium arriſit fortuna; quippe a Vinarienſibus Gallisque cæſi, commiſſo ad Waldefringam prælio prorſus ancipiti, ab hoſte in caſtris tam arcte cincti fuere, ut Gallaſſi exercitus Gallis oppoſitus, inedia, frigore, aliisque incommodis paulatim conſumeretur: In Wetteravia quidem deletis hoſtibus magis

magis secundo Marte pugnabant Cæsarei, in Hassia tamen apud Eschwegam cæsi, Hirschfeldam sese recipere cogebantur. Demum Saxoniæ Elector Suecis ex Saxenhusio & Havelberga ejectis, Kniphusium Suecum Belliducem ingenti clade protrivit, & pleraque Magdeburgensis, & Halberstadiensis ditionis præsidia occupavit, Baudissius tamen Saxo, dum Domitium insigne propugnaculum pene ad deditionem compulerat, exorto incendio retrocedere compulsus, a Banner io Sueco post atrox prælium fusus fugatusque est, cæsis suorum mille, totidem captis, ceteris vero dispersis. Ita hoc anno belli fortuna Cæsareis æque ac Suecis nunc prospera nunc adversa, neutri tamen constans, aut diuturna, cujuslibet autem subditis funesta extitit. Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. IX.

Schaffgotsius & Gratzius capite plexi.

Interim in Fridlandicæ conjurationis reos, quos Cæsar a Pragensis amnestiæ beneficio speciatim excludendos censuit, severa Viennæ habebatur inquisitio, ac præprimis Joannes Udalricus Comes Schaffgotsius, qui Fridlandi jussu Silesiam subigere, populumque in *Khevenh. Annal. Ferd. t. 12. p. 1774. Adlzr. Annal. Boic. t. 20. part. 3.*

Sæc. XVII. A.C. 1635. factionis partes pertrahere satagebat, captus, Ratisbonam deducebatur, ubi instructis judicii actis eidem prælecta fuere accusationis capita, ad quæ intra quatuordecim dies vel per se, vel per sibi concessos Causſidicos responderet; cum vero conjurationis evidentia nullam criminis excusationem admitteret, die decima tertia Julii, dicta causa damnatus est, atque in ferali pegmate publice capite plexus, in sua secta immortuus obiit. Julius vero Lauenburgicus Dux declinato hoc tribunali, eoquod Imperii Princeps esset, Ratisbona Viennam mittebatur, ibidem causam dicturus: paulopost tamen Cæsar non modo hunc, sed etiam Franciscum Albertum itidem Lauenburgicum Ducem libertati restituit: Sparrius quoque ad Poloni Regis preces libertatis vitæque gtatiam obtinuit: Mohrus autem Waldtus Ordinis Teutonici Eques ob Ecclesiasticæ immunitatis prærogativam ad Ordinis sui Tribunal remissus est; ceteri autem Wallensteinianæ conjurationis complices aut proscripti, aut in Hungariæ fines abducti perpetuis mancipati sunt carceribus: Joannes vero Philippus Cratzius Comes Scharpfensteinius Viennæ in Civitatis Curia clam securi percussus est. Hic quidem Fridlandicæ perduellionis nullo pacto con-

conſcius erat, dudum tamen clande- Sæc. XVII.
ſtini cum Cæſaris hoſtibus commercii A. C. 1635.
reus poſtulabatur; cum enim a Maximiliano Bavariæ Electore Ingolſtadienſi propugnaculo Præfectus imponeretur, & tubicinis a Cratzio emiſſi perfidia Sueci inopino Ingolſtadium intercipere tentarent, quin ipſe de periculo admonitus, ſeſe e ſtrato moviſſet, imo & portam hoſtili invaſioni percommodam aperiri juſſiſſet, exinde haud obſcuri de clandeſtina cum hoſte colluſione rumores per Urbem ſpargebantur: inde vero offenſus Cratzius datis ad Maximilianum literis ſuam poſtulabat miſſionem: quarta autem poſt die, nequidem exſpectato reſponſo, die vigeſima nona Maij Ratisbonam contendit, citatisque equis in Bohemiam, indeque ad hoſtem ſeſe recepit: poſtea vero in Nördlingano prælio captus, Viennam deducebatur, ubi ipſo Polono Rege incaſſum pro eo deprecante, condemnatus eſt, ut amputata dextera capite plecteretur: Cæſaris tamen clementia primum ſupplicii genus remittente, feralem ictum die ſexta Julii tandem excepit, luctuoſa inconſtantiæ victima.

§. X.

Gallica expeditio adverſus Hiſpanos.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Calmet Hist. Univers. t. 151. Priorat. Hist. Ferd. II. p. 541. Jæger. Hist. Eccl. p. 555.

Postquam Ludovicus XIII. Hispanis bellum nuntiaverat, mox Castillionæus, & Brezæus Belliduces cum valido exercitu in Belgium irrupere, Trajectum ad Mosam eo fine contendentes, ut suas copias Batavis jungerent: Horum iter intercludere parabat Princeps Thomas Sabaudiæ Ducis Frater, qui cum sexdecim Hispanorum millibus Aveni Brabantiæ oppido castra metabatur. Jam in conspectu utraque acies erat, cum Gallos a prælii discrimine dudum retardaret opportunitas loci, quem Hispani insederant: imminens tamen exercitus sui excidium, necnon victoriæ fiducia in hostes invehendi ardorem propositumque Gallis inspirabat: Ergo Castillionæus prior in Hispanos cum suis ruere incipit, urget vehementer lævum hostis cornu Brezæus; jamque prima Gallorum impressione, cui occurrere semper periculosum est, una ala proculcata erat, cum Hispani equites solutis ordinibus pedem referrent; instat mox fugientibus Gallus eques, & Hispani cominus pugnam coacti conserere, funduntur: Tum vero ceteri dissipantur metu, & qua cuique patebat ad fugam via erumpunt, Gallis eos per integras tres leucas insequentibus. In acie autem cæsa sunt quatuor ferme Hispanorum millia, captis

Sæc. XVII. A. C 1635.

ptis quingentis. Poſtea victores Galli Batavis conjuncti Tiennam Brabantiæ urbem admotis ſcallis ſuperarunt, eamque barbara plusquam crudelitate diripuerunt; quamvis enim Franciſcus Bargas cum Arauſionenſi Principe conveniſſet, ut dedita urbe duntaxat Galli intrarent, excluſis Batavis, in Catholicos dire deſævire conſuetis, nihilominus Princeps violata pacti fide ſuos milites in urbem immiſit, qui furiis ſimiliores per omnes plateas effuſi, ædes & Eccleſias expilarunt, injectoque igne deleverunt, nulloque ætatis, ſexus, aut conditionis diſcrimine facto obvios quosque trucidarunt. Incaluerat ſectaria rabies ipſa innoxii ſanguinis effuſione; irruunt Calviniſtæ velut rabidi canes in Sacerdotes & Monachos, quos exquiſitis cruciatos tormentis promiſcue unaomnes jugulant, & nec Templorum, ac Monaſteriorum reverentia abſterriti, Sanctorum Reliquias comburunt, ſacras Hoſtias equis devorandas objiciunt, ac demum in Virgines Deo ſacratas involant, easque ſtupris contaminant. Tenuit hæc furentium laniena integras quinque horas, quibus abſolutis Brezæus Gallici exercitus Dux ſuis quoque militibus prædandi licentiam dedit, ea tamen lege, ut a Sacrarum Virginum ſtupris,

Neuvill. Hiſt. d' Holland. t. 1. p. 168.

Sæc. XVII. A. C. 1635

& Eccleſiarum devaſtationibus ſeſe cohiberent; ne vero ejus imperium impune ſperneretur, Brezæus quarumdam Monialium, quæ adverſus horrendas hæreticorum violentias ejus præſidium implorabant, Aſceterium viginti militibus Gallis cuſtodiendum commiſit; verum Angli, Batavique Calviniano furore perciti Pontium Gallici præſidii Ductorem aggreſſi, multis vulneribus fædatum in terram proſtrarunt, ruptisque Cœnobii portis, ac omni ſuppellectile, Sacrisque etiam vaſis ſacrilega manu confractis, direptisque, cunctas, quas infauſta ſors in libidinoſi militis manus dederat, conſtupraruut, ac demum interemerunt; ex his nonniſi ſex Virgines Batavorum rabiem effugere poterant, quas Pontius clam currui impoſitas in tutum locum conduxit, graviter apud Arauſionenſem Principem de tam inhumana fævitia conqueſtus: nihilominus tamen Urbs civium fuga, ac cæde penitus deſolata, barbaræ hoſtium direptioni expoſita eſt. Inde vero Arauſionenſis Principis exercitus die decima Junii Bruxellas verſus, Brezæus vero Lovanium contendit, hancque urbem, Dietemio deditione capto, cinxit, demum vero non ſine magna ſuorum clade die quarta Julii obſidionem ſolvere coactus, Rure-

Ruremundam sese recepit, ubi tamen morbis, aliisque calamitatibus tantus ac talis exercitus tam misere defluxit, ut per ludibrium ab hostibus Gallicis vulgo quæreretur. Quapropter Brezæus Batavorum perfidiam exosus, miseras exercitus sui reliquias in Franciam reducere statuit, Hispanis vero transitum obsidentibus milites suos Rotterodami navibus imponere cogebatur, ubi tamen maris ventorumque injuriis integro trimestri vexati, omnibusque necessariis destituti potissimam partem misere perierunt: Tot calamitatum author erat Arausionensis Princeps, qui nullam Richelium Cardinalem infectandi occasionem prætermittebat, haud ignarus, quod hic idem Cardinalis, ut suum in hæreticos odium Romæ commendaret, Arausionensem Principatum eidem eripere machinatus fuerit. Nihilominus Cardinalis, utpote tum fortunæ suæ æmulis undique cinctus, injuriam sibi suisque illatam adhuc dissimulandam censuit, missoque ad fœderatos Ordines Brezæo fœdus cum Batavis adversus Hispanos, Austriacosque innovavit, ea tamen lege, ut Galli a Batavis sejuncti suos quisque hostes infectarentur: Interim Hispani Schenkianum munimentum intercepere, quod tamen anno sequenti Princeps Arausionensis

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1635

nensis recuperabat; Franciæ vero Rex eodem tempore quatuor instruxerat exercitus, ac præprimis Forcæum Marescallum cum viginti quinque millibus in Lotharingiam emisit, Rohanæus autem cum octodecim millibus in Rhætas movere jussus, Hispanis, Germanisque devictis quasdam Vallis Telinæ urbes Gallico imperio subjecit: Crequius quoque cum valido exercitu Italiam invasit, qui tamen Sabaudo & Odoardo Parmensi junctus plus terroris Hispano intulit, quam damni, incalsumque Valentiam tentavit: sub idem quoque tempus multa millia Chesnæus Dux in Artheſiam duxit: denique Valeta Cardinalis Vinarienſi Duci junctus, in Germaniam insolita ferocia irruperat, qui tamen de reditus opportunitate parum sollicitus, atque Hassorum ope destitutus, e Germania inglorius revertebatur, postquam a Gallassio Belli duce Cæsareo profligatus, belli tormenta aut defodere, aut in lacum projicere coactus fuerat:

Cruenti belli metu percitus Urbanus VIII. Pontifex totus in eo erat, ut juncta Venetorum opera præsertim inter Cæsarem & Franciæ Regem pacem restituere posset, quocirca Cardinalem Ginettum Legatum suum Coloniam decrevit, necnon per literas gravissimis ver-

verbis conceptas dissidentes ad reddendam Orbi Christiano tranquillitatem hortatus est: paternis tamen monitis prævaluit Cæsareæ felicitatis, & Hispanæ potentiæ æmulatio: unde Ginettus toto triennio multum temporis ac laboris irrito prorsus conatu impenderat, etsi Cæsar per suos Legatos animum ad pacem haud alienum exhibuisset, & Galliæ, Angliæ, Sueciæ & Daniæ Regum Oratores, Hamburgi congregati necnon Batavi ceteriique Principes Protestantes pacis consilia amplis verbis jactitarent. Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. XI.

Nova contentio Reipublicæ Venetæ cum summo Pontifice.

Cum Venetorum Respublica exteras dissensiones componere intenta esset, domesticis collidebatur dissidiis: tertius enim effluxerat annus, quo Romanus Anconitanæ Urbis Gubernator Michaelem Obertum Consulem Venetum proscripserat, quæsito obtentu, quod ex Veneta nave merces quasdam contagionis tempore extraxisset. Acriter de hac injuria apud Urbanum Papam querebantur Veneti, unde Franciæ Ministris suam operam interponentibus, Venetus Consul Anconam revoca- *Nani Hist. Venet. t. 1. l. 9. 10. & 11. Palat. vit. Pont. p. 553.*

Sæc. XVII. A. C. 1635. vocabatur, quo paulopoſt emortuo Gubernator novum Conſulem defuncti fratrem quaſi exploratorem Anconæ includi juſſit, ac demum ſevera admodum comminatione facta, eidem inhibuit, ne ultra in urbem reverteretur. Recrudeſcente igitur indignatione Senatus vicem rependere intentus, Vitellium Papæ Nuntium ad alloquium admittere recuſabat, & Contarino Reipublicæ Oratori, ne Pontificem ſalutaret, vetabat: hoc tamen anno rurſus hanc diſcordiam compoſuere Oratores Galli. Sub idem ferme tempus nova gliſcebat controverſia de confinibus Dominii Eccleſiaſtici & Veneti prope Padum flumen: ubi tamen Ludovicus Rex arbitrum egit, brevique reſtituta eſt concordia, quam rurſus novi honoris æmulatio disrumpere videbatur; cum enim nuper Urbanus VIII. Papa Cardinales ab omnibus (exceptis Regibus) *Eminentiſſimos* appellari decreviſſet, Respublica autem eosdem hoc titulo ſalutare detrectaret, hi graviter de contemptu apud Urbanum ſummum Pontificem querebantur. Hic vero re ultro citroque agitata demum Rempublicam juxta veteres ritus inter Reges eſſe connumerandam declarabat, ne deinceps Veneti Cardinalibus Eminentiſſimorum titulo honorare

rare tenerentur. Acrior paulopost inter Romanam Curiam & Rempublicam exarsit offensio, cujus occasio hæc erat: Sedente Pio IV. summo Pontifice consuebatur in Vaticano Palatio Aula *Regia*, sic dicta, eoquod Regum, Principumque Oratoribus excipiendis destinata esset. Hanc idem Pontifex variis picturis, quæ magis memoranda Christianæ Reipublicæ gesta exhibebant, exornari jusserat, atque inter alia navale prælium, quo Veneti Fridericum Barbarossam Imperatorem Alexandri III. Papæ hostem devicerant, depictum habebatur, in Reipublicæ laudem & Ecclesiæ decorem adjecto hoc elogio: *Alex. Papa III. Friderici I. Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit se Venetiis. Cognitum & a Senatu perhonorifice susceptum, Othone Imperatoris filio, navali prælio a Venetis victo, captoque, Fridericus pace facta supplex adorat, fidem, & obedientiam pollicitus, ita Pontifici sua dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio restituta* M. C. LXXVII. Sæc. XVII. A. C. 1635.

Hæc vero inscriptio ab Urbano Pontifice, forte, eoquod Baronius Cardinalis hanc Venetorum victoriam in dubium vocasset, deleta, atque in ejus locum succincta hæc epigraphe reposita fuerat: *Federicus Imperator Alexandrum III. Pontificem, quem diu insectatus fuerat,*

Sæc. XVII. A. C. 1635.

rat, poſt conſtitutas cum eo pacis conditiones, & damnatum ſchisma Venetiis ſupplex adorat. Hanc novitatem Franciſcus Maria Roſſius, abſente tum Ludovico Contarino Veneto Oratore, cui a ſecretis erat, prior detexit, ac Victoriæ, necnon beneficii Eccleſiæ a Venetis præſtiti memoriam obliteratam fuiſſe, Senatui nuntiavit: Inde vero magni animorum motus, & Venetorum indignatio: alii exaggerabant ingratum Pontificis animum, eoquod Rempublicam toties vexaſſe haud contentus, illius quoque gloriam, Majorumque famam obliterare aggreſſus eſſet, & Reipublicæ merita, atque in Eccleſiam ſtudia, pro quibus ejus Prædeceſſores ſeſe obſtrictos profeſſi forent, agnoſcere detrectaret: Pontificem antea in Venetos, nunc quoque in eorum cineres, & defunctorum ſepulcra graſſari, communes erant queſtus in ore populi: Omnium denique ſuffragio decretum, ne ſalutato quidem Pontifice Oratorem Venetum Roma evocandum, & Nuntium Apoſtolicum ab Aula Veneta excludendum, ſimulque Regibus, Principibusque declarandum, hanc injuriam nonniſi reſtituto elogio reparari poſſe. Cum vero Urbanus VIII. ad procurandam Germaniæ pacem Venetorum operam oppido proficuam fore cre-

crederet, elogium recens adscriptum quarto post anno aboleri jussit, quin tamen antiquum restitueret, hac cura suis Successoribus relicta. Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. XII.

Academia Gallica Parisiis erecta.

Postquam anno priori Fœderati Belgii Ordines Ultrajecti suam Academiam erexerant, pariter alia in Galliis ad Italicarum normam feliciter authoritate Regia fuit stabilita. Tenue hujus initium repetendum est a literario commercio, quod Antonius Godeau Grassensis Episcopus cum Gombaldo, utroque Haberto, aliisque Viris eruditis per sex circiter annos Parisiis fovebat. Hi in Valentini Conrarti ædibus convenientes, opuscula a variis recens edita dijudicare, acrique censura perstringere, & cunctis eloquentiæ arcanis ornare, atque a Styli, verborum, vel argumenti vitiis expurgare satagebant, unice intenti, ut Gallici idiomatis barbarie exulare jussa, tam Sacram, quam forensem eloquentiam ad primævam puritatem revocarent, ac saniorem cogitandi differendique rationem inveherent: Tam proficui laboris notitiam Boisrobertus Abbas, Vir illa ætate longe celeberrimus communicabat Richelio

Relat. de l'Hist. de l'Academ. Francois. de Pelisson. Hist. du Parlem. de Paris cap. 52. pag. 248.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

chelio Cardinali, qui præclarum hunc cætum auctoritate Regia comprobandum censuit, communique ceterorum consilio novæ hujus Academiæ statuta correxit, eorumque confirmationem a Rege impetravit, edito desuper diplomate Regio, Mense Septembri hujus anni. Hac igitur institutione Richelius Cardinalis sese de patria sua optime meritum reddebat, omnique jure hujus Academiæ Protector, fundatorque nominabatur, unde quinto Statutorum articulo Academicis injunctum, ut *eorum quivis polliceretur, se semper sui Protectoris merita, memoriamque summo in honore habiturum*, quem tamen articulum Cardinalis obliterari præcepit: Nec deerant tamen malevoli, qui Academiæ institutum carperent, ac Cardinalis gloriæ inviderent, quos inter Michael Vasforius perfidus ille Apostata prorsus insulse scripserat, quod Cardinalis Richelii *tyrannis sat luculenter in hujus Academiæ erectione eluceat; hic enim iniquo tulerat animo, quod honesti Viri in privatis ædibus libere convenirent:* quam nequiter hæc imputentur præcipuo hujus Academiæ promotori, cuique obvium est. Vasforius nempe hanc *tyrannidis* calumniam non in Academicorum, sed sectariorum schola dedicit, qui usitata phrasi, quidquid vel Roma-

Romani Pontifices, vel Cardinales a- Sæc. XVII.
gunt, tyrannidem appellitant. Præ- A. C. 1635.
terea Parlamentum, seu sanctior Senatus privilegia huic Academiæ a Rege concessa confirmare, necnon ad acta referre, integris octodecim Mensibus distulit, eoquod vereretur, ne invalescente purioris idiomatis usu barbaræ forensis styli phrases sensim abolerentur, atque Academia sibi jurisdictionem in Regiam Bibliothecam vendicare, aut Academici emunctæ naris Viri, necnon Regia auctoritate suffulti, Aristotelis doctrinam in Parisina Universitate edicto Parlamenti stabilitam fastidientes, novitates invehere intenderent. Hanc quoque Senatus repugnantiam alii imputabant vindictæ studio in Cardinalem, qui summa auctoritate prævalens crebras Senatui molestias intulerat: Nihilominus urgente ipsius Regis mandato Senatus Regium diploma Mense Julio Anno hujus sæculi trigesimo septimo ad Curiæ tabulas retulit, ea tamen lege, ut Academia nonnisi de idiomate Gallico & de libris ab ea compositis vel eius judicio relictis cognoscendi jure gaudeat,

§ XIII.

Varii libelli a Facultate Parisiensi Theologica censuris notati.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Die prima Menſis Junii Hieronymus Parentius, & Hieronymus Bachelierus duo Facultatis Magiſtri in comitiis referebant, ſe quamplurima animadverſione digna in variis deprehendiſſe libellis: Erant autem ſequentes, I. *Miraculoſa oratio ad B. V. unacum menſura vulneris in corde Chriſti Domini.* II. *Index gratiarum & Beneficiorum, quæ Chriſtus Dominus granis a ſe ad preces Ven. Ludovicæ Ord. S. Claræ benedictis conceſſit.* III. *Indulgentiæ Ordini de Mercede a Pontificibus indultæ.* IV. *Regula tertii Ordinis S. Franciſci de Paula unacum Bulla Julii II. Papæ.* V. *Synopſis Privilegiorum & indulgentiarum confraternitatis S. Scapularis unacum aliquibus miraculis per S. Scapulare patratis.* Perceptis horum Doctorum relationibus, collectisque octoginta Magiſtrorum ſententiis *hos omnes libellos cenſura notavit facultas, ſtatuitque, ut a prædictis Magiſtris nominatis Parentio & Bachelierο formula cenſuræ teneatur, additis propoſitionibus, quæ in iisdem continentur, adhibitisque earum unicuique cenſoriis notis, quæ ad ipſam facultatem proximis comitiis referrentur, antequam typis excuderentur.*

Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 15.

Sacra quoque Indicis Congregatio die decima ſexta Martii anno 1621. eundem libellum de Indulgentiis Ordini de Mercede conceſſis, donec corrigatur,

rigatur, proscripsit: circa librum vero de confraternitate S. Scapularis Regius Senatus judicium sibi soli, auditis testibus, reservabat; carpebat autem Facultas sequentem inscriptionem Imaginibus quibusdam inepte appositam: *Quicunque hoc sanctum Scapulare portaverit, nec in aqua suffocabitur, nec igne combustus, nec fune suspensus morte afficietur.* Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. XIV.

Proscriptio cujusdam Catechismi a Facultate Parisiensi facta.

Ejusdem hujus anni die prima Augusti quidam Sorbonæ Magistri referebant, quod Bertinus Berthaut Constantiensis Diœcesis Presbyter librum, cui titulus: *Catechismus Confessariorum* ediderit, eundemque Magister Patus approbari petierit: quoniam vero non modo multa inepta & ridicula, sed etiam turpia & obscœna in eo observarint, hinc Auctorem monuerunt, ut abstineat ab illius evulgatione, quandoquidem scandalum potius, quam utilitatem parere posset, tam in iis, quæ forum internum, quam quæ externum concernunt; qua non obstante monitione eumdem librum sub approbatione aliquorum Religiosorum Doctorum absque Licentia Facultatis fuisse *Argentre l. c. p. 16.*

Sæc. XVII. A. C. 1635.

excusum non sine præjudicio Salutis animarum, & denuo ab authore ipso auctum & recognitum prodiisse, querebantur Doctores: eapropter Facultas approbationem hujus Catechismi factam revocavit, ipsumque Archiepiscopum Rothomagensem rogandum decrevit, ut in sua Provincia illius usum impediat, ne ex ipsius lectione scandalum fidelibus accedat.

§. XV.

Christophori Bessoldi reditus ad fidem Catholicam.

Arnold Hist. Hæret. t. 1. l. 17. part. 2. cap. 3. Weissman. Hist. Eccl. p. 741.

Visum est hoc loco meminisse Christophori Bessoldi primum in Academia Tubingensi postea Ingolstadiensi Professoris publici longe celeberrimi, cujus ad fidem Catholicam conversio eo notabilior, quo manifestius inde elucet, quam dispari ratione Sectarii ad Catholicorum Sacra, & Catholici ad Novatorum castra transire soleant. Vix enim ullum ex his, qui a Catholicorum castris auffugerunt, reperies, quem non vel ambitio, vel dissolutæ vitæ amor, ac libido, aut vindictæ cupido, aut amplæ pollicitationes aliæque ejusmodi fœdæ rationes ad infamem hanc defectionem impulissent. Unde accidit, ut plerumque ejusmodi desertores sedato æstu, agnitoque

toque errore rursus ad Catholicæ Ecclesiæ sinum redierint, aut inter sectarios suos nonnisi cum summo dedecore omni vitiorum genere contaminati vixerint. E contrario autem illi, qui a sua secta ad fidem Orthodoxam reversi sunt, etsi plerumque suorum contemptum, egestatem, pluresque alias calamitates, tanquam Christi patrimonium, sibi reliquas fore prospexerint, nihilominus in Communione Ecclesiæ Catholicæ constantes usque ad obitum perstitere, eoquod illos non caro & sanguis, sed verus Dei Spiritus, laxioris vitæ horror, agnitæque veritatis vis, ad deserenda Lutheri Calvinique commenta pertraxisset. Id testatum reddidit Besoldus, qui ob morum integritatem, vastam, profundamque eruditionem apud suos summo in honore habitus, sectam Lutheranam, quam per quinquaginta octo annos professus, acerrime, præcipue in suo libro de *signis temporum*, contra Catholicos propugnaverat, hoc anno ejuravit, atque ad Romanæ Ecclesiæ sinum non sine maximo Lutheranorum dolore reversus est. Reditus sui caussam Protestantes pro more suo in vitæ licentiam rejicere nequeunt; cum ipsimet etiam post ejus conversionem fateantur, Besoldum exstitisse Virum *pietatis Religionisque*

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

nisque ſtudioſum, moribus inculpatum, animo ſedatum, ſermone jucundum, verbis parcum, gravem, vanitatisque oſorem: nec etiam ad hunc reditum aut pinquioris fortunæ ſpes, vel adverſitatis effugiendæ neceſſitas, aut fidei Lutheranæ inſcitia Virum tam eruditum, olim ſuæ ſectæ tantopere ſtudioſum, honoribus, divitiisque auctum, ſed unice Divini Luminis gratia, ut unacum aliquot ſtudioſis agnita Catholicæ fidei veritate, Lutheri caſtra deſereret, adigere poterat, prout ipſemet Beſoldus teſtatum reddidit in converſionis ſuæ motivis, quæ biennio poſt Ingolſtadii publici juris fecit: Refert Voetius, quod ad deteſtandam Lutheri ſectam valide impulſus fuerit horrore concepto ex perverſis moribus plurimorum Proteſtantium, qui potius Epicurei erant. Ut vero quamdam huic converſioni labem aſpergere poſſent, Proteſtantium nonnulli tradidere, Beſoldum Romanis acceſſiſſe, eoquod *meticuloſus lepus ſimulque in corde ſuo aſtuta vulpes, Catholicorum potentiam vereretur, & per cladem Nordlinganam res Proteſtantium ad deſperationem redactæ viderentur:* verum excogitata hæc mutationis cauſſa adeo infirma eſt, ut potius ad riſum miſerationemque commoveat, quam confutationem mereatur. Forte etiam Beſol-

Wagner. Exam. Elen. Ath. p. 83. Gisbert. Voeti. t. 1. Diſſ. de Atheiſ.

Beſſoldi uxor ex Catholicorum metu & Nordlinganæ cladis dolore eo adacta eſt, ut poſt mariti ſui obitum proxima die quarta Novembris Catholicorum ſacra ſequeretur. Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. XVI.

Conſpiratio contra ſummum Pontificem Romæ detecta.

Sub idem tempus validiſſima claſſis, quam Turcarum Imperator inſtruxerat, univerſam Italiam ingenti terrore commovit, ſparſo rumore, quod pace cum Perſis inita Turcæ totius belli molem in Europam effundere ſtatuiſſent. Eapropter Antonius de Paula Magnus Melitenſium Magiſter conſcripto recente milite, & propugnaculis valide munitis Papam, Hiſpaniæ Regem, cunctosque Italiæ Principes ſollicitabat, ut ad hoſtis incurſum hanc Inſulam ſtrenue defendere ſatagerent: Neapolitanus vero Pro - Rex cunctis transfugis vitæ gratiam indixit, ea tamen lege, ut ad Hiſpanorum ſigna redirent: ipſe quoque Urbanus Papa publico edicto promulgari juſſit, ut omnes Pontificiæ ditionis ſubditi intra bimeſtre, ſi in Italia, & infra quatuor Menſes, ſi extra Italiam exteri Principis caſtra ſequuntur, ad ſua reverten- *Annal. Ferd. Khevenh. tom. 12. p. 1866. Turſ. ep. p. 280.*

Sæc. XVII. A. C. 1635.

vertentur, nec ullus ſine Pontificis conſenſu apud exteros ſtipendia mereretur, Annona vero, aut arma nequaquam Roma ad alios Principes transferrentur: Dum autem Pontifex adverſus exteram vim patriæ ſecuritati proſpicere intentus erat, ægre domeſticorum inſidias eluctabatur: quippe Jacobus Centinus, Cardinalis Centini Aſculani Nepos, necnon Flaminius ejusdem Cardinalis Procurator, aliique ſex in Pontificis vitam conjurabant, Bullam Cœnæ recens promulgatam flocci habentes, hac tamen conjuratione a quodam Religioſo, cui nomen Dominicus Ramborius, detecta, unaomnes in carceres conjecti ſunt, quorum ſupplicium ad annum ſequentem fuit dilatum, uti memorabimus.

§. XVII.

Cardinalium, Principum atque illuſtrium obitus.

Annal. Boic. Adlzr. l. 20. Le Blanc. Hiſt. de Bav. tom. 4. Ciacon. in vita Pauli V.

Inter Principes, quos hoc anno funeſta mortalitatis neceſſitas vivis ſubduxerat, fatale hujus anni auſpicium habuit Eliſabetha Bavariæ Electoris Conjux. Hæc Caroli Auſtraſiæ & Lotharingiæ Ducis Filia anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto nata, & anno Chriſti milleſimo quingenteſ-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

gentesimo nonagesimo quinto die quinta Februarii Maximiliano Bavaro Duci nupta, omni virtutum genere eminuit: ubi vero Monachii pestilentiæ vis grassari cæperat, unacum Sereniſſimo Marito suo Ranshovium delata ibidem die quarta Januarii pie in Domino obiit, Monachii die vigesima secunda Aprilis anni sequentis in æde S. Michaelis pompa funebri reposita. Digniſſimæ hujus Principis dotes amplis encomiis celebrant Annaliſtæ Boici. Sequenti autem Anno Maximilianus cum Maria Anna Ferdinandi II. Imperatoris Filia Viennæ die decima quinta Julii solemnes celebravit nuptias. Porro ex Purpuratis hoc anno nonniſi duo fatis cesſere, quorum primus erat Robertus Ubaldinus patria Florentinus, Leonis XI. Nepos qui pro ingenii sui felicitate juvenis admodum Philoſophiæ ac Jurisprudentiæ lauream emeritus, a Paulo V. secretis consiliis, graviſſimisque negotiis admovebatur, atque ab eodem maximi habitus, Politianum Episcopatum obtinebat: inde vero in se provocabat præcipue invidiam eorum, qui summo Pontifici Sanguine juncti erant. Hi ergo, non quidem ut Ubaldini merita extollerent, sed ut authoritatis suæ æmulum a Pontificis consortio amoverent, eidem Authores exſtitere, ut Ubal-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Ubaldinum in Gallias tanquam Sedis Apoſtolicæ Nuntium ablegaret, quo tamen in munere Ubaldinus tam luculenta prudentiæ, probatæque fidei ſpecimina per novem annos edidit, ut inde Romam reverſus, a Paulo V. multis auctus beneficiis, & Purpura, necnon a Gregorio XV. Bononienſi legatione decoraretur. Commendatur præprimis pietate in Deum, & liberalitate in pauperes, Domeſticos, Eruditos, ac præcipue in Poetas: ſua quoque bona Congregationi de Propaganda fide, necnon Politianæ Eccleſiæ ſuæ Legaverat: tandem vero Romæ die vigeſima ſecunda Aprilis ex calculi morbo deceſſit, ſepultus apud ſanctam Mariam ſupra Minervam. Alter erat Auguſtinus Oregius patria Æmilianus, qui humanæ, Divinæque Philoſophiæ, necnon utriusque Juris ſtudia cum pietate conjungens, Faventiæ Theologiam publice tradidit, poſtea Maphæo Cardinali Barberino tum Bononiæ Legato ſe Theologum conſecrans, eo ad Pontificatum evecto varia, eaque honorifica obiit Eccleſiæ munia: tandem Purpuratorum Collegio adſcriptus ſuffragantibus meritis Beneventanum Archiepiſcopatum accepit: ubi omne tempus aut rebus ſacris aut literis impendit, pro ſalute gregis ſui vigilantiſſimus,

Nicii Pinacotheca I. pag. 40.

mus, somni parcissimus, & in mensa frugalis, quam semper vel sacræ Scripturæ, vel Conciliorum, vel Divi Thomæ aut Baronii lectione condiebat: Catechesin ad populum, atque exhortationes ad suos famulos ferme quotidianas habuit, unde suum Palatium non tam Aula, quam Oratorium ac Religiosæ familiæ Domus appellabatur: Postquam igitur quinquagesimum septimum ætatis suæ annum inter Pastoralis sollicitudinis molestias invicto animo compleverat, febri correptus, sacrisque morientium Sacramentis munitus die duodecima Julii Beneventi placidissime, ut pie credere fas est, in cælum evolavit, in sua Cathedrali humatus. Scripsit Augustinus tractatum de Angelis, de opere sex dierum, de Deo, Incarnatione, necnon de Hierarchia Ecclesiastica. Jussus quoque ab Urbano VIII. Aristotelis opinionem circa animæ mortalitatem investigare, hanc in rem de ejusdem immortalitate tractatum edidit, in quo Aristotelem ab imputato hoc errore vindicare nitebantur. Sæc. XVII. A. C. 1635.

§. XVIII.

Quædam Sacrarum Congregationum decisiones.

Varia

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Varia hoc anno circa Sacramentorum administrationem, vel Ecclesiæ ritus proponebantur dubia, ad quæ sacræ Congregationes sequentibus decisionibus responderunt, & primo quidem declarabat sacri Concilii Congregatio die tertia Februarii, quod Episcopus in approbatione Confessariorum non possit sibi reservare absolutionem eorum, qui non solvunt locis Piis ea, quæ ratione administrationis vel alia de causa debent: hos enim remediis juris cogendos esse censuit. Cum autem in urbe Lucana in festo Corporis Christi haberetur solemnis supplicatio, & impedito Episcopo dignior Canonicus SS. Sacramentum per limites Parochiæ S. Fridiani deferret, hujus Parochiæ Prior SS. Sacramentum per suæ Ecclesiæ limites deferendum, sibi consignari petebat: Capitulo igitur Cathedralis Ecclesiæ desuper querente, sacra Rituum Congregatio die vigesima prima Aprilis decidit, delationem SS. Sacramenti in proposito casu spectare ad digniorem Ecclesiæ Cathedralis per totam viam, etsi contingat Processionem transire per limites alterius Parochiæ. Præterea apud Lycienses Moniales invalescente abusu, quo Divinum Officium a suis Capellanis recitari consueverant, sacra Episcoporum Con-

S. Congr. Concil. Rit. &c. decis.

Congregatio die undecima Maij decidit, horas ab ipsis Monialibus *cantu firmo* esse cantandas vel recitandas. Die autem vigesima prima Julii S. Rituum Congregatio, referente Cardinale Pamphilio, Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Interamnensis respondit, quod Priore solemniter celebrante, sive præsente sive absente aut impedito Episcopo semper Canonici, non autem inferiores, Sub- vel Diaconi officio fungi teneantur, nec liceat Coadjutoribus Canonicorum, absentibus vel impeditis Canonicis, inservire Episcopo solemniter celebranti, sed hoc spectet ad veros Canonicos ordine successivo: Decidit quoque die septima Junii sacra Concilii Congregatio, quod Episcopus possit Canonicos distributionibus privare, si choro interessentes alta voce non psallerent, quavis contraria consuetudine non obstante: decisum pariter die duodecima Julii, quod Parochus non possit sine licentia Episcopi Processiones extraordinarias facere, neque ad hoc sufficiat licentia Vicarii Foranei. Denique Urbanus VIII. in confirmatione Decreti Capituli Generalis Romæ anno 1612. habiti declaravit, quod Dominicani tractantes aliquod negotium per se vel per alium pro se, vel pro alio in Romana Curia sine ex-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

expreſſa & ſcripta Procuratoris ſui Generalis licentia, incurrant excommunicationem latæ ſententiæ, a qua nonniſi a Generali vel ejus Vicario, præterquam in mortis articulo, abſolvi valeant.

§. XIX.

Scriptorum Religione Catholicorum obitus.

Nic. Erythr. Pinacoth III. p. 625. Andr. Bibl. Belg. Sanmarth. Gall. Chriſtian. Alegambe Bibl. Script. S. J. Bibl. Carmelit. Echard Script. Ord. Præd. t. 2.

Ex pluribus Catholicis Scriptoribus, qui ſuis lucubrationibus Eccleſiam illuſtrarunt, celebriores hoc anno defunctos recenſere haud injucundum erit: Hos inter eminuit Paulus Æmilius Sanctorius Urbini Archiepiſcopus, qui toto ſuo vitæ tempore præcipua ſui ævi fata fideli non minus quam eleganti narratione complecti ſatagebat, præcipue in verborum parcitate, & rerum geſtarum frequentia Cornelium Tacitum imitatus. Fertur, Urbano VIII. quid demum de ipſo, rebusque a ſe geſtis ſcripſiſſet, interroganti reſpondiſſe, *Sanctiſſime Pater! nihil niſi quod cum veritate conſentiat*, hoc autem reſponſo Papam adeo offenſum fuiſſe, comminiſcuntur hæretici, ut huic Hiſtorico Purpuram, quam eidem jam deſtinaverat, denegarit. Ceterum erat in reprehendendis aliorum vitiis acu-

acutus, & cum quadam mordacitate facetus. Scripsit elegantissimo, purissimoque stylo Sanctarum Virginum vitas, necnon Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli res gestas unacum Historia Monasterii Carbonensis Ordinis S. Basilii. Obiit Urbini septuaginta quinque annos natus. II. Paulus Boudotus Atrebatensis Episcopus, qui librum adversus Marcum Antonium de Dominis, necnon tractatum de Sacramento Pœnitentiæ præter alia posteris reliquit. III. Benedictus Fasolinus Carthusianus patria Neapolitanus edidit tractatum collectum ex S. Scriptura. IV. Franciscus Bozius Oratonii Presbyter scripsit Annales mundi, vitam B. Petri, & librum de temporali Ecclesiæ Monarchia. V. Theodorus Wallæus Belga Ord. S. Augustini, elucubravit suum Theatrum Divinæ Justitiæ, orationes de quatuor novissimis, orationes in laudem Sodalitatis corrigiatæ, & sermonem de S. Monica. VI. Franciscus Moncada Hispaniæ Regis Orator, edidit expeditionem Catalanensium & Arragonensium contra Turcas & Græcos, & Historiam Conventus Montserratani. VII. Adamus Contzen Germanus Jesuita Bellarmini vindicias contra Pareum necnon libros duos de pace Germaniæ, & consulta-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

tionem de unione & Synodo generali Proteſtantium ſcripſit: pariter typis edidit commentaria in quatuor Evangelia, in epiſtolam D. Pauli ad Romanos, Corinthios & Galatas præter libros decem Politicorum. Inter Polemica autem ejus opera recenſentur. I. Jubilæum Evangelicorum & piæ lacrimæ Catholicorum. II. Chronologia Jubilæi Evangelici. III. Coronis omnium Jubilorum anno ſæculari Evangelico ſcriptorum. IV. Semen Hæreticorum. V. Palma ſæcularis Lutherano-Evangelica. VI. Aſinus Palmatus. VI. Reſponſio Theologica ad problemata Saxonica pro fida pace Germaniæ. Obiit Adamus Monachii ſexagenario major. VIII. Ludovicus Turrianus Hiſpanus ex eadem Societate, qui in ſummam D. Thomæ commentaria Lugduni edita conſcripſit. IX. De ſua Religione bene meritum ſe reddidit Alphonſus a Matre Dei Carmelita Excalceatus, qui Bibliothecam Carmelitanam, & animadverſiones ad Ordinis ſui martyrologium, necnon tractatum de S. Scapulari, ejusque favoribus &c. præter Chronicon ſuæ Religionis reformatæ, Sanctorale Carmelitanum, & denique vitam S. Joannis a Cruce edidit. X. Joannes Maria a S. Joſeph ex nobiliſſima Genuenſi Centurionum fami-

familia itidem Carmelita Discalceatus, qui constanter recusato Hiberniæ Archiepiscopatu in publica solemnique disputatione Joannem Statorium aliosque Sociniauos devicit, confuditque, uti supra memoravimus: Hic Vir Scientia, omniumque virtutum fama illustris præter acta disputationis præfatæ conscripsit commentaria in Theologiam, & Philosophiam universam, & opera Ascetica quamplurima tomis septem Mediolani excusa. XI. Didacus Alvarez Ord. FF. Prædicatorum, insignis Theologus, qui Tranensem Ecclesiam per triginta annos Archiepiscopus summa cum laude rexit, ac Romæ crebra contra Molinistas victoria inclaruit. Præter alia hactenus inedita posteritati reliquit commentaria in Isaiam Prophetam, relationem actorum in disputatione Jesuitica contra Theses Molinianas, libros duodecim de auxiliis Divinæ gratiæ, responsiones ad objectiones adversus concordiam liberi arbitrii cum prædestinatione, Historiam de origine Pelagianæ hæresis, disputationes in primam secundæ, & de Incarnatione unacum Manuali Concionatorum. XII. Franciscus Dompsius ex eodem Ordine Theologus, qui acta Exorcismi de tribus Monialibus Brigitinis facti, nec non Historiam magi Aquis sextiis combusti

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Vid. supra l. 193. §. 10. t. 57. p. 52.

Vid. supra l. 191. §. 58. pag. 209. tom. 56.

Sæc. XVII. A. C. 1635.

busti conscripsit, in quibus tamen plura reperiuntur ab hisce deceptis mulieribus fabulose dicta. XIII. Balthasar Andrea Cæsar-Augustanus Juris Canonici Professor, qui additionem ad decretum Concilii Tridentini, tractatum de immaculata B. Virginis Conceptione, & genealogiam Regum Aragoniæ posteris reliquit. XIV. Joannes Baptista Gramajus Protonotarius Apostolicus, & Arnheimiensis Præpositus, qui Antiquitates Flandriæ, & Brabantiæ, necnon libros decem Africæ illustratæ, Martyres Argalenses, & Diarium Argalense, historiam Brabantiæ, Peregrinationem Belgicam, pluraque alia ad Belgii antiquitates spectantia Lovanii edidit.

§. XX.

Quidam Scriptores ex Protestantibus hoc anno defuncti.

Niceron notit. de Vir. erud. t. 17. pag. 208. Freher. Theatr. Erudit. Relat. Alph. Varg. Spizel. Templ hon. rest.

Huc quoque referendi videntur ex Protestantibus Scriptoribus nonnulli, qui hoc anno decesserunt: hos inter primus est Melchior Haiminsfeld Goldastus, qui se nobili quidem genere ortum jactitabat, varias tamen compilationes edidit, ac Magistratibus & Consistoriis eo fine nuncupavit, ut ab eis stipem ipso dono longe

longe liberaliorem reciperet. Plura e- Sæc. XVII.
tiam veterum opuſcula e tenebris eruit, A. C. 1635.
majoreque labore, quam ingenii acie
collegit, notisque auxit. Hæc inter
erant I. S. Valeriani Cimelienſis Epi-
ſcopi ſermo de bono diſciplinæ una-
cum fragmento ſermonis S. Iſidori de
Prælatis II. S. Columbani carmina, e-
piſtolæ & Regulæ Monachorum. III.
Dinamii Grammatici epiſtola ad diſci-
pulum. IV. S. Baſilii Cæſarienſis ad-
monitiones. V. Tractatus Boethii de
moribus. Recenſuit etiam Suevica-
rum & Alemanicarum rerum Scripto-
res quosdam. Præterea collegit Cæ-
ſarum reſcripta a Carolo M. usque ad
Rudolphum II. ſubjecit tamen ſubinde
annotationes, quibus Reipublicæ Chri-
ſtianæ plus nocuiſſe, quam profuiſſe
videtur. Paris quoque momenti eſt
ipſius Rationale adverſus Baronii An-
nales, necnon Imperatorum decreta
de Imaginum cultu Denique Prin-
cipum Apologias pro Henrico IV. ad-
verſus Gregorium VII. necnon replica-
tionem ſuam contra Gretſerum ſicut &
tractatus de Jurisdictione Regia a Ca-
tholicis editos collegit, notisque ſuis
deturpavit. Ceteræ ejusdem compi-
lationes potius res profanas, & ab in-
ſtituto noſtro alienas ſpectant, quas
mutato nomine Melchioris Goldaſti ſeu

Sæc. XVII. A. C. 1635. Guldenaſt *de Haiminsfeld*, ut ſibi nobilitatis famam conciliaret, edidit. Obiit ferme ſexagenarius Bremæ die undecima Auguſti. II. Daniel Engelhardt, qui juxta Acatholicis innatam novandi pruriginem ſeſe *Angelocratorem* nominabat. Hic explanationem in Apocalypſin S. Joannis, & Prophetiam Danielis præter alia opera chronologica, Hiſtorica, & Politico-Sacra conſcripſit. III. Chriſtophorus Schleupnerus, qui e Styria & poſtmodum Herbipoli ejectus, tandem Erfordiæ periit, ac poſteritati reliquit Harmoniam veteris Teſtamenti, & confutationem Chriſtiani de erroribus Miſſæ, necnon Huberianorum errorum adverſus Kekenum. IV. Alexander Gill Anglus ſcripſit commentaria in Symbolum Apoſtolicum, & tractatum de Trinitatis Hypoſtaſeon in unitate Divinitatis. V. Guilielmus Schickhardus edidit examen interpretationum hebraicarum in Geneſin,, Hiſtoriam Purim, Deum orbum Saracenorum, & tractatum de jure Regio Judæorum. VI. His demum accenſendus venit Jacobus Reihingius, quem tamen potiſſimi anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, alii octavo & nonnulli hoc anno die quinta Maij obiiſſe referunt. Hic ex Patritia familia Auguſtæ anno Salutis

Sæc. XVII. A. C. 1635.

tis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono natus, Ingolſtadii Philoſophicis literis operam dabat, paulopoſt tamen, ſi ex morbo, quo graviter laborabat, integræ valetudini redderetur, Jeſuitæ togam ſe induturum, voto pollicebatur, recuperata igitur ſanitate, invita & renitente Matre ſua, Societatem ingreſſus, Oeniponte Poeſin, atque Ingolſtadii Philoſophiam, & Theologiam tradidit, ſupremo Doctoris gradu decoratus: Ab eo tempore tantus, tamque flagrans pro vindicanda Eccleſiæ Romanæ auctoritate Zelus in Reihingio enituit, ut quarto voto ſeſe obſtringere permitteretur. Poſtquam vero Wolffgangus Guilielmus Neoburgi Dux ac Comes Palatinus Rheni ejurata ſecta ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum reverſus erat, ſeligebatur Reihingius, in Concionatorem Aulicum, qui etiam totum ferme Ducatum, ad veram fidem revocavit, ac Lutheri commenta totis viribus enervare ſategit: Edidit quoque Coloniæ anno hujus ſæculi decimo quinto *Muros Civitatis ſanctæ* ſeu duodecim fundamenta, quibus inſiſtens Princeps Neoburgicus, Lutheranismo abdicato ad veram Eccleſiam rediit: biennio poſt Neoburgi prodierunt ejusdem *Excubiæ Angelicæ*, ſeu defenſio horum fundamentorum con-

Sæc. XVII. A. C. 1635.

tra Meisnerum & Baſſecurtium: necnon *Enchiridion Catholicum* contra Mathiam Hoe Prædicantem Saxonicum, qui Reihingii libros refellere adlaborabat: cum vero ex Principis benevolentia, amplisque ingenii, ſcientiæ & eloquentiæ ſuæ encomiis in ſe effuſis ſuperbire, aulæque delitiis ſaginatus luxuriari, ac muliebres amores atque illecebras experiri inciperet, cognito ſalutis ſuæ periculo, non una, ſed terna vice Chriſtophorum Grenzingium Societatis Provincialem rogabat, ut eum, eoquod diutius importunis voluptatum blanditiis reſiſtendo impar eſſet, ab Aula in remotius quoddam Collegium revocaret: Verum ad has preces ſurdus ſemper erat Provincialis, Reihingio identidem exponens, plurimum religionis, totiusque Ducatus & Societatis intereſſe, ut ad latus Principis nondum ſatis in fide firmati adhæreret. Accepta hac repulſa Reihingius indies in pejora prolapſus, cum quadam die veneri litare, ab inopino ſupervenientibus deprehenderetur, verecundia in deſperationem verſa, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo die quinta Januarii clam Aula Höchſtettum, inde Wirtembergam exceſſit, tranſiitque ad caſtra illius Lutheri, cujus adultera doctrina, & verba:

Si

Si nolit uxor, veniat ancilla &c. contra Sæc. XVII.
hujus Evangeliſtæ novitates tantam A.C. 1635.
movebant nauſeam ſtomacho Caſparis
Ulembergii Wittembergenſis Theologi,
ut anno prioris ſæculi ſeptuageſimo ſe-
cundo tam obſcæni conſilii Magiſtrum
deteſtatus, ad Eccleſiam Romanam re-
verteretur. Fertur tamen, quod Rei-
hingius literas Principi ſuo inſcriptas
in menſa reliquerit, quibus eundem,
ne ejus exemplo perturbatus vacilla-
ret, hortabatur, faſſus, quod nequa-
quam de fidei veritate dubius, ſed an-
cillæ voce, carnisque imbecillitate de-
victus ſectam ſuis deſideriis ancillantem
amplecti ſtatuerit. Porro Reihingius
anno ſequentis die ſecunda Januarii a
Joanne Friderico Duce Wirtenbergenſi
Tubinganus Theologiæ Profeſſor no-
minabatur, cumque ſacrilegæ apoſta-
tarum nuptiæ conſuetum ſint Luthe-
ranæ doctrinæ authoramentum ac
theſſera, hinc Reihingius quoque an-
no ſequenti Mariam Welſeram ſibi con-
nubio junxit, cui Epithalamii loco, non-
nulli ridiculum carmen, cui titulus:
Valetudinarius Poeticus, compoſuere.
Nulli equidem labori interim peper-
cunt Jeſuitæ, ut errantem hanc ovi-
culam ad Chriſti ovile reducerent, &
quidem primo P. Provincialis, demum
Apoſtatæ Germanus P. Conradus Rei-

Sæc. XVII. A.C. 1635.

hingius tum Auguſtani Collegii Rector deluſo homini faniora inſpirare, totis viribus adlaborabant: ipſe etiam ſupremus Societatis Præpoſitus Mutius Vitelleſchus promiſſa delicti venia illum ad reſipiſcentiam ſollicitabat, quinimo ipſemet Maximilianus Bavariæ Dux Henricum de Stein, Patrem Kellerum Monacenſis Collegii Rectorem, & Fabrum Jurisconſultum eo fine Wittenbergam ablegabant: aſt hi omnes oleum operamque perdidere; infelix enim hic transfuga ſectæ ſuæ immortuus ſexto poſt apoſtaſiam anno ex hydrope malus male periit: Edidit ſuæ perfidiæ apologiam, quam *laqueos Pontificios contritos* vocitabat, ubi inter ſuæ defectionis cauſſas, ut Macenatum ſuorum gratiam aucuparetur, non minus falſa, quam ſacrilega aſſentatione proferebat, quod e Sacrarum literarum monumentis Papatum firmare deſperans, Evangelii lucem ex S. Codicis lectione agnoviſſet. Inſuper contra PP. Stengelium, Schaitenreiſſerum, & Forerum Jeſuitas, qui ipſum editis libris impugnarunt, conſcripſit librum, cui titulus: *Aranearum operæ nunc ſtylo dejectæ* præter Diſſertationem de vera Chriſti Eccleſia, & hujus Diſſertationis apologiam. Retractabat etiam ſuum Enchiridion antea contra Mathiam Hoe ſcriptum.

§. XXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

§. XXI.

Bellum inter Saxones & Suecos continuatum.

Sub initium anni post Christum natum milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſexti pari ſtudio pacis bellique conſilia agitabantur; præterquam enim quod ſollicitante Urbano VIII. Papa Coloniæ a Principibus Catholicis, & Hamburgi a Proteſtantibus varii novæ pacis tractatus haberentur, inſuper Saxoniæ Elector cum Oxenſtirnio Sueciæ Cancellario rerum pacandarum media, incaſſum tamen, concinnabat: Chriſtianus quoque Daniæ Rex miſſis Viennam Legatis controverſiam de Bremenſi Archiepiſcopatu componere ſtuduit, nec ſine proſpero conatus ſui ſucceſſu; quippe Cæſar Friderico Holſatiæ Duci ejus Filio hunc Archiepiſcopatum ſe indulturum promiſit, ea lege, ut rem Catholicam ibidem ad ſtatum, in quo erat anno hujus ſæculi vigeſimo ſexto, revocaret, pacique Pragenſi ſubſcriberet. Sub idem tempus Eberhardo defuncti Wirtembergici Ducis Filio reconciliatio promiſſa eſt, dummodo acceptata præfata pace Eccleſiaſticis ſua bona perpetuo jure aſſererentur: Has ipſas inter pacis tractationes inter Saxones & Sue-

Khevenh. Annal. t. 12. p. 196. Jæger. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 1. Brachel. Hiſt. l. 5.

Sæc. XVII. A. C. 1635. Suecos non minus animorum aversiones, quam armorum apparatus incaluere; quippe nec hos nupera clades ad discessum e Germania, nec illos victoriæ gloria ad cedendum permovere poterat: Suecos enim ultionis cupido, Saxones vero amplioris progressus fiducia ad instaurandas vires acriore, quam unquam, stimulo accenderat. Præprimis igitur Joannes Bannerus Suecici exercitus Dux, postquam Saxoniæ Electorem viginti quinque Cæsareo-Bavaricorum millibus, Ductore Hatzfeldio, necnon Georgii Hassiæ Landgravii suppetiis auctum comperat, subita irruptione Saxoniam multo crudelius, quam antea infestavit, Electorem e Pomerania, quo Stargardia a Cæsareis expugnata, Saxo tendebat, revocaturus: capto demum Werbeniano munimento plurimas urbes, vicosque apud Havelam & Salam sitos misere deprædatus est, incumbente autem Saxone non una clade affectus relicta Hallensi urbe Magdeburgum aufugere compellitur, qua tamen urbe Suecis erepta, occupatisque Havelberga & Brandeburgo Saxones a Cæsareis adjuti Bannerum infectabantur. Hic vero sociatis Leslæi copiis ad castellum Werbense progressus, die vigesima quarta Septembris hostem aggredi statuit:

Jam

Jam prope Widſtochium utraque acies in conſpectu erat, cum Cæſarei in dextrum Suecorum cornu tam ferociter irruerent, ut pugna ad ſeram usque noctem protracta, Leslæi copiæ iteratis impreſſionibus fatigatæ ad fugam inclinarent, ac victoriæ palmam Saxonibus cederent. Quod ubi Bannerus conſpexit, mox alam ſiniſtram in medium belli diſcrimen transfert, prælium que reſtituit. Tum vero acerrime dimicatur, tandem vero fundendi ſanguinis finem non remiſſus vincendi ardor, ſed concubia nox impoſuit. Vicerat neutra pars, dum neutra ex arena ceſſit: victoria tamen a nonnullis acclamatur Suecis, eoquod his priores inde moverint Cæſareo - Saxonici: de cetero æquata utrinque ſtrages: Altera die Elector ſublatis ſignis peditatum Werbenam transmiſit, equitatu Albin transvadente: Inſtabant Sueci, cæſisque nonnullis, Cæſareos quindecim vexillis exuunt, & Bannerus capto Werbenſi Caſtello, ut ultionem latius circumferret, unacum Joanne Urangelio in Marchiam Brandeburgicam effunditur, eamque fœde devaſtat, non alio tam ſævæ ultionis obtentu, niſi quod Elector Brandeburgicus Pragenſi paci ſubſcripſiſſet, & deſuper a Sueciæ Regina objurgatus, reſponderit, omnibus Sæc. XVII. A.C. 1635.

Sæc. XVII A. C. 1635.

nibus notum esse, quod Sueci sub specioso Germaniæ Protestantibus succurrendi obtentu nonnisi res suas augere solliciti, Brandeburgicum Electoratum retenta etiam Pomerania, devastarint. Paulopost Bannerus cum exercitu suo Thuringiam invasit, atque Erfordienses, eoquod Suecorum præsidium admittere recusarent, acriter pressit, tandem vero extorta ingenti pecuniarum summa Cyriacensem arcem insedit, cæsisque Saxonibus Barbium una cum arce expugnavit, omnemque Ultrasalanam Provinciam, & Halberstatensem Episcopatum gravi ære mulctavit, necnon Hamburgensibus Mercatoribus exspoliatis, denique Namburgensem civitatem militum deprædationi, matronarum & Virginum corpora stupris, & templa ludibriis exposuit, non alia ex culpa, nisi quod cives rebelles, id est, *Cæsari fideles* fuissent.

§. XXII.

Varia belli fortuna in Hassia & Westphalia.

Annal. Boic. Adlzr. t. 3. part. 3. l. 21. Priorat. Hist. Ferd. part. 1. l 10. le Blanc. Hist. de Bavier. tom. 4.

Nec magis certa erat belli fortuna in Westphalia; quamvis enim Guilielmus Hassiæ Landgravius, repudiata pace Pragensi, Suecis junctus, Hanoviam urbem a Cæsareis ad extrema

pene

pene redactam obsidione liberasset, inde tamen a Gæzio Duce Cæsareo non sine clade in Westphaliam & Frisiam usque repellebatur; cum vero his Provinciis ingentem inferret vastitatem, Gæzius vicissim Hassiam pene totam depopulatus, mox in Westphaliam sese infudit, ejectisque Hassicis præsidiis Padebornam, Susatum, Tremoniam, Dortmundam, aliasque urbes rapido victoriarum cursu sibi subegit: sub idem quoque tempus Lautershemius Cæsaris Tribunus Kniphusium Ducem Suecicum prope Osnabrugum adorsus, ad prælii necessitatem compulit, eoque plumbea glande trajecto victoriam pene in manibus habuit, desperatione tamen Suecorum animos acuente, hi tanta vi in Cæsareos irruerunt, ut solutis ordinibus in fugam eos agerent, & mille trecentos trucidarent, capto ipsomet Lautershemio. Verum brevi Gætzius & Beckermanus Hassos levi hac victoria exultantes oppressere, captoque Verdensi arce, necnon cæsis quatuor hostium turmis, universum Hassorum exercitum e Westphaliæ finibus exterminarunt, ac cis Visurgin cedere compulerunt, ubi tamen ab insequente Gœtzio & Polonis rursus cæsi, in fugam acti, & quatuor vexillis, omnibusque impedimentis exuti fuere. Interim

Sæc. XVII. A. C. 1635.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

terim Cæsarei Osnabrugum intercluſa omni commeatus libertate, arcte premunt, civesque incautius erumpentes, Suecis fuga dilapſis, cum ingenti clade repellunt, Leslæus autem tempeſtive accurrens, capta Mindenſi urbe Osnabrugum obſidione liberavit.

§. XXIII.

Judicium de belli Gallici adverſus Cæſarem juſtitia.

Recueil des traités de confœd. pag. 117. Jæger. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 3.

Quamvis Ludovicus XIII. Franciæ Rex priori anno die vigeſima octava Aprilis armorum ſocietatem cum Sueciæ Regina initam, hoc item anno die vigeſima Martii Wismariæ, & apud S. Germanum in Laya confirmaſſet, nihilominus ſingulare fœdus cum Bernardo Vinarienſi Duce, & cum Guilielmo Haſſiæ Landgravio Veſaliæ die vigeſima prima Octobris contra Cæſarem iniit, eidemque in defectionis præmium Alſatiam, licet Cæſarei, non vero Gallici imperii fuiſſet, articulo tertio, qui inter ſecretos habebatur, pollicitus eſt. Enimvero Rex in cunctis hiſce fœderibus caveri voluit, ut *Catholici libero ſuæ Religionis exercitio & reditibus, uti ab anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo poſſediſſent, ſine impedimento ac moleſtia fruantur*, explorata

plorata tamen Proteſtantium bonis Ecclesiasticis inhiandi cupiditate, necnon comperto eorum in Catholicos odio, non deerant, qui hæc Gallorum cum Proteſtantibus fœdera, necnon hoſtilem Hiſpanæ Auſtriacæque Domus invaſionem tanquam Rei Catholicæ ſummopere pernicioſam, ac omnino injuſtam editis palam ſcriptis ſuggillarent: Hos inter haud infimus erat Cornelius Janſenius, qui ſub ementito nomine Alexandri Patritii Armachani, librum, cui titulus: *Mars Gallicus* edidit. Regemque Gallum, etſi Chriſtianiſſimi titulo gaudeat, impia arma ferre, demonſtrare ſatagens, præcipue Baſianum Arroyſum, abjectum Aſſentatorem Gallum reſellere aggreſſus eſt, eoquod hic ad honeſtandam Gallicam hanc invaſionem propugnare præſumpſiſſet, quod Regis fœdera cum Proteſtantibus inita tanquam *nobile Gallorum ſtratagema* eo ſpectent, ut potiſſima Europæ Regna, in quæ omnia ex Caroli M. ſucceſſione Reges Franciæ firmum jus haberent, ab injuſtis uſurpatoribus repetere valeret. Porro cunctas inſulſi hujus Paraſiti rationes Janſenius valide confutabat, luculenter demonſtrans, quod fœdera cum Acatholicis, quæ in fidei atque Eccleſiæ Catholicæ detrimentum tendunt, juri

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Divinæ, Naturæ & Gentium adversentur, inter alia quoque Janſenius gravi ſermone hæc addit: *Auſim dicere, majorem eſſe belli Germanici contra Cæſarem, quam turcici impietatem, fœdiorem in Chriſtiana ſacra profanationem, effrenatorem in Eccleſiaſticos, & cœnobia Licentiam. Turca cæcus avaritia Libertatem religionis, quam invenit, ſervat; nullibi majus, quam ſub ipſo, adverſus hæreſes præſidium.* Et paulopoſt, *hoc omnibus Seculis experta eſt Eccleſia, ſub paganis, & gentilibus meliorem eſſe Chriſtianorum ſortem, quam ſub hæreticis.*

Fertur quoque, quod Janſenius in lucubrationis hujus præmium anno priori eadem die vigeſima octava Octobris, qua natus erat, a Philippo Hiſpaniarum Rege ad Yprenſem Epiſcopatum nominatus, hocque anno conſecratus fuiſſet. Ut ut autem hoc fuerit, id omnino certum eſt, quod Janſenii rationes præpedire haud potuerint, quin Scriptores Galli ejusmodi fœdera omnino fuiſſe licita demonſtrare, idque pluribus ex S. Codice, & Hiſtoria tam ſacra quam profana allatis exemplis defendere niterentur; ſic, inquiebant, David cum Achi Rege contra Saulem, Aza Judeæ Rex cum Benadad Syriæ Rege adverſus Reges Iſrael, Conſtantinus cum Go-

Gothis, Bonifacius Comes cum Wandalis, Narſes Eunuchus cum Longobardis, Arcadius Imperator cum Isdigarde Perſarum Rege, Heraclius cum Sarracenis, Baſilius & Conſtantinus cum Oſtelzio Sarraceno, Henricus, & Fridericus itidem cum Sarracenis contra Gallos, Ludovicus Sfortia Mediolanenſis Dux cum Bajazete, Maximilianus Auſtriacus cum Turcis, Franciſcus I. Rex Galliæ cum Angliæ Rege & Turcis contra Carolum V, Paulus IV. Pontifex cum Lutheranis contra Albam Ducem & Hiſpanos fœdus pepigere, quin injuſtitiæ arguerentur. Sæc. XVII. A.C. 1636.

Interim Ferdinandus Imperator e contrario ſcriptum promulgari juſſit, quo belli contra Gallum moti juſtitiam demonſtratum ibat, atque inter cauſſas præcipuas adducebat, quod Galliæ Rex violata belli Mantuani pacificatione Ratisbonæ concluſa cum Cæſaris & Imperii hoſtibus colluderet, cum Suecis & Proteſtantibus contra Cæſarem fœdera iniiſſet, illosque armis, pecunia & militibus juvaret, ac denique Imperii urbes & præcipue Lotharingiam vel ipſe invaderet, vel auro ex hoſtium manibus redemptas ſuis præſidiis non ſine magno Imperii, libertatisque præjudicio firmaret.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

§. XXIV.

Gallorum expeditio in Alsatia.

Barre hist. d'Allemagne Calmet Hist. Univers. l. 151. §. 153. Ferrer. cont. Hist. Hisp. tom. 12.

Denuntiato utrinque bello, cum Joannes de Werth Bavari exercitus Dux Gallos uno anno plusquam octonis vicibus fudisset, Ludovicus Cardinalis Valeta, Vir armis magis, quam Ecclesiasticis rebus idoneus, unacum Bernardo Vinariensi Duce cum valido exercitu in Alsatiam movit, & Tabernas arcte pressit. Præerat huic urbi Mulheimius Cæsareus Ductor, animi magnitudine, reique militaris scientia longe præstantissimus. Hic quaternis Gallorum impressionibus strenue repressis, Vinariensem ad solvendam obsidionem compulisset, nisi Gallassus Comes tempestive suppetias ferre a Polonis fuisset prohibitus; cum enim hi mota seditione sine Ducum suorum mandato Rhenum trajecissent, eorumque Præfecti, alias imperare soliti, tum intentatæ mortis metu militum jussa exequi cogerentur, Galassus haud ultra tempestive laboranti urbi succurrere valuit: unde die vigesima nona Junii Mulheimius re ad extrema deducta, deditionem honestis conditionibus pactus est, civibus incendium, urbisque deprædationem triginta octo florenorum

rum millibus redimere coactis. Postmodum Valeta collecto recenti milite Cæsareos ab Hagenoæ & Drusenheimii obsidione depulit. Minus vero prospere Condæo Principi successit in Burgundiæ Comitatu Dolanæ urbis obsidio; quamvis enim assidua tormentorum explosione ædes in rudera, & mænia in saxorum congeries convertisset, nihilominus invictam obsessorum fortitudinem frangere haud poterat; horum enim animos non modo Bisuntinus Episcopus suis hortationibus, sed præcipue Lombrius & Carolus Lotharingiæ Dux, qui cum valido exercitu accurrerant, ad tantam vincendi ac vindicandi aviditatem accenderunt, ut Lotharingii & Burgundiones deficiente pulvere pyrio, glandibusque plumbeis Gallos saxis propellerent, eosque desideratis suorum aliquot millibus ad solvendam obsidionem cogerent: Hoste digresso obsessi non modo ingentem belli apparatum in Gallorum castris, sed & magnam cibariorum copiam, unde milites inedia pene enecti abunde refici poterant, occupabant. Sæc. XVII. A. C. 1636.

Postea Galassus Lotharingiæ Duci junctus unacum quadraginta equitum peditumque millibus in Burgundiam latius penetrabat, tot tamen itineris molestias perpessus, ut magis cum

Sæc. XVII. A. C. 1636

luto, & undis, quam cum hoſte luctari coactus, plusquam ſeptem ſuorum millia amitteret: tandem vero poſt mutuas velitationes vario Marte commiſſas Mirablæum exeunte Menſe Octobri, pervenit, hocque oppidum, cum deditionem negaret, incendio delevit, arcem vero honeſtis conditionibus cepit: promotis inde caſtris Laudonam urbem ad Somnæ litus ſitam cinxit, cum vero obſeſſi validis ſuppetiis aucti identidem erumperent, atque ex aſſiduis pluviis flumen novis undarum acceſſionibus adauctum non minus quatuor millium paſſuum ſpatio exundaret, imo ipſa etiam valla & aggeres, caſtra, bellique tormenta tanquam in naufragio fluctuarent, nilque reſtare videretur, niſi ut milites longa fatigatione, innumerisque moleſtiis confecti unaomnes perirent, hinc Galaſſus inedia, rerumque omnium inopia preſſus conclamatis vaſis cum laceri exercitus ſui reliquiis a Burgundiæ finibus exceſſit, transmiſſoque Rheno in Germaniam reverſus eſt, glorioſior absdubio futurus, ſi ei cum ſolis Gallis, non item cum fame & cælo conflictandum fuiſſet.

§. XXV.

Cæſarei atque Hiſpani in Gallias cum exercitu effuſi.

Interea

Interea Ferdinandus Cardinalis, Thomas Sabaudiæ Dux, necnon Gallassus Comes ex altera Galliarum parte, quæ Belgium spectat, cum quadraginta armatorum millibus Picardiam invasere, ac præprimis die octava Novembris Ferdinandus Capellum quinque dierum obsidione subegit, & Guisia, Veninaque expugnatis, quicquid est regionis inter Somonam & Oysam, Royam, Corbeium, Castellatum, pluresque alias urbes nullo ferme negotio in suam redegit potestatem, incassum victoriæ cursum morante Suessionensi Comite. Hunc enim Joannes de Werth paulopost assecutus, fusis duobus Gallorum millibus ceteros Noviomum usque in fugam egit, cæsisque quingentis, captoque Boniveto Marchione cum aliis sexcentis ad ipsa Parisinæ Metropolis mænia copias tantumque terrorem circumtulit, ut plurimi primæ nobilitatis inde Aureliam, alioque profugerent. Ludovicus ergo Galliarum Rex tot undique invadentium hostium strepitu excitus, omni, qua potuit, celeritate quinquaginta duo Nobilium, plebæiorumque millia contraxit, hosteque ultra Somonan repulso Royam, aliaque nonnulla oppida, ac denique etiam post bimestrem obsidionem Corbeium recuperavit, quam urbem

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Calmet l. c. Ferrer. cont. Hist. Hisp. cap. 1. t. 12.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

bem Richelius Cardinalis sexto post deditionem die victor ingressus est. Inde Rex Hispanos in Belgium & hiberna rejecit, Cæsareos vero non clade, sed fame ad incitas redactos reverti compulit.

§. XXVI.

Leodiensium turbæ.

Lotich. rer. Germ. part. 2. l. 30. Jæger. hist. Eccl. l. 6. c. 6.

Sub idem ferme tempus turbæ satis periculosæ Leodii fuerunt exortæ; cum enim Ernestus Colonienſis Archiepiscopus Consules eligendi potestatem sub annum hujus sæculi tertium a Patriciis ad populi Tribus transferret, innato vulgi vitio, quod ex insperata dignitate semper luxuriat, bellum ex seipsis mutuas per discordias & litigia sufflabatur: mox enim novi hi dictatores in factiones sectasque scissi in annuis Consulum comitiis nil nisi seditiosis verbosisque jurgiis, altercationibus & rixis, mutuisque criminationibus inter se pugnare videbantur, quocirca Ferdinandus Archiepiscopus rursum comitiorum jus a populo ad Patricios authoritate Cæsarea revocavit: anno autem hujus sæculi vigesimo nono populus prioris authoritatis dulcedine pellectus, exclusis honoratioribus, Consules novos ex rudiore plebe eligebat: inde

inde vero annuæ seditiones, & tumultus, urbsque in duas sciſſa factiones, scilicet Patriciorum, & plebeiorum. Hi autem numero viribusque priores prævalebant, ac plebeios semper Consules creabant: Præterea Gallorum rebus contra Cæsarem studere videbantur: ut ergo graviora mala ex clandestinis eorum consiliis oritura tempestive præpedirentur, jussu Cæsaris, inscio tamen Maximiliano Electore Bavaro, Joannes de Werth cum legionibas aliquot Cæsareis Leodiensem ditionem ingressus, in hibernas stationes recipi postulavit; cum vero cives non modo repulsam darent, sed & sumptis armis Cæsareos, cæsis ferme quadringentis, repellerent, Werthius Mosa amne ad Maseccam trajecto late prædas egit, propiusque ad urbem copias suas admovit, extrema quævis denuntians, ni sese Cæsari submitterent. His tamen minis Leodienses minime territi, Lotharingiæ Ducem cum auctiore exercitu advolantem ad obsidendæ urbis necessitatem adegerunt; unde civium opulentiores Namurcum, inque alia tutiora loca sese cum rebus suis receperunt: Diu tenuit hæc obsidio, minore civium damno, quam agrestium, qui ingentibus incommodis afflictabantur. Tandem vero Lotharingiæ Duce cum suis

Sæc. XVII. A.C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Leodio Dolam digreſſo, Joannes de Werth obſidionem ſolvit, ac demum Cæſar per Joannem Ludovicum Naſſoviæ Comitem, Ferdinandus vero Hiſpanus Belgii Gubernator per Marchionem Ledanum diſſenſionis componendæ arbitros egerunt, quorum etiam opera Leodienſes omne obſequium Cæſari ac Principi ſuo polliciti ſunt, dummodo ſalvis eorum privilegiis deinceps ab inſuetis exactionibus, hibernis aut hoſpitiis, necnon ab hujus anni cenſu, quem ob hoſtiles Werthenſis depopulationes ſolvendo impares eſſent, immunes haberentur. His igitur conditionibus admiſſis, & utrinque firmatis tandem gravis hæc diſcordia ad tempus exſtincta eſt.

§. XXVII.

Bellum in Italia inter Hiſpano-Cæſareos, & Gallos.

Hiſt. del Galeazz. Gualdo lib. 11. *Bruſſon. Hiſt. d' Ital. l.* 4. *Nani Hiſt. Venet. lib.* 10.

Hoc item anno bellum in Italia majore, quam antea, furore geſtum eſt; poſtquam enim Rohanæus Dux Venetiis, quo poſt Rupellenſem cladem aufugerat, a Ludovico Galliarum Rege evocatus, cæſis Hiſpanis Cæſareisque Valtellinam Gallico imperio vindicaverat, victricia ſua arma in Italiam transferre jubebatur, inde pariter Cæſareos

Sæc. XVII. A. C. 1636.

fareos propulsurus. Incurrebat insuper Gallorum odium Franciscus Mutinæ Dux, pro hoste habitus, eoquod Gallico fœderi accedere recusans, copias suas Hispanis junxisset: Eapropter adversus hostiles Villæ Sabaudi Marchionis necnon Odoardi Parmensis Ducis invasiones, Jacobi Guzmani Leganensis Marchionis, Mediolanensis Gubernatoris opem implorare compellebatur: horum suppetiis auctus, Parmensem unacum copiis suis e Mutinensi ditione expulit: Leganesius quoque in Parmensi Ducatu cis Padum, & Hispani in Piacentina & Pedemontana ditione plures occuparunt urbes. Horum victoriis territus Sabaudiæ Dux, unacum Crequio Belliduce Gallo in Mediolanensem Ducatum irrumpens, incensis pluribus oppidis, occupatisque circumvicinis Urbibus Mediolanum expugnare parabat, civibus vero a Trivultio Cardinale & Archiepiscopo ad strenuam defensionem animatis, Crequium cum valido Gallorum agmine Ticinum trajicere jussit, quem tamen Leganesius prope Buffarolam assecutus, die vigesima tertia Junii toto impetu aggressus est. Concurritur utrinque invicta vincendi aviditate; jamque in sextam diei horam, cum diluculo cæpta, dimicatio prorogatur. Tum penes

Hispa-

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Hiſpanos ſine controverſia ſtabat ſumma victoriæ. Sed tanta erat Gallorum pertinacia, tam infracta virtus, ut ne victi quidem palmam concederent, donec tandem denſa nox utrumque exercitum prælio ad alias ſeptem pene horas protracto exemiſſet. Diſceſſum itaque æquato pene decore ac clade, niſi quod poſtmodum diſſenſione inter Sabaudiæ Ducem, & Crequium invaleſcente, ac certatim alium alio velut infauſti certaminis cauſſam criminante, Hiſpani in Pedemontium, & Parmenſem Ducatum libere ſeſe effundendi copiam nacti fuiſſent.

Ferventibus hiſce tumultibus, Urbanus Papa magno curarum æſtu Italiæ pacem reddere adlaborabat, ac primo quidem, ut Mutinenſem & Parmenſem Duces inter ſe conciliaret, Melinium Foro-Cornelienſem Epiſcopum ablegabat, non ſine proſpero ſucceſſu, quippe Papæ monitis acquieſcens Mutinæ Dux poſitis armis potiſſimam exercitus ſui partem ſacramento ſolvit; pari quoque promovendæ reconciliationis ſtudio accendebatur Ferdinandus Hetruriæ Dux, qui propriæ ſuæ ſecuritati intentus, Parmenſem Ducem a bellica Gallorum ſocietate avertere, totis viribus nitebatur. Die autem vigeſima ſexta Martii Couvrius Marchio Franciæ

ciæ Legatus Romam venerat, hæc a summo Pontifice efflagitans. I. Regiæ classi in Centum-cellæ portum invehere, & II. Decimas ex bonis sacris in universo Regno ad belli expensas colligere, Regi liberum sit. III. Neapolitano militi transitus ad Mediolanensem ditionem denegetur. IV. Cardinalis Valeta deinceps stipendia sub Gallorum signis facere, non prohibeatur. Verum Pontifex respondit, quod Regiis transitum concedere, aut Neapolitanis denegare sine Cæsaris Hispanique Regis offensione haud posset, decimæ vero nonnisi ad bella contra Infideles concedendæ forent, ac denique Valetæ negotium sacri Collegii judicio relinquendum. Cum vero Franciæ Rex nihilominus bellum toto ardore prosequi statuisset, proin & Hispani vices repensuri Parmensem ditionem infestare pergerent, hinc summus Pontifex pacis negotium pro viribus promoturus, per Melinium Nuntium suum Serbellonio & Leganesio Hispanis Ductoribus præcepit, ut nulla mora ex Parmensi Ducatu utpote Sedis Apostolicæ feudo copias suas educerent, Duci vero datis literis mandavit, ut ex alienis ditionibus militem suum se evocasse intra unius Mensis spatium scriptotenus testaretur, secus Parmæ & Piacentiæ Duca-

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Ducatus primo occupanti essent relinquendi. Acriter de hoc mandato apud Pontificem querebatur Estræus Gallici Regis Orator, inclinatis tamen Gallorum rebus Ludovicus Rex Ducem sibi fœdere junctum tum nil nisi vagis promissis juvare poterat, aliunde vero proxima Metropolis suæ expugnatio ab Hispanis intentata, imminensque exinde exitium suum, necnon suæ uxoris lacrimæ, & subditorum calamitates sensim bellicosi Ducis ferociam tantopere temperabant, ut proniores ad pacem aures præbere videretur: Instabant igitur Pontificis nomine Ambrosius Carpegna, & Dominicus Pandulfus ex parte magni Etruriæ Ducis, qui Hispanos inter & Ducem concordiam reddebant, ea lege, ut Dux rescisso Gallico fœdere, dimissisque Francicis præsidiariis in pristinam amicitiam cum Hispanis rediret, ac vicissim Mediolanensis Gubernator restitutis, quæ occupasset, locis ex Parmensi & Piacentina ditionibus Hispanos milites educeret. Firmatis hisce pactis saltem inter Hispanos, & Parmenses non sine summo populi jubilo pax restituta est.

§. XXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

§. XXVIII.

Concordiæ pacta inter Ferdinandum Cæsarem & Turcarum Imperatorem.

Anno priori Ferdinandus II. Imperator, firmata pace Pragensi, pariter stabilita cum Turcis concordia obsequentibus tranquillitatem reddere, rebellibus vero validiora arma opponere stategit: hanc in rem Joannem Rudolphum Bucheimii Comitem Constantinopolin ablegabat, qui die trigesima Martii in urbem solemni pompa delatus querebatur, quod Turcæ & præcipue Budensis Bassa insuperhabitis nuperæ pacis articulis omnem opem Suecis, aliisque Cæsaris hostibus offerant, varia oppida Christianis eripiant, alia in Hungariæ finibus muniant, subditos immodicis tributis, & donationum exactionibus exhauriant, necnon in Catholicorum ditiones excurrant, secumque fœminas, infantesque abstrahant: Petebat insuper Legatus, ut deinceps Cæsareis Nuntiis liber transitus permittatur, nec eorum literæ aperiantur: Injunctum quoque eidem, ut adversus Franciæ Oratorem reclamet, quod Regis sui nomine titulum *Protectoris Religionis Catholicæ, ac Orientalis*

Priorat. hist. Ferd. II. part. I. l. 9. Khevenh. annal. p. 1954.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

lis Ecclesiæ sibi attribui, necnon Monasteria in Ottomanico Imperio & Tartaria præcipue Jerosolymis nonnisi a Gallicæ Nationis Religiosis incoli postulasset. Cunctis hisce Cæsarei Legati petitis Amurates Imperator annuit, decretoque Viennam Prisvaro Bassa petiit, ut missis utrinque Deputatis Vaezii in proximo conventu ceteræ componerentur controversiæ.

§. XXIX.

Ragotsii Transylvaniæ Principis bellum contra Bethlenium.

Joan. Bethlen. rer. Transylv. lib. 1. Khevenhill. Annal. Ferd. tom. 12. p. 2146. Brachel. Hist. temp. lib. 5. Pannon. bell. & Pac. part. 1. p. 374. Ortel. contin. Chron. Hung.

Tandem veteres Ragotsium inter & Bethlenium simultates in apertum prorupere bellum; Georgius enim Ragotsius, postquam Transylvaniæ Principatum conciliatis Procerum suffragiis, excluso Stephano Bethlenio, sibi soli vendicaverat, unice eo intentus erat, ut universam Bethleniorum familiam penitus extirparet: nec ad id varii deerant obtentus; cum enim David Zalamius Stephani Gener duo circiter Hungarorum millia pro Suecis contraxisset, Ragotsius Bethlenios imperio imminere suspicatus, fusis hisce copiis Zalamium in carceres conjecit, & Petrum Bethlenium Stephani Filium sub obtentu perpetrati homicidii dire

inse-

infectatus est: inde vero exacerbatus Pater, clam e Transylvania Budam se-cessit, ac Turcarum Imperatoris opem adversus iniquas Ragotsii oppressiones efflagitavit. Nec vanæ erant Bethlenii preces; mox enim bellum contra Ragotsium Constantinopoli denuntiatur, missisque viginti quinque Turcarum millibus Budensi Bassæ, ut nulla mora, revocato in Transylvaniam Bethlenio, inde Ragotsium armis expelleret, demandatur. Ragotsius igitur cognita Turcarum perfidia a Ferdinando Cæsare auxiliares copias petiit, quibus submissis Budensem Bassam, qui unacum Bethlenio Varadinum versus moverat, prope Szalontam oppidum aggressus, ductore Sigismundo Cornisio hostem fudit, fugavitque, cæsis Turcarum plusquam mille quingentis, ac totidem ferme aqua haustis; occubuere etiam Cassovienſis, & Bosnanienſis Bassæ, ipse quoque Bethlenius in Thraciam usque rejectus est, captis insuper pluribus Turcicorum Equitum Tribunis. Tandem Budensis Bassa collecto ex fuga exercitu Lippæ castra metabatur; Ragotsio autem Principe prope arcem Jenciensem aciem ordinante, Bassa semel atque iterum gravi clade prostratus, devastatis plusquam mille Turcarum urbibus, pagisque, ex Tran-

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

sylvania aufugit, ab Amurate Ottomano Imperatore ob infauſtum hujus belli ſucceſſum laqueo ſuffocatus: Demum annuente eodem Imperatore per Legatos mutuum fœdus inter Ragotſium & Bethlenium eſt innovatum, cunctaque eidem ſuisque bona fuere reddita, quin tamen ſincera unquam amicitia inter eos coaluiſſet.

§. XXX.

Ferdinandus III. in Cæſarem Ratisbonæ renuntiatus.

Hiſt. Eccl. Jæger. p. 560. Brachel. Hiſt. temp. p. 257. Priorat. Hiſt. Ferdinand. II. p. 1. Annal. Khevenh. com. 12. p. 1880.

Magis ſincera erat pacem reddendi voluntas in Ferdinando II. Cæſare, qui, ut turbulentis hiſce temporibus Imperio proſpiceret, Ratisbonam Electorum comitia ad quintam Septembris diem indixit: ipſe vero die ſeptima Auguſti eo adventans, Saxoniæ Electorem, ut ipſus intereſſe vellet, datis literis vehementer, incaſſum tamen, ſollicitabat. Intererant tamen ejusdem Oratores, præter Bavariæ, Moguntiæ, & Coloniæ Electores, & Brandeburgicos Legatos. His die decima tertia ejusdem Menſis ſcriptotenus Cæſar expoſuit, quod ipſe ſub gravi hactenus Imperii & curarum onere ad tantam paulatim virium, ac valetudinis imbecillitatem devenerit, ut diutius tanto pon-

ponderi ferendo impar esset; quocirca cuperet atque exoptaret, ut Electores sibi de socio laborum, & Imperio de Romanorum Rege prospicerent: cum id non minus ad Cæsaris solatium, & levamen, quam ad Imperii tranquilitatem pertineret, eoquod nil luctuosius accidere posset, quam si hoc turbatissimo rerum statu Imperium sine Rectore, sine Capite relinqueretur. „Nec diu hæsitandum foret, quisnam „ad hoc fastigium evehendus sit, cum „Deus Cæsari Filium dederit, jam „Hungariæ & Bohemiæ Regem, a te„neris inter Regna & Gubernacula na„tum, & nupera Nordlingensi victoria „de Imperio optime meritum, qui ab „eo tempore Imperialis militiæ Regi„men feliciter inchoatum, adhucdum „pari prudentia & felicitate gerere.„ His Cæsar plura de Pace Pragensi per Imperium recipienda subjunxit, rogans, ut de communi tandem tranquillitate, pacandaque Germania, Electores junctis viribus ac consiliis deliberarent. Post hæc Electores habitis inter se consultationibus præcipue inquirebant, quomodo Galli Suecis uniti e Germania forent dimovendi, & an omnes nupera Pragensi pace excluſi ad illam recipiendi essent? cum vero Electores Ecclesiastici & Bavarus pari

Sæc. XVII. A.C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

cum Cæsare propensione in reddendam Germaniæ pacem ferverent, pleraque ad Ferdinandi nutum peragebantur. Decernebatur itaque tractatui cum Suecis ineundo in Aula Cæsaris locum esse dandum, cui nomine Collegii Electoralis Moguntinus & Brandeburgicus ita interessent, ut tamen ceteris, si velint, adesse liceret. Porro componendis Austriacos inter & Gallos controversiis, summus Pontifex sese arbitrum offerebat. Prosperum tamen consultationis successum sistebant Brandeburgi & Saxonis Oratores, necnon Regis Angliæ Legati, quorum primi cunctos Ordines Pragensi pace exclusos in perpetuæ oblivionis gratia comprehendi, Angliæ autem Legati Carolum Ludovicum Principem Palatinum, qui ipsus literis ad Collegium Electorale datis, publicisque scriptis jus suum tuebatur, præceteris restitui postulabant, declarantes, Imperii tranquillitatem haud esse sperandam, si hisce petitis satisfactum non fuerit. Nihilominus die vigesima secunda Decembris summo mane Electores ad Ecclesiam Cathedralem progressi, concordibus omnium votis Ferdinandum III. qui Brisaco Ratisbonam die decima quinta Octobris advenerat, in Romanorum Regem elegerunt, quamvis Saxo

Theatr. Europ. tom. 3. pag. 670. Londorp. acta tom. 4. pag. 676.

Saxo, usque dum universalis reconci- Sæc. XVII.
liatio fuisset concluſa, hanc electionem A. C. 1636.
furtra præpedire conaretur, & Palatinus contra eandem publico ſcripto reclamaſſet. Poſtea vero idem Ferdinandus Hungariæ Rex die vigeſima quarta Decembris ad ſervandam, ut vocant, capitulationem ſeſe juramento obſtrinxerat, inter alia præcipue pollicitus, quod tanquam Eccleſiæ Romanæ Advocatus Sedem Apoſtolicam, ſummum Pontificem, & Eccleſiam ſemper pro viribus tueri, profanam & Religioſam pacem ſervare, Eccleſiaſticis & Sæcularibus inique ablata reddere, necnon Principum, Nationisque Germanæ concordata cum ſummo Pontifice defendere, atque irrepentes corruptelas tollere velit. His, aliisque ſacramento firmatis, Ferdinandus ab Anſelmo Caſimiro Moguntino Archiepiſcopo inter conſuetos ſolemnis Sacri ritus inaugurabatur, novique Regis Conjux Maria Hiſpani Regis Soror ineunte anno ſequenti die undecima Januarii iisdem prope ritibus in Romanorum Imperatricem initiata unctaque eſt.

His ſubjungere lubet juramentum, quo pro more veteri Cæſar poſt ſui coronationem ſe obſtringere jubetur, proin Acatholici a Cæſarea dignitate arcentur: *Profiteor & promitto coram Deo &*

Sæc. XVII. A. C. 1636

angelis ejus, amodo & deinceps, legem & justitiam, pacemque Dei Ecclesiæ servare, populoque mihi subjecto prodesse, & justitiam facere, & conservare, jura Regni salvo condigno Divinæ misericordiæ respectu sicut cum consilio Principum, & fidelium Regni, atque meorum melius invenire potero Sanctissimo Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ, cæterisque Pontificibus, & Ecclesiis Dei condignum & canonicum honorem volo exhibere, ea etiam, quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiæ, seu Ecclesiasticis Personis collata sunt, & erogata inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari. Abbatibus & Ordinibus, & Vasallis regni honorem congruum volo exhibere, Domino nostro Jesu Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem, & decorem.

Præterea Ferdinandus decreto Romam Joanne Eggenbergio Principe die decima sexta Novembris anno hujus Sæculi trigesimo octavo filiale obsequium summo Pontifici exsolvit. Pontifex vero Ferdinandi electionem, nulla tamen facta Collegii Electoralis mentione, jam antea solemni ritu approbaverat.

§. XXXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

§. XXXI.

Malevolorum cavillationes contra hanc Ferdinandi electionem.

Hanc Ferdinandi electionem indigne ferebant Proteſtantes, ceterique Cæſaris hoſtes, & veluti plagam aliquam profundius, quam unquam credi potuiſſet, in pectus demiſere, eoquod in Filio haud minorem quam in Patre Religionis Catholicæ ardorem, necnon inique ablata bona Eccleſiaſticis reddendi ſtudium proſpicerent: tantum in Sectariis communi juſtitiæ bono prævalere ſolet Eccleſiaſticos ſpoliandi & ſpoliata retinendi cupiditas. Ut vero ſuam temeritatem ſpecioſo honeſtarent obtentu, Bullam auream, moremque antiquum fuiſſe violatum cauſſabantur, eoquod ad Regis Romanorum electionem vocatus non fuiſſet Trevirenſis Elector, adhuc Viennæ in cuſtodia detentus: inde vero electionem minus legitimam exſtitiſſe, comprobatum reddebant exemplis Conradi III. Anno 1139. Philippi Suevi Anno 1198. & Maximiliani I. Anno Chriſti 1486. & Ferdinandi I. Anno 1531. quorum electiones, utpote vel inconſulto vel abſente, aut contempto duntaxat uno ex Electoribus factæ, impugnatæ fuerunt. Vocabatur

Puffendorff. l. 9. §. 65. After. Exam. comit. Ratisb. Oſterman. legit. Ferd. coron. Ludolph. l. 36. c. 2. n. 62. Siri mem. recond. Vol. VIII. p. 408.

Sæc. XVII. A. C. 1636

batur insuper in argumenti subsidium ipse etiam Ferdinandus II. Imperator, qui sub comitiorum auspiciis suaserat, ut Elector Trevirensis cognita caussa vel exauctoraretur, vel in ejus locum alius, qui suffragium ferret, eligeretur, quamvis ceteri Electores id facere renuissent, eoquod tanquam Ecclesiasticus apud summum Pontificem prius accusari, ejusque jussu capi, judicarique debuisset. Hæc, pluraque alia adversus Ferdinandi III. electionem spargebantur, quæ Tilemanus Stella sub ementito nomine *Justi Asterii* anno sequenti in suo *examine Comitiorum Ratisbonensium* fusiori calamo prosecutus est. Hunc tamen præter alios Petrus Ostermannus Consiliarius Cæsareus egregie refellebat edito libro, cui titulus: *Anticrisis Examinis novissimorum Comitiorum Ratisbonensium*, cum jam antea hanc in rem edidisset librum de *legitima & Germana Regia Romana corona.*

§. XXXII.

Fanatici cujusdam Reformatoris rebellio, & supplicium.

Khevenh. Annal. Ferd. II. tom. 12.

Ab eo tempore, quo Calvinus & Lutherus sub jactato Ecclesiam Romanam a corruptelis expurgandi obtentu suam quisque sectam magnis incrementis

tis procuderant, pene innumeros orcus progerminavit, qui pariter se a Deo ad reformandum vocatos, veroque S. Scripturæ intellectu & Spiritu illustratos mentiti, sua deliria velut totidem purioris Evangelii articulos venditarunt. Hos inter haud infimus erat in superiore Austria quidam rusticus, qui se futura prædicendi gratia, utpote medio ad multorum corruptelam potentissimo, a Deo præditum fingens, concionibus suis non paucos dementabat, præcipue in vulgus spargens, se ab Angelo jussum fuisse, ut universam Provinciam legendo, cantando & concionando circumiret, plebemque ab amplectenda fide Catholica, Confessione & Communione averteret, & a Lutheri secta reversos damnaret. Insuper summa impudentia comminiscebatur, se non raro a Filio Dei visitatum, ab eodemque cum suo scorto, dum semel cum illo concubuisset, matrimonio fuisse junctum. Horrendas hasce, pluresque alias blasphemias hic dæmonis Minister, novumque spuriæ Reformationis monstrum fronte (uti exercitatæ fallaciæ, ac novaturientes nebulones solent) inter Magistrum & Imperatorem media, libere spargebat, unde sensim ingens rusticorum multitudo, quasi Divini Verbi virtute hujusque

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636. Prædicantis rationum congerie, victa & immutata, ad extremum in impostoris sententiam pedibus ac propalam concessit: quocirca Magistratus, ne nova hæc pestis latius serperet, hunc fanaticum in vincula conjici jussit; cum autem inde ad Schallenbergii Comitis preces ereptus fuisset, ac segniores essent de more, qui hanc flammam comprimerent, quam qui ventilarent, eo crevit incendium, ut nonnisi plurimorum sanguine extinqui posset; quippe hic idem Impostor recuperata libertate in Alpibus plusquam mille potissimum mulierculas in partes suas pertraxerat, plurimosque viribus valentes, & sclopis, hastis, & fustibus armatos circumducens, per Speyereggam urbem hoc anno die vigesima sexta Aprilis cum suis transitum sibi concedi petiit, quo denegato respondit Prætori, „se nec vim, nec incommodum ulli allaturum, sed duntaxat, quæ sibi Deus „præcepisset, executurum, quoniam „vero Verbum Dei, sanctamque Cru„cem ab eo accipere detrectarent, se „excusso de pedibus pulvere eos dere„licturum.„ Comperta hac seditione Kuffsteinius Comes Provinciæ Præfectus omnem curam impendit, ut horum rebellium tumultus tempestive sedarentur. Verum hi altera die Luffenber-

tenbergam profecti, Schallenbergium, Comitem qui eos ad ſaniora reducere nitebatur, circulo incluſum, intentatis ad caput ſclopis tam arcte preſſerunt, ut ægre mortis periculum evaderet; inde vero in proximam Sylvam profugi, ibidem juxta ſectæ ſuæ ritum cantillenis, & concionibus in Magiſtratus contemptum impune vacarunt: Haud coercita eorum pervicacia, gravioriſque mali periculo Meganeſius Comes contracto popularium agmine illos adoritur, trucidatis eorum nonnullis: cum vero numero & audacia prævalerent ruſtici, ipſemet non ſine magna ſuorum clade Steyereggam trajecto Danubio aufugere compulſus eſt. Creſcente autem eorum petulantia, quæ plerumque primis proſperisque ruſticæ temeritatis ſucceſſibus ſubſequi aſſolet, ſupremus Provinciæ Præfectus, necnon Caſparus Comes Stahrenbergius cum ſeptingentis militibus Lufftenbergam movebant, hosque rebelles, qui ex diruta quadam Eccleſia propugnaculum exſtruxerant, primo monitis, demum militaribus minis ad officium revocare nitebantur: ſeditioſis autem hoſce Oratores nequidem audire dignantibus, Præfectus illos ſtrenue inſequi juſſit. Dimicatur utrinque ſumma vi & contentione, tandem vero

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

vero post acre trium horarum certamen Ecclesia occupatur, repressoque rebellium impetu, necnon Rustico hujus seditionis Auctore, ejusque scorto captis, ceteri ferme omnes jugulantur. Tandem instructis in reos judicii actis hic fanaticus Linzium deductus, ibidem securi percussus est, capite ad urbis portam affixo. Hunc denique exitum habuit infelix ille Lutheri reformantis imitator, in hoc tamen solo felicior ipso suo Protoparente, quod sincera scelerum suorum accusatione facta, ejuratisque erroribus in Catholicæ fidei professione obierit, factique pœniteus melius animam egerit, quam vitam.

§. XXXIII.

Alius Fanaticus Impostor in Borussia capitali sententia damnatus.

Jæger. Hist. Eccl. l. 6. c. 8. Brachel. Hist. temp. lib. 5.

Hoc item anno apud Regio-montem in Borussia novus exurrexit fanaticus Propheta, qui haud contentus, quod se ad revocandam Evangelii puritatem a Deo vocatum spargeret, insuper sibi a septem Angelis manifestatum fuisse mentiebatur, se eo fine in terram venisse, ut Dei Patris Personam in carne exhiberet, & sæculares Magistratus in virga ferrea compesceret, hanc-

hancque in rem duodecim fidei articulos promulgare jussus esset. Erat is Joannes Adelgreiffius, qui Hebraicam, Græcam, Latinam, Polonicam, Lithuanam, & Curlandicam calleus linguam, in verba singula errorum fumos & mendacia venditabat, tot decipulis insidiosa, quot simplices aures nanciscebatur: ut vero somniis suis apud rude vulgus fidem faceret, variis aërë, cæloque præstigiis dæmonis ope patratis incautorum mentes, & animas & salutem oppugnabat. Igitur ad Magistratum delatus, & in vincula conjectus, cum non modo harum fraudum, & veneficiorum, sed & plurium insuper adulteriorum reus cognoscereturr, ad mortem damnatus est. Ille autem hanc sententiam vultu ad hilaritatem risumque composito excepit, identidem affirmans, se tertia post die resurrecturum a mortuis: ut ergo hic fanaticus ad supplicii locum deductus saltem terrore mortis ad saniora reduceretur, carnifex cuncta supplicii instrumenta ejusdem oculis exposuit: persistit ille nihilosecius in asseveratione, frontis, orisque ferrea contumacia contestatus, mortem, nisi quamdiu voluerit, contra se, utpote Deum haud prævaliturum: cum ergo nulla pœnitentiæ spes esset reliqua, carnifex die unde-

Sæc. XVII. A.C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

undecima Octobris huic impostori cervices abscidit, & truncum in rogum projecit, flammis absumendum, cujus anima mox ad acerbiora supplicia, & diuturniora esset translitura.

§. XXXIV.

Tiberii Muti Cardinalis obitus.

Ciacon. in vita Pauli V. pag. 435.

Ex Purpuratis, qui hoc anno extremum egerunt diem, nonnisi duo occurrunt, quorum prior erat Tiberius Mutus patria Romanus, & Paulo V. affinis. Hic ab eodem Pontifice Viterbiensis, & postea Tusculanus Antistes, ac demum Cardinalis Presbyter renuntiatus, Ecclesiam Sponsam suam semel sibi concreditam nunquam reliquit, sed per viginti quinque annos assidua fovit præsentia, summoque gregis sui proventu perlustravit, habitaque Synodo tam Clerum, quam populum verbo, legibus, & exemplo pavit. Quamvis vero oppido tenues possideret facultates, non modo tamen suam dignitatem sat honorifice sustinuit, sed etiam in pauperes largas effudit opes. Tandem restaurato Episcopali Palatio annos natus septuaginta duos die decima quarta Aprilis rebus humanis valedixit, in sua Cathedrali tumulatus.

§. XXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

§. XXXV.

Franciscus a Dietrichstein Cardinalis vita functus.

Hunc eadem fati necessitate sequebatur Franciscus, ex nobilissima Bohemorum familia de Dietrichstein ortus, qui ex paterna veluti hæreditate Religionis studium, & novitatis sectariæ odium adeptus, in Moravia a vera fide devios verbis castigabat ut Princeps, monebat ut Pater, coercebat ut Judex; Juvenis adhuc ad pacandos Reges Legatus Roma Viennam cum summa potestate, decernebatur; inde vero a Clemente VIII. in Urbem revocatus, summo Pontifici a cubiculis, secretisque consiliis fuit, ob morum candorem, & affabilem gravitatem ab omnibus maximi habitus. Postea ab eodem Pontifice juxta S. Philippi Nerei vaticinium Romanam Purpuram, necnon Olmutzensem Episcopatum adeptus, Anabaptistas tota Provincia exterminatos bonorum communione privavit, ceterosque hæreticos ab errore reducere, perduelles retundere, & Imperii Statum stabilire summo studio conatus est: inde vero gravissimas vexationes (pedissequa Apostolici Zeli stipendia) in caput suum sibi accersivit, a rebellibus

Khevenhill. Annal. Ferd. tom. 12. p. 497. & 1953. Ciacon. in vita Clem. VIII.

Marienberg elog. hero. Dietrich.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

libus Moravis Brunæ capitur, omnibusque bonis ac dignitatibus exutus, poſtea ab impio quodam agmine inter concionandum ſaxorum grandine impetitur, & a furioſis quibusdam Proteſtantibus jam eo deſtinatur, ut ex altiſſima turri præceps ageretur: nullum tamen vitæ periculum ab immoto Religionis tuendæ ſtudio eum unquam deturbare poterat: quocirca non modo ad pacandas diſſenſiones inter Rudolphum Cæſarem & Matthiam ejus fratrem ſelectus, ſed inſuper in graviſſimis Imperii negotiis tempore ſeditionis in Cæſares & Catholicos motæ ad eundem Matthiam & Ferdinandum II. Imperatores Legatus decernebatur, viciſſim quoque a Cæſare ad Clementem Papam pro ſollicitandis contra Turcas ſuppetiis Romam mittebatur: Præterea Stephanum Bulskaium, qui in Moraviam irrumpere parabat, terga dare coegit, Bethlenium vero ad ineundam pacem compulit: Pariter Ferdinandum II. cum Maria Anna Bavariæ Ducis Filia, Matthiam Cæſarem cum Anna Auſtriaca, & Ferdinandum III. cum Maria Hiſpana tanquam *Legatus a latere* ſolemni precatione conjunxit, & Matthiam necnon Ferdinandum II. in Bohemiæ Reges inauguratus eſt, hujus vero Filium Ferdinandum III. &

& Mariam Annam Archiducissam aqua vitali abluit. Inter tot terrenarum dignitatum fastigia Franciscus nunquam ampliandi cultus Divini curam deposuerat; plurima quippe Templa vel a fundamentis erexit, vel splendidiora reddidit, aut proventibus, donisque auxit, multaque domicilia PP. Capucinis suo ære ædificavit. Demum magis pietate, quam purpura & auro fulgens, postquam hoc anno die decima octava Augusti, quæ Mariæ Reginæ natalis erat, Viennæ Sacrum solemne celebraverat, Olmutzium reversus, ibidem lethali corripiebatur morbo, inde tamen Brunam delatus, die decima nona Septembris supremum obiit diem, in Olmutzensi Ecclesia Cathedrali sepultus. Sæc. XVII. A. C. 1636.

§. XXXVI.

Principum atque illustrium decessus,

Inter celebriores illius ævi Principes eodem anno obiere Joannes Albertus II. Dux Megapolitanus, & Razeburgensis Episcopi Coadjutor necnon Augustus senior Brunsvici & Luneburgi Dux, quorum prior exuto Luthero Calvinum induit, a suis tamen Proceribus eo compulsus, ut circa Lutheranæ sectæ usum nihil in suo Du- *Khevenh. l. c. p. 2070. Jæger. Hist Eccl. p. 567. Brachel. Hist l. 5. p. 260.*

Sæc. XVII. A. C. 1636

catu immutare auderet: cum autem ſeſe Cæſaris hoſtem declararet, ab eodem proſcriptus, Ducatum ſuum Wallenſteinio relinquere coactus eſt, in quem tamen a Guſtavo Sueciæ Rege revocatus fuit. Deceſſit anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto: Alter erat Princeps animi magnitudine, reique militaris ſcientia præſtans, qui Razeburgenſis Pſeudo-Epiſcopus eujusdam civis ſui filiam duxerat, a Suecis dire vexatus, eoquod Pragenſi paci acceſſiſſet: obiit repentina morte die decima Octobris, annos natus ſexaginta octo. Pari fato vivis ereptus eſt Antonius Tholoſa natione Gallus Magnus Ordinis Melitenſis Magiſter. Hic quatuordecim omnino annis ſummo Religionis ſtudio, ac immortali gloria ſupremam Ordinis ſui Præfecturam usque ad annum ætatis ſuæ octogeſimum quartum geſſit, cui Joannes Paulus Laſcari Niciæ ortus ſucceſſit. Occubuit quoque die decima quarta Junii hoc anno plumbea glande trajectus ad Fontanettam, nullius ferme nominis propugnaculum Mediolanenſe, magnus ille Thoraſius, multis contra Anglos & Cæſareos præliis, victoriis, rebusque præclare geſtis inter Gallos Belli duces clarior, quam morte fortunatior.

§. XXXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

§. XXXVII.

Angliæ Regina in fidei odium a Puritanis vexata.

Jam anno hujus sæculi vigesimo septimo Prædicantes Angli Carolum Regem assiduis suis querelis ac calumniis eo induxerunt, ut cunctos Sacerdotes natione Gallos sub falso conspirationis obtentu e Regno ejiceret: his vero nondum contenti Puritani, non modo Catholicos contra juratam promissionem ipsis factam hoc anno conscientiæ libertate spoliari, sed etiam ipsimet Reginæ Mariæ Henrietæ Ludovici Galliarum Regis Sorori suum Confessarium, insuperhabitis ejusdem lamentis, & lacrimis amendari curarunt. De tanta impietate vehementer querebatur Franciæ Rex, verum nec datæ fidei sanctitas, nec coronati verticis reverentia, nec Reginæ suæ gemitus poterant Puritani cordis duritiem flectere, nullum ergo aliud afflictæ restabat solatium, nisi ut saltem literis, quas etiam summo in silentio mittere cogebatur, miserorum more, doloris sui acerbitatem apud conscientiæ suæ arbitrum pandere, ac deploraret. Huic ergo Regina ita perscripserat „Venerande Pater: „Oro & supplico, ut Deum pro me

Khevenhill. p. 2095. Vid. supra l. 195. §. 58. t. 58. p. 541.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

„exores: Absdubio nota tibi sunt omnia, quæ hucusque in me attentata sunt: omnium, quæ hic degunt, creaturarum miserrima sum; nullum enim omnino, cui me confidam, penes me habeo, ac desolata inter tam barbaram gentem vivere cogor: nulla mihi post Deum præter Matrem meam, spes alia supereſt: huic ergo, Reverende Pater, exponas velim miseriam, & amaritudinem, qua premor, & immori compellor, nisi eam amplectendi mihi copia detur. Puritanissim, eoquod me Catholicorum subsidio destitutam cernant, meæ etiam conscientiæ tantam vim inferunt, ut præ desperatione mori exoptem: Deus tamen adjuvabit me, nec de hoc dubito: nil quidem intentatum, inausumque relinquunt, ut me in conscientia mea perplexam reddant, aſt hisce assultibus, nonnisi firmior in Catholica fide efficior: Oret Deum pro me, lacrimarum copia, & singultuum violentia plura scribere prohibent: interim custodiat te Deus &c.„ Hi erant questus illustrissimæ cujusdam Reginæ contra subditos suos Calvinistas, qui nequidem a minimo, & ex fæce plebis vilissimo in suæ sectæ exercitio se turbari, permittunt, sed jactatam conscientiæ libertatem etiam armis contra legi-

legitimos suos Principes sumptis vindicant, eam vero, licet jurato promissam Regiæ Principi proterve denegant. Nempe apud eos conscientiæ libertas jam in usitatum Principes suos opprimendi, & Catholicos exterminandi obtentum evasit. Sæc. XVII. A. C. 1636.

§. XXXVIII.

Caroli I. Regis Angliæ edictum de nova Liturgia in Scotiæ Regno recipienda.

Anno priori Carolus Ludovicus, ejusque Frater Robertus Principes Palatini Londinum advenerant, Angliæ Regis opem imploraturi, ut pristinæ dignitati, bonisque restituerentur: quoniam vero jam antea Ferdinandus Imperator datis literis Angliæ Regem certiorem reddidisset, quod de hujus negotii successu haud dubitandum esset, quamprimum Angliæ Legatus in Palatinorum caussa Viennam mitteretur, hinc Carolus Rex unacum Palatini Principis epistola Thomam Howardum Arundeliæ Comitem Lintzium ad Cæsarem, alium vero Legatum ad Franciæ Regem, & demum Josephum Averium ad Oxenstirnium Sueciæ Cancellarium ablegabat. Rei tamen gravitas, atque opinantium dissimilitudo *Jæger. Hist. Eccl. l. 6. c. 6. Rapin Thoyras Hist. d'Angl. l. 19.*

Sæc. XVII. A.C. 1636.

prosperi successus spem eluserat; inde vero Angliæ Rex graviter commotus, revocato Legato suo se vim & arma adhibiturum minabatur, nisi Palatinus mox restitueretur. Nihilominus res adhuc intra verba, minasque stetit, eoquod jam tum Regis capiti gravissima a Puritanis immineret tempestas: præterquam enim, quod Rex, ut contra inopinam exteri hostis invasionem tempestive validam classem instruere valeret, inconsulto Senatu nova subditis tributa imposuisset, insuper gravius adhuc Scotorum odia, offensionesque in se concitabat, dum Edini, atque in ceteris omnibus Scotiæ urbibus novam Liturgiam, seu novum Ecclesiæ regimen, licet ab illo in Ecclesia Anglicana jam dudum recepto parum distaret, Regio edicto recipi præceperat; quamvis enim a spuriæ reformationis exordio sub Eduardi VI. regimine in Angliæ Regno semper Episcopatus servaretur, nec Angli Episcopis tum infensi essent, eoquod horum non pauci a vera fide devii novam sectam invehere, totis viribus laborassent, in Scotia tamen jam ab anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo, quo hæresis venenum, absente Regina, latius serpere, errorque fidei locum, eoquod per errantium contumaciam, & Pastorum

rum ſocordiam conſenuiſſet, tenere cæ- Sæc. XVII.
perat, Calviniſtæ Epiſcopos odio plus- A. C. 1636.
quam vatiniano inſectabantur, eoquod ii regnante Maria Regina apprime Catholica, ſeſe immoto Religionis ſtudio hiſce novitatibus oppoſuiſſent. Ita nempe eo tempore aut odium aut Novatorum favor novæ doctrinæ articulos revelabat, ac moderabatur: Cum vero Calviniſtæ in Scotia præprimis Epiſcoporum jugum excutere, intenti eſſent, publica tamen authoritate Epiſcopatum, vivente adhuc Maria Regina, abrogari deſperarent, hinc ea demum ſolio deturbata, ſexto poſt anno Helveticam Eccleſiæ diſciplinam, necnon inter Eccleſiæ Miniſtros æqualitatem privato auſu invexere, hacque ratione Epiſcopos ſaltem *ſacra jurisdictione* exueruut, illorum loco nonniſi Presbyteris & Synodis Nationalibus, quas *generalia comitia Eccleſiaſtica* vocant, inſtitutis, quibus plenum diſciplinam ſtabiliendi jus attribuerunt. Nec his adhuc contenti erant Scoti Calviniſtæ, ſed inſuper Epiſcopos omni *jure temporali*, ſcilicet in Senatu ſuffragium ferendi jure, necnon reditibus, privilegiis & honoribus ſpoliari, ipſumque Epiſcopi nomen aboleri poſtulabant. Hæc temeritas vehementer offendebat Reges, eoquod hi Epiſcopos & Abba-

Sæc. XVII. A. C. 1636.

tes nominandi jus sibi attribuissent, proin de eorum suffragiis in Senatu certi esse potuerint. Hac de caussa nequidem in Scotia Episcopatus quantum *ad jura temporalia* unquam auctoritate Regis vel Senatus fuit abrogatus; quinimo Jacobus VI. Anno sæculi prioris octogesimo quarto Episcoporum auctoritatem restaurare nitebatur, quamvis Parlamentum octavo post anno rursus Presbyterianum Regimen invexerit. Postquam vero Synodi Nationales dominandi libidine & ambitionis æstro excæcatæ immodicam, & ferme Regiam authoritatem sibi arrogare cæperant, Rex quinto post anno Episcopis & Abbatibus rursus sua suffragia in Senatu ferendi jus, *prout eo ante adulterinam reformationem potiti fuissent*, restituit, & postea, quamprimum ad Angliæ solium fuerat evectus, insuper Disciplinam, necnon Ecclesiæ Anglicanæ Hierarchiam in Scotiæ Regno invehere statuit: Hanc in rem nono hujus sæculi anno Episcopis primo cunctas *immunitates & jurisdictiones*, eorumque bona annuente Senatu, & demum in Glascuano Conventu omnia jura spiritualia reddidit, incassum reclamantibus Presbyterianis, qui præfatum Conventum, ut Episcoporum Regimen a se amolirentur, postea nullum esse, decla-

declarare præsumpserunt. Nihilominus Jacobus Rex, ut sensim Anglicanos ritus induceret, præprimis quinque ejusdem ritus articulos in Berthensi Conventu a Scotis Prædicantibus acceptari jussit, postea Magistratum seu tribunal, quod *supremam Commissionem* appellitabat, in Scotia, prout jam in Anglia invaluerat, instituit, eo fine, ut hujus Curiæ Ministri supremum in Sacra jus nomine Regis tanquam *Ecclesiæ capitis* exercerent: hunc enim titulum Scoti hucusque nunquam Regi attribuebant, proin nec ejusmodi tribunali indiguerunt: Rex vero per hunc Magistratum seu Inquisitores, Prædicantium, qui novo huic regimini, Regisque consiliis semper obluctabantur, petulantiam partim excommunicationis, partim exauctorationis pœna coercebat, ex quibus tamen nonnullos in Scotia partim promissis partim minis ad suas partes pertraxerat, horumque ope tandem Liturgiam, & Ecclesiæ Anglicanæ Canones in Scotiam invehere aggrediebatur: eapropter conventu Aberdoniæ habito congregatis Præconibus exposuit, hucusque in Scotiæ Ecclesia, Dei cultum indecenter fuisse habitum, eoquod ex Prædicantibus quivis pro suo arbitrio preces publicas componere ausus fuisset, ne-

Sæc. XVII. A.C. 1636.

Vid. supra l. 190. §. 194. t. 55. pag. 684.

Rusworth Vol. II. pag. 386. Clarendon t. 1. p. 134.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

ceſſarium igitur eſſe, ut Liturgia omnibus Scotiæ Eccleſiis communis introduceretur: caute autem Rex ſilentio preſſit, Liturgiam *Eccleſiæ Anglicanæ* eſſe recipiendam: cum ergo Prædicantes nonniſi Liturgiam in aliis Eccleſiis Calvinianis uſitatam, & ab Anglicana diverſam præſcribi crederent, Regis conſilio annuerunt, ac nonnullos, potiſſimum tamen Epiſcopos nominarunt, qui novam hanc Liturgiam conficerent. Hi vero nonniſi Liturgiam in Anglia ſub Eduardo VI. ſtabilitam tranſcripſere, eamque Jacobo Regi approbandam tradiderunt. Tum vero Rex rebus Palatinis, & Filii ſui nuptiis diſtentus, hoc negotium ultra urgere deſtitit: Carolus vero ejus Filius majori ardore perfectam æqualitatem inter Scotam, & Anglicanam Eccleſias ſtabilire decrevit, ac prævie ſupremam *Commiſſionem* ibidem reſtituit, Synodos Generales ferme penitus abrogavit, Epiſcopis plenum jus in Clerum attribuit, potiſſimos Prædicantium necnon Conſilii ſecretioris Miniſtros muneribus & dignitatibus conceſſis ad ſua ſtudia pertraxit, ad Senatum plurimos Epiſcopos adſcivit, ac denique Laudo Archiepiſcopo Cantuarienſi negotium dedit, ut Scotiæ Epiſcopos & Senatores ad ſua vota pellicere

cere satageret. Demum vero Proce- Sæc. XVII.
rum animis sibi devinctis Rex populi A.C. 1636.
hac ratione dispersi, & capite, rectore, gerendorumque dictatore, & Magistratus ope destituti repugnantiam flocci habuit, moxque Liturgiam ab Episcopis concinnatam in Scotiam transmisit, addito præcepto, ut in Ecclesia reciperetur, & gubernatio Ecclesiarum Episcopis restitueretur, instituto ad id speciali Magistratu, qui omnes ad observationem hujus legis compelleret, & ubi opus esset, ad normam Inquisitionis, severioribus pœnis adigeret. Tum vero Presbyteriani reclamare cæperant, caussati, hanc Liturgiam de verbo ad Verbum Anglicanæ esse similem: ne ergo Rex Scotorum invidiam in se concitaret, præcepit, ut omissa Psalmorum, necnon ex Veteri & novo Testamento textuum versione Anglicana, adhiberetur versio Scotica. Interim vero Synopsin illorum Canonum, juxta quos deinceps Ecclesia regeretur, in Scotiam transmisit, & quamvis in hisce Canonibus potissimum Hierarchia Ecclesiastica, & Episcopalis jurisdictio fuisset stabilita, novaque Liturgia, quæ ab Anglicana nonnisi quoad versionem diversa erat, cunctis Ecclesiis præscripta fuisset, nihilominus Episcopi, ut populum prævenirent, Thomam

Sæc. XVII. A. C. 1636.

mam Huttonem Londinenſem Prædicantem inſtigarunt, ut edito libello reſponderet ad rationes eorum, qui huic Liturgiæ ſubſcribere recuſarunt.

§. XXXIX.

Populi tumultus in Scotia ob novam Liturgiam.

Rusworth l. c. p. 388. Clarend. t. 1. p. 140.

Poſtquam igitur Liturgia Anglicana in patrium idioma fueret verſa, Rex illam pariter ad Scotos transmiſit, injunxitque, ut illa proximo Paſchatis die anni ſequentis in omnibus Edinenſis Urbis Eccleſiis prælegeretur; mutata tamen rerum viciſſitudine Rex hanc promulgationem ad Dominicam ſeu vigeſimam tertiam Julii diem ejusdem anni differri præcepit: quin toto hujus temporis intervallo ullus ex Edinenſibus reclamare audiretur, quamvis Senatus inſuper paucis ante diebus proclamari juſſiſſet, quod proxima Dominica novæ Liturgiæ uſus eſſet inchoandus. Ex hac populi docilitate Rex æque ac Senatus proſperum conſilii ſucceſſum ſibi vaticinabantur, cum tamen ex hac ipſa malacia atrociſſimam inde tempeſtatem Carolo Regi oppido funeſtam atque exitialem proſpicere debuiſſent. Illuxerat ergo præſtituta dies

dies Dominica, qua ſupremus Cancellarius, Senatorum potiſſimi, quidam Epiſcopi, Regni Judices, atque Edinenſes Magiſtratus Cathedralem S. Ægidii Eccleſiam acceſſere: quamprimum vero Decanus novæ Liturgiæ librum aperuit, illico populus ibidem congregatus vociferari, maledicta jacere, tamque inconditum clamorem, proximæ ſeditionis augurium, excitare, ut ne verbum quidem legentis percipi poſſet. Tumultum ſedaturus, ſuggeſtum conſcendit Edinenſis Epiſcopus, verum ingeminatur tumultuantis populi conclamatio, ac diverſiſſimis vocibus congeſtæ maledictiones, & convitia: nec in ſolis verbis, minisque ſtetit populi furor; parantur ſaxa & ſuſtes, & in Præconis caput ſedile quoddam projicitur: nec Cancellario ac Judicibus parcitur: tandem vero per Prætorem urbisque Magiſtratum furibundis hiſce e Templo egredi juſſis, Præcones ritu ſuo, clauſis tamen foribus, Divinum proſequebantur officium, quod identidem continuis populi clamoribus, ſaxisque ad feneſtras emmiſſis fuit interruptum: Pari furore populus in ceteris omnibus urbis Eccleſiis debacchabatur. Prædicantes vero hujus tumultus invidiam a ſe amoliri ſatagentes, Regi & Laudo Archiepiſcopo Cantuarienſi datis

Sæc. XVII. A.C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

tis literis ſuam innocentiam teſtatam reddere conabantur: Hanc demum populi ſeditionem paulopoſt acriores tumultus, conſpirantibus ipſis Prædicantibus & Proceribus, ſequebantur; cum vero exinde omnes ærumnæ, ac ipſamet funeſta Caroli I. Regis ruina ortum duxiſſet, fuſiori calamo tanti mali narrationem, quam veriſſime fas eſt, ab ovo, ut ajunt, accerſere, & ad mala perducere libuit.

§. XL.

Variæ Sacrarum Congregationum Conſtitutiones.

Bullar. Magn. Urban. VIII. Conſt. Congreg. Conc. Epiſc. Immun.

Summum Pontificem hoc anno nonniſi pauciſſimas ad Eccleſiaſticum Inſtitutum ſpectantes Conſtitutiones edidiſſe reperimus; conceſſit tamen Fratribus Carmelitis in Collegio S. Thereſiæ Salmanticenſi, ut Sacræ Theologiæ lauream ſuſcipere valeant: voluit etiam, ut Officium proprium ejusdem S. Thereſiæ in univerſis Hiſpaniarum Regnis recitetur: inhibuit vero Dominicanis, ne inconſulto Procuratore Generali per ſe vel per alios negotium aliquod in Romana Curia pertractent. Denique Auguſtinianis Diſcalceatis in Italia indulſit, ut in publicis ſupplicationibus Crucem erigere valeant, dummodo

modo digniorem locum ceteris omnibus regularibus, qui hactenus Crucem erexerunt, cedant. Præter hasce Pontificis constitutiones Sacra Concilii Congregatio Vicentinis Canonicis die septima Junii rescripsit, quod Episcopus Canonicos distributionibus privare valeat, si in choro alta voce non psallerent, etsi contraria invaluisset consuetudo: declaratum quoque die duodecima Julii, quod Parochus sine licentia Episcopi extraordinarias supplicationes instituere non possit, nec ad id licentia Vicarii Foranei sufficiat. Die autem decima nona Septembris Sacra Episcoporum & Regularium Congregatio Brundisinis Capuccinis respondit, quod organum in Ecclesia exteriori tenere nequeant. Declaravit vero die trigesima Septembris Congregatio Immunitatis circa casum Beneventi exortum, quod sese supplicationibus SS. Sacramenti associantes immunitate Ecclesiastica gaudeant. Sæc. XVII. A. C. 1636.

§. XLI.

Fridericus Hassiæ Landgravius ad fidem Catholicam reversus.

Ad hunc annum Godefridus Arnoldus in sua Hæreticorum Historia Friderici Hassiæ Landgravii Darmstadiensis conver- *Arnoldi hist. Hæret. Part. II. l. 17. c. 3. num. 8.*

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Ciacon. in vita Innocent. X. Imhoff. notiti. Proc. Imp. p. 546.

converſionem revocat, eam tamen peream immaturo in Italiam itineri adſcribit. Hic Princeps, Ludovici cognomento *Fidelis*, filius natu minor, anno ætatis ſuæ decimo octavo Italiam peragratus, cum ſeſe Præconum ſuorum mendaciis turpiter deluſum agnoviſſet, Patavii die ſexta Februarii ejurata, in qua natus erat, ſecta ad puriſſimum Catholicæ fidei cultum Divino afflante Spiritu reverſus eſt: Poſtea Equeſtrem Ordinem S. Joannis Hieroſolymitani profeſſus, una & viginti expeditionibus bellicis adverſum Turcas glorioſe expletis, ſupremus Illuſtriſſimi hujus Ordinis per Germaniam Magiſter renuntiabatur: Aucta demum meritorum gloria a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege maritimæ claſſis Archithalaſſus, & ad Cæſaris preces ab Innocentio X. die decima nona Februarii anno hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo Cardinalis Diaconus ſalutatus eſt. Tandem totius Germaniæ Protector, Wratislavienſis Epiſcopus, & ſupremus Sileſiæ Tribunus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo pie in Domino obiit. Porro hujus exemplo excitati alii quatuor Principes ex eadem ſereniſſima Domo, relicto errore, ad veræ Eccleſiæ gremium poſtea rediere.

§. XLII.

Sæc. XVII.
A.C. 1636.

§. XLII.

Scriptorum Religione Catholicorum obitus.

Non pauci ex Scriptoribus Catholicis hoc anno vitam cum calamo posuere, quos inter tamen nonnisi celebriores recensemus, ac primo quidem Lovanii decessit Andreas Vallensis præclarus primo Duaci, postea Lovanii Jurisprudentiæ Professor ac Doctor, qui tractatum de beneficiis Ecclesiasticis, necnon Paratitla Decretalium Gregorii IX. præter alia posteris reliquit. II. Philippus Ruiz de Corral edidit tractatum de cultu & veneratione Ecclesiæ, præter conciones in India habitas. III. Regnerus Mercator S. Theologiæ Licentiatus scripsit examen veri Catholici, & Colyrium contra Dionysium Spranhuysen Delfftensem Prædicantem. IV. Sebastianus Tengnagelius, qui Ferdinando II. a consiliis & Bibliotheca, monumenta veterum pro Gregorio VII. aliisque Pontificibus elucubrabat. V. Joannes Thomas Giliolus Perusinus Doctor, qui præter plurimas orationes, scripsit propugnaculum naturalis inclinationis animæ separatæ ad corpus, & reuniones. VI. Jacobus Tirinus Jesuita, qui

Witte Diar. Andr. Bibl. Belg. Du Pin Bibl. des Aut. Siecl. XVII.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

commentarium in universam Scripturam tribus tomis edidit, in hoc potissimum celebrandus, quod textus juxta communem Patrum & Expositorum interpretationem integra fide exponens, diligentissime cuncta ad chronologiæ calculos reduxerit, variorumque argumentorum Indices addiderit. VII. Jacobus Gaulterius ex eadem Societate, qui tabulam Chronologicam status Ecclesiæ Catholicæ usque ad annum 1614. edidit præter anatomiam Calvinismi & Indicem controversiarum. VIII. Joannes Arnulphus, itidem Jesuita, cujus fata jam supra recensuimus; scripsit autem ex Franciæ Regis mandato collationem Bibliorum cum articulis Calvinistarum, tractatus de immortalitate animæ, & de justificatione, necnon Confessionem fidei Ministrorum falsitatis convictam. IX. Cosmas Morelles ex Ord. FF. Præd. qui ab Hispanis, eo quod Philippi Christophori Electoris Trevirensis capti Emissarius atque explorator crederetur, captus in arce Gandavensi die decima octava Februarii obiit. Edidit acta colloquiorum, quæ tum Francoforti, tum Bredæ contra Calvinistas habuit, adjecitque postea refutationem responsionis adversariorum: novam quoque concinnabat D. Thomæ operum editionem. X. Joannes

Vide supra Tom. 57. p. 113. & 302.

nes a S. Samsone Carmelita, qui, licet a nono ætatis anno cæcus esset, viginti tamen duos tractatus Ascéticos duobus tomis majoribus comprehensos dictabat, quibus celeberrimus Bossuetus Meldensis Episcopus non semel in suis de Quietismo libris usus erat. Obiit Rhedonis die decima quarta Septembris divinis revelationibus sæpe elevatus, nunquam elatus, miraculis celebris, humilitate autem celebrior. XI. Aloysius Cerchiarius Clericus Regularis Congregationis Somaschæ edidit Ordinis sui Historiam, Patrum elogia, & triumphum pietatis de S. Ivone pauperum Advocato. Sæc. XVII. A. C. 1636.

§. XLIII.

Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.

Vix alicujus nominis Ecclesiasticos ex Protestantibus Scriptores reperies, qui hoc anno obiissent: hos inter tamen, tanquam lusci inter cæcos eminuere. I. Balthasar Fuhrmannus, qui de remoris sinceræ pietatis tractatum, necnon Canones de Justificatione, & eversionem Sanctitatis Ecclesiæ Romano-Catholicæ, præter concliones Jubilæas consarcinavit. II. Bernardus Albrecht Augustanus Præco, qui, uti *Freher. Theatr. Erud. p. 461.*

Sæc. XVII. A. C. 1636.

memoravimus, ſuo munere dejectus de Magia, Melancholia, & ſuicidio, necnon libellum precatorium contra tonitrua & tempeſtates idiomate Teuthonico conſcripſit. III. Martinus Troſtius edidit Concordantias Chaldaicas, Lexicon Syriacum novi Teſtamenti, Epiſtolam D. Joannis Syriaco-latinam, quæſtiones Hebraicas, & nobiliores Syro-Hebraicas, ac denique diſputationes de mutatione Punctorum Hebræorum. IV. Petrus Kenicius elucubravit diſputationes Synodales, admonitionem ad pœnitentiam, & celebrationem anni Jubilæi, necnon Conciones in caput primum libri primi Moyſis. V. Humphradus Lynd Puritanus, ac juratus Catholicorum, & Arminianorum hoſtis, contra quos edidit viam tutam, & viam deviam ex veteribus inviſibilis Eccleſiæ characteribus.

Vid. ſupra l. 198. §. 46. pag. 559. tom. 59.

§. XLIV.

Supplicium Jacobi Centini & ceterorum in Pontificis vitam conjurantium.

Acta proceſſ. Rom. contra Centin.

Jam anno ſuperiori retulimus detectam fuiſſe nefarii fœderis ſocietatem, quam Jacobus Centinus, aliique in vitam Urbani Papæ conflarunt. Hujus

jus conjurationis, prout ipsemet Centinus, quæstioni subjectus fatebatur, sequens erat initium. Agebat hic enim in Villa sua prope Asculum, ubi cum amicis suis de Cardinale Patruo suo collocutus, sæpius asserit, spem esse haud ambiguam illum intra paucos Menses ad supremi Pontificatus honores promotum iri; quadam vero die eidem nuntiatum, in quadam Eremo haud procul a Corropoli Eremitam, nomine Bernardinum degere, Negromantiæ peritissimum, ac dæmonis ope futurorum probe conscium. Hunc ergo Centinus regnandi cupiditate incensus accersivit, ex eo sciscitatus, quando ejus Patruus in Pontificem sit inaugurandus? post Urbani VIII. obitum, respondit Eremita: interrogante autem Centino, quando hic moriturus esset, reposuit nequam, quod multis quidem annis vita superstes sit futurus, ipse vero arcanæ artis suæ subsidio efficere posset, ut si ita libuerit, intra unius Mensis terminum certa mors Pontificis sequeretur, dummodo rei exequendæ non desint socii, secreti tenaces. Pontificii funeris, indeque speratæ felicitatis propinquitate excæcatus Centinus, Dominicum Firmensem, & alium quemdam in nefandi criminis societatem vocabat, tertium

Sæc. XVII. A.C. 1636.

Sæc. XVII. A. C 1636.

vero, nomine Cherubinum Anconitanum, ſelegerat ipſemet Eremita, ex cujus conſilio Centinus cultrum confici, eique varia Angelorum, dæmonumque nomina, & characteres peregrinos inſculpi, necnon a nobili quadam Virgine linum duci curavit: Hoc demum apparatu inſtructus, Bernardinum juſſit, ut filum in formam circuli per cubile extenderet, in cujus medio Centinus ſtatuam ex cera confectam, quæ Urbanum VIII. Papam ſtola, mitra, ceteroque apparatu Pontificio ornatum exhibebat, repoſuit: quo facto ignitabulum recens confectum apponi, carbonesque inter ſacrilegas preces, incantamenta, & conjurationes accendi juſſit: dein Cherubinus cultro hanc in rem confecto ſtatuam igni vicinam transfodit, aſſeverans, quod ſicut hæc ſtatua a vicino igne ſenſim difluxerit, ita & Pontifex ad ſanitatis & vitæ præcipitium feſtinaturus eſſet: quo dicto Cherubinus ſe ardoris diutius tolerandi imparem ſimulans, reſiduam ſtatuæ cereæ partem in flammas projecit. Nihil autem moleſtius erat, quam fruſtrata expectatio illius Spiritus, qui juxta Incantatoris pollicitationem conjuratis nuntiaret, utrum Pontifex jam mortuus, aut ſaltem morti vicinus eſſet? & an eo mortuo

tuo Felix Cardinalis Centinus Patruus ad Pontificiam thiaram certe vocaretur? Ergo novæ conjurationes, magica carmina, & quicquid demum sanctum, sacrumque esset, iteratis vicibus adhibetur, quin tamen unquam tot votis exoptatus compareret Spiritus, qui certam promissi fidem faceret: dum vero ceteri aut fraudem subesse suspicati, aut sceleris enormitate perculsi nutare cæperant, Centinus illos partim mortis comminatione, partim Romanæ Purpuræ promissis in rei exequendæ proposito firmabat: ne vero videndi spiritus spem abjicerent, quondam incantationis ope ceream cujusdam fæminæ statuam fuisse igne consumptam, ipsaque hac fœmina sensim expirante mox Spiritum mortis nuntium comparuisse, referebat, se vero hæc suismet oculis visa, non audita duntaxat, lectave, ajebat: Valuit hæc relatio tam accommoda, & proprii exempli successus, ceterorum ad corruptelam potens: quocirca communi suffragio conjurati decernunt, quod evolutis quinque diebus Corropoli convenire, septemque Sacerdotes, ex quibus constituto pretio unus sacrificium dæmoni offerret, ad Spiritus adjurationem, conducere vellent: Interim vero Dominicus Ramporius, ceteris

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

insalutatis Firmum in patriam suam clam secesserat; Inopina hæc fuga Centinum vehementer torquebat prodendæ conjurationis metu, maxime, cum idem Dominicus semper nonnisi reluctanter ad nefarios eorum cætus accessisse visus esset: quocirca Centinus illum citatis equis insecutus, eidem minitabatur, si quocunque tempore aut occasione arcanum proderet, illum trucidandum fore, etsi subtus terram absconditus lateret. Inde vero Asculum reversus, haud obscurum de suis incantationibus rumorem Romæ spargi perceperat: ut ergo sua præsentia hanc famam dissiparet, ipsus anni prioris Mense Julio Romam contendit, & Flamminio Confortio, qui Centini Cardinalis negotia procurabat, meditati sceleris seriem exposuit: postquam vero suspicio latius per urbem serpere cæperat, & Centinus in jus vocari timeret, procurandæ rei domesticæ obtentu Roma Fulginium secessit, ubi Cherubinum obvium habens, ab eo didicit, se a suis Superiotibus Romam venire jussum fuisse; facile autem Sacræ Inquisitionis quæstiones innata sua facundia illusurum: Hac promissione contentus Centinus, iter suum Asculum usque prosecutus est, inde vero crebris ad socios suos datis literis tandem

dem die vigesima Junii nil sibi jam metuens, Romam rediit; nondum enim sibi cognitum habebat, quod Dominicus intentatæ mortis metu, necnon exploratorum, qui Centini jussu ejus dorso ubique adhærebant, fastidio inductus, obtenta impunitatis gratia, totam conjurationis seriem manifestasset. Vix igitur Romam pervenerat Centinus, cum illico ad Sacræ Inquisitionis tribunal cum aliis sex raptaretur: paulopost imposita juramenti Religione de Eremita aliunde de veneficiis suspecto interrogatur, ad quæ tamen ipse respondit, se haud obscuram de antiquis statuis in suo horto suffossis habuisse notitiam, hancque in rem hunc Eremitam utpote antiquitatum investigatorem longe eruditissimum evocasse: rigidiori autem quæstioni subjectus fatebatur, se ad effodiendum thesaurum convocasse socios: demum vero plurium testimonio convictus, & cum præfato Dominico compositus, omnia sua delicta mox relata fassus est, totam caussam suam summi Pontificis clementiæ relinquens. Sæc. XVII. A. C. 1636.

Postmodum sex nominabantur Cardinales, judicesque Forenses, qui in reos judicii acta instruerent: Horum autem sententia Centinus læsæ Majestatis Divinæ & humanæ reus, cunctisque censuris obnoxius, rogique supplicio

Sæc. XVII. A. C. 1636.

plicio plectendus pronuntiabatur, prævalente tamen Pontificis clementia a Sacræ Inquisitionis tribunali Curiæ Romani Gubernatoris tradebatur; inde ad Sabellianos carceres curru vectus, discussa rursus caussa capite damnatus est: Ad eandem quoque Curiam trahebantur Cherubinus Anconitanus, necnon Eremita ille Bernardinus, qui vero nomine Didacus Salernitanus vocabatur: hi ambo ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Transpontinæ delati, ibidemque a Diotalevio Episcopo Sacro gradu dejecti ad eosdem carceres ducebantur. Die autem vigesima prima Aprilis præfati Cardinales in Ecclesia ad Minervam congregati denuo conjuratorum caussam maturo examine ad solidas tres horas protracto discusserunt, demum decernentes, ut conjurati altera die, quæ erat Dominica, in Basilica Divi Petri palam suos errores ejurarent, veniamque a Deo, summo Pontifice, & populo publice peterent. Hunc in finem ibidem theatrum erigitur, concurrunt plusquam viginti hominum millia, ac præstituta die rei vinculis onusti haud procul a Pegmate sistuntur, quod postquam Centinus prior conscenderat, alta voce cuncta ejus crimina fuere prælecta: postea producebatur Cherubinus, quem mox

mox insequebatur Bernardinus, seu Didacus Eremita, cui palam exprobratum est, quod horrendis sceleribus infamis Roma Ulyssiponem aufugerit, ac ibidem de hæresi postulatus, captusque rupto carcere Ilottam venerit, ubi exuto S. Francisci habitu Eremitam per septem annos simularit, atque Eremum Asculanam adeptus, magicæ artis subsidio in summi Pontificis vitam conjurarit: Ad hæc Bernardinus agitare caput, crimenque suum, licet confessus ac convictus esset, pernegare cæpit, & quamvis silere juberetur, perstitit nihilosecius in negando, frontis orisque ferrea contumacia, contestatus omnia sacra, profanaque, jurans insuper ac dejerans tertio quoque verbo fidem suam: lupato etiam ori injecto negandi voluntatem, quam lingua haud ultra poterat, desperatis furiosisque gestibus prodidit, incassum promeritam tot scelerum vindictam declinare intentus. Demum pronuntiata in eum mortis sententia pegma conscendere jubetur Dominicus Ramporius, quem impunitatis gratia a pœna immunem reddere haud poterat, eoquod conjurationis conscius, illam detegere distulisset, ac post manifestatos socios datis literis Centinum de conjuratione Sacræ Inquisitioni detecta certiorem

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

tiorem reddidiſſet, illumque hortatus fuiſſet, ut celeri fuga ſaluti ſuæ conſuleret. Ob idem facinus pariter Flaminius Confortius in pegmate conſiſtens, per decem annos ad triremes damnatus eſt: His ſucceſſerant alii tres, qui, eoquod varias ſuperſtitioſas ac ſacrilegas res conjuratis ſubminiſtraſſe, convicti eſſent, partim triremium, partim carceris pœnæ adjudicati ſunt.

Peracta hac errorum abjuratione rei ad carceres ſuos reducti ſunt, ubi nocte ad diem vigeſimam ſecundam Aprilis vergente, Centino, Cherubino, & Didaco Eremitæ mortis ſententia fuit denuntiata. Hos inter prior ſummo mane ad forum Campi Floræ deducebatur Centinus, qui ad Cardinalem Centinum Patruum, ad Epiſcopum ſuum necnon ad quemdam amicum in paucis charum, ſuamque uxorem literas dedit, quibus deplorata criminis ſui atrocitate veniam precabatur: poſtea rurſus facto præteritæ ætatis accuſatione ferale pegma conſcendit, atque ingeniculatus collum appoſite ſuper truncum in ictum intrepidus demittit, & decuſſatim pectori ſuperimpoſitis manibus, creſcente Chriſtianæ pœnitudinis impetu Deum, ac ſanctiſſima Nomina altiore voce invocans, feralem ictum expectat: mox igitur carnifex

nifex ascia in miseri cervices irruente caput abscidit. Peracto hoc supplicio Eremita & Cherubinus pallo alligati laqueo suffocati sunt, mox flammis traditi. Sæc. XVII. A. C. 1636.

§. XLV.

Ferdinandus II. Imperator vita functus.

Adhucdum Ferdinandus II Romanorum Imperator Ratisbonæ in comitiis hærebat, dum anno hujus sæculi trigesimo septimo Joannes Georgius Saxoniæ Elector per suum Legatum deprecabatur, ut Badensis Marchio, Palatini Principes, Silesiæ Ordines, Oettingani Comites, necnon Augustana, & Osnabrugensis civitates Pragensis pacis beneficio frui, & Wirtembergenses Duces bona Ecclesiasticis erepta, necnon liberum Augustanæ Confessionis exercitium retinere permitterentur: Pariter unitarum Belgii Provinciarum Ordines Cæsarem, ut Piccolomini Ducis exercitum abducere vellet, rogabant, quos Imperator quidem ad pacem, vel saltem inducias permovere nitebatur, Hispanus vero Electorali Collegio exposuit, „quod „Batavi nequaquam lacessiti Imperium „itidem infestis armis oppresserint, nunc vero

Khevenhill. Annal. Ferd. tom 12. p. 2154. Annal. Boic. part. 3. l. 22.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

„vero multo ære gravati, alienisque auxiliis deſtituti, ut neutrarum partium „eſſe liceret, ea duntaxat ex cauſſa „peterent, ne pacta Hiſpanis faventia „acceptare cogerentur, conceſſa autem „ſecuritate poſtmodum eo validius Hiſpaniæ Regem debellare, & uſurpatis in Imperio urbibus quiete frui „poſſent, inde veto plurimum ignominiæ ac damni Catholicis in Imperio & „extra Imperium accederet, proin vel „ſola adhuc hæc ratio apud Cæſarem, „&Principes Catholicos maximi facienda foret, & conſcientiæ ſcrupulum movere poſſet,„ Verum horum capitum deciſio ad alium Imperii Conventum remittebatur, eoquod Ferdinandus aſſiduis Imperii curis exhauſtus, & mala pridem affectus valetudine reditum ex comitiis Viennam maturaret. Die igitur vigeſima tertia Januarii Ratisbona profectus, die octava Februarii Viennam pervenit, ubi tamen ingraveſcente morbo, vitæ ſuæ noxas ſacra confeſſione eluere, & ſacroſancto Chriſti Corpore refici, necnon Sacro Oleo ungi petiit, demum die decima quinta Februarii inter luculenta ſingularis pietatis ſigna animam Deo reddidit, anno ætatis ſuæ quinquageſimo nono. Erat is maximarum virtutum Princeps, juſtitia, clementia, opum, bonorumque con-

contemptu, liberalitate, misericordia in pauperes, rerum gestarum magnitudine, inter summos Imperatores longe glorioſissimus, & nulli etiam Cæsarum optimo ante se secundus. Præcipue vero immoto tuendæ & amplificandæ fidei Catholicæ studio inclaruit, lingua & calamo palam testatus, se malle coronas ponere, ostiatim cum Conjuge & liberis stipem colligere, atque in frusta a carnifice concidi, quam committere, ut se vivo hæresis in suis ditionibus invalescat, & Religio Catholica ullam labem accipiat. Eo fine tot bella gessit, totque calamitates perpessus, ac non semel ad extremum sui totiusque Augustissimæ Domus discrimen redactus est, non ut suas protenderet Provincias, sed ut populum suum misere deceptum ad orthodoxam fidem, & Imperium ad firmam pacem novis sectis turbatam reduceret: Insuper pro avita Austriacæ Domus pietate Deo Eucharistico in publicum prodeunti semper comes adfuit, dum potuit, cumque aliquando diutius facem sat ponderosam teneret, atque exin dextera intumesceret, a suis, ne idem die altera faceret, admonitus respondit, *supersit adhuc manus altera, qua Deo meo serviam.* Denique tam sollicite castitatem colebat, ut cum nulla etiam Principe

Sæc. XVII. A. C. 1636.

Sæc. XVII. A. C. 1636.

cipe fœmina ſolus loqueretur, aut ſi res ſecretum depoſceret, Auguſtam ſaltem Conjugem in colloquii teſtem advocaret. Nec heroicæ virtutis, & bene geſtæ rei teſtimonium etiam ab hoſtibus deeſt; quippe Muſtazanus Turcarum Princeps de Ferdinando dicere ſolitus erat: *ſanctus eſt: Deus cum illo, & pro illo pugnat*, ipſe etiam Amurathes Turcarum Imperator in tanti Cæſaris reverentiam, Conſtantinopoli præter morem Principum Legatis conceſſerat, ut publice pio Cæſari parentarent, adhibitis ſimul in pompam funebrem, ſceptris, coronis, aliisque Cæſareæ Majeſtatis inſignibus. Guſtavus quoque Sueciæ Rex, juratus Ferdinandi hoſtis, non ſemel faſſus erat, non ita militiam Ferdinandi, quam ſolam ejusdem virtutem eſſe formidandam. Talis tandem, tantusque erat hic Imperator, ut communi omnium teſtimonio nec ejus inimici magis gratioſum, amici magis benevolum, nec totus Orbis Chriſtianus meliorem optare potuiſſet: Porro demortui cadaver Vienna Græcium in Styriam translatum mauſoleo, quod ipſemet ſibi ante viginti tres annos excitaverat, conditum quieſcit, adjecta hac funebri inſcriptione: *Hic jacet, qui ſemper pro Deo & Orthodoxa fide ſtetit, cujus memoria nondum ſepulta etiam-*

num

num vivit, vivacissima sanctorum Principum memoria. Tam digni Principis virtutes longe clarissimas Khevenhillerus Comes in suis Annalibus fusius prosequitur, unico communis luctus temperamento, quod tantus Parens Successorem reliquerit Ferdinandum III. qui Genitoris virtutes non degeneri æmulatione perseverabat extendere, Religionis præprimis & clementiæ docili successione.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

§. XLVI.

Sueci in Pomeraniam repulsi.

Disparuit exoptatæ pacis spes, postquam Sueci variis tergiversationibus Cæsaris, aliorumque pacem molientium desideria in comitiis comperendinabant, atque Arundelius Angliæ Legatus Regem suum ad arma in Cæsarem movenda impellere, totis viribus nitebatur: quapropter Ferdinandus III. non modo patriarum ditionum successor, sed virtutum etiam & gloriæ hæres, cum Hispanis Bavarisque Legatis de futuri belli rationibus varia Viennæ consilia agitare cogebatur, præcipue cum Galli Ferdinando Imperatori, ut illum oppugnandi obtentum haberent, honorem Romanorum Regis ac Imperatoris deferre denegarent, caussati,

Hist. Eccl. Jæger. l. 7. cap. 1. Puffend. l. 9. §. 3. Theatr. Europ. tom. 3. p. 750.

Sæc. XVII. A. C. 1637. Trevirenſis capti Legatos nequidem admiſſos, Moguntinum & Colonienſem Hiſpana penſione corruptos, Bavari jus ad Electoratum nondum eſſe ſatis evictum, Legatos Saxonis & Brandeburgi ſua exceſſiſſe mandata, & Ferdinandum ſibimetipſi ſuffragium tuliſſe. Nec his cavillationibus contenti erant Galli, ſed inſuper Sueciæ Rectores, imo & ipſum ſummum Pontificem ſollicitabant, ut & hi Ferdinando litem moverent, ſpe tamen ſua fruſtrati ſunt: nihilominus ingentes Gallorum Suecorumque apparatus neo-electum Cæſarem ejusque fœderatos opprimendi conſilia prodebant; poſtquam enim Bannerius Suecici exercitus Ductor, Erfordia potitus, ex Turringia Cæſareos expulerat, cum univerſo exercitu Torgaviam movit, fugatisque quatuor Saxonum legionibus urbem cepit, ac Lipſiam toto armorum apparatu cinxit, quamvis a Cæſareis & Saxonibus copiis obrutus non ſine ſuorum clade obſidionem ſolvere coactus eſſet. Hoc ſucceſſu animatus Comes Hatzfeldius, unacum Cæſareo Goetzii & Darmſtadienſis Landgravii agmine Jenam contendit, urbemque, expulſis Suecis, militum direptioni expoſuit, hoſtemque Torgaviam usque repulit: tandem vero Saxonicis copiis junctus, poſt

post crebras velitationes, mutuasque cædes Suecorum castra ad Torgaviam invadere statuit: Interim vero Bannerius Misniam stratagemate cepit, ac propagata per vicos cæde urbem diripuit, cumque arcem superare desperaret, excitato variis locis incendio Torgaviam reversus est, indies vero crescente annonæ & pabulationis difficultate, ac Cæsareo-Bavarico exercitu tam copiose aucto, ut clausis passim itineribus pene ipse cum suis obsideretur, motis castris, tormentisque septem relictis a Torgavia ad Viadrum citatis itineribus auffugit; insequitur Cæsareus miles, ac cæsis sexcentis, captisque plusquam quadringentis postremum agmen fundit; Bannerius quoque cum reliquo exercitu in adversam Viadri ripam fugienti haud absimilis ægre evasit, ac præter milites Germanos, qui unaomnes a Suecorum signis ad Cæsareos transfugerant, magnam impedimentorum, machinarum, & equorum partem medio inter Albin & Viadrum itinere amisit. Nil reliquum Bannerio erat, quam dissipatas exercitus sui reliquias prope Landspergam Marchiæ Brandeburgicæ urbem colligere: ast jamjam Cæsarei viam præclusere, unde Custrinum profugus, ibidem peditatum suum cum Joanne Uran-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

gelio, altero Suecorum Ductore, qui expugnato Francofurto novas ex Pomerania copias adduxerat, conjungere compulsus est. Verum instabant fugientibus Cæsarei, qui intercepta Landsperga Ratenaviam, Havelbergam, Ukermundam, captoque juniore Oxenstirnio pluribusque aliis, Werbensem, Plavensem arcem, necnon Dæmitzam, Luneburgum, pluresque alias urbes occuparunt. Galassus quoque cum toto exercitus robore in Pomeraniam irrumpens, profligato Urangelii equitatu Tripsecium astu, Wolgastum vero armis præter alias urbes cum ingenti Suecorum clade subegit, cæsis Suecorum plusquam octingentis, fusis insuper fugatisque quinque legionibus, atque amissis viginti quinque signis, & quatuor belli tormentis. Inde tanta Suecorum animos formido incesserat, ut munitam admodum turrim Lixis & calonibus, qui ex Cæsareo agmine pabulatum excurrerant, sibi dedi postulantibus, eam nonnisi vitæ incolumitatem pacti tradiderint. Demum pluribus urbibus per varios Cæsaris Belliduces occupatis, Suecorum potentia plurimum accisa, atque ad extremum maris Balthici angulum rejecta nunquam refloruisset, nisi Galli non sine maximo rei Catholicæ detrimento

mento collapsas Protestantium res restituissent, & fœderati Principes Cæsareis commeatum suppeditare non denegassent. Sæc. XVII. A. C. 1637.

§. XLVII.

Prospera Joannis de Werth expeditio ad Rhenum contra Gallos, Suecosque.

Nec magis secunda belli fortuna ad Rheni confinia adspirabat Gallo-Suecis; postquam enim Bavari Gallos ex Confluentia, locisque finitimis expulerant, Joannes de Werth Hermansteinium, arcem ad Rheni & Mosellæ confluentes munitissimam, & jam antea a Cæsareis obsessam circumfusis eminus Legionibus arctius cingere, omnemque annonæ invehendæ opportunitatem obsessis præcludere statuit: inde vero Urbs ad tam exitialem formam perducta est, ut cives, militesque Galli penu omnino exhausta, ne rabies edendi vitalia depasceret, primo ad siliquas, obviasque quasque herbas, radices & absurda quæque solo genita, vellenda, rabida cupiditate converterentur, & demum nullo inter nutrimenta facto selectu (adeo indomitus est ventris impetus, qui præfestina aviditate, dummodo prima sui specie crederentur *Barre Hist. d'Allemagn. t. 9. p. 698.*

Sæc. XVII. A.C. 1637.

utilia, inter salutaria & noxia non distinguit) in hortenses rubetas aut bufones, vermes & serpentes exitiali ingluvie involarent. Jam tum inter cupedias numerabantur asini, canes, feles, glires, muresque, dapes pro solis Belli Præfectis ac Nobilibus reservatæ: ipse etiam Bussius Lametius arcis Gubernator consumptis jam equis octoginta glires absumpserat, singulos duodecim facile sestertiis coemptos. Tandem, ubi luis inde conceptæ violentia quamplurimos absumpserat, ac ceteri ferme omnes obsidionis laboribus ultra ferendis impares evaderent, tantum non ad salutis desperationem, arcisque deditionem ventum est. Opportune tamen Galli Hassis Batavisque negotium dabant, ut laboranti urbi nulla mora subvenirent; Guilielmus igitur Hassiæ Landgravius contractis ex Rheno inferiori copiis ut centum quinquaginta plaustra omni cibariorum genere onusta urbi inferrent, Melandro & Durmsteinio Tribunis præcepit. Jamjam primum agmen munitioni, & prope sub tutela bellicarum machinationum propius accedit, unde confestim quod in successibus exspectatione rarioribus vulgo solet, ut nec animus nec vox se contineat, intempestivus primum obsessorum clamor, & impatiens moræ

moræ lætitia, tum festiva scloporum explosio prosperamque annonæ advectionem aggratulantium conclamatio celebratur. Verum tantilla hæc lætatia non diu citra multorum cladem, urbisque ruinam stetere; quippe Joannes de Werth comperta hac Hassorum expeditione cum valido Bavarorum agmine post montem Grenzhusanum haud procul ab arce inobservatus subsitit, atque ex insidiis in hostem irrumpens, primo acriter resistentes, demum post cruentam cladem territos in fugam egit, universaque annona potitus est, aspectantibus ex arce, & nequicquam frementibus Gallis; quare obsessi jam omni spe opis decollata, die vigesima septima Junii arcem Cæsareis dedere, per Rhenum armis vexillisque instructi ad Batavos usque deducti. Postmodum ex pacto arcis custodia Archiepiscopo atque Electori Colonienſi est commissa, ut eam Trevirensi dein Electori aut ejus Successori redderet. Sæc. XVII. A. C. 1637.

Interim Bernardus Vinariensis Dux ex Gallia cum pecuniis & copiis redux, bellum ad Nicrum, Mænumque transferre meditabatur, quocirca in Burgundiam cum valido agmine contendit, ac Mercio Comite Lotharingiæ Ducis Tribuno non sine magna clade repulso, octodecim Burgundici Comitatus arces

Sæc. XVII. A. C. 1637.

occupavit, inde vero in Alsatiam penetrans, postquam Kenzingam urbem incassum obsederat, constructo navali ponte Rheinaviæ cum suis copiis Rhenum trajecit, & in adverso fluminis litore castra posuit, aggere fossisque quam celerrime munita. Hæc Ducis molimina Joannem Werthanum ad omnes hostium motus intentum fugere haud poterant: protinus ergo Vinarienfi obviam proficiscitur, eumque iterato prælio devictum trans Rhenum in Burgundiam rejicit, pontemque, quem Dux pluribus propugnaculis firmaverat, aggreditur, & occupat, Gallis inde aufugientibus, quos tamen victor strenue insecutus, potissimam partem profligavit, captis ceteris omnibus.

§. XLVIII.

Gallorum, Batavorumque gesta bellica contra Hispanos.

Neuvill Hist. d' Holland. tom. 1.

Quominus Richelius Cardinalis hoc anno in Germania Cæsaris hostes, ac præcipue Suecos potentius juvaret, non modo intestinæ turbæ ob vectigalium onera in Aquitania concitatæ, sed etiam Hispanorum invasiones obstabant. Hi enim Provinciæ Insulas & Occidaniam infestis armis inundabant. Eapropter Richelius Harcurtium Comitem,

mitem, qui valido exercitu instructus Hispanos inde pelleret, præ ceteris nominabat, haud pœnitendo selectu. Hic enim audaciſſimæ felicitatis Bellidux exiguo prorſus tempore Lirinenſes Insulas longa obſidione olim ab Hiſpanis occupatas, atque omnium opinione prius inacceſſas levi brachio occupavit. Halvinus quoque Occidaniæ Pro-Rex collectitio duntaxat milite, Hiſpanos prægrandibus ſuis propugnaculis & munitionibus Leocate exuit, eorumque caſtris eſt ante potitus, quam Hiſpani, qua parte invaderentur, cogitarent. Horum jactura nondum ſatis conceptæ in Hiſpanos invidiæ litatum fuiſſe, cenſebat Richelius, ut ergo Olivario Hiſpani Regis Miniſtro, veteri felicitatis ſuæ æmulo acerbiorem inferret moleſtiam, arma Gallica in Belgium Catholicum inferre ſtatuit, in opem accerſitis Hollandis, qui recuperato Schenkiano munimento Bredam urbem olim a Spinola expugnatam obſidere aggreſſi ſunt, & quamvis Ferdinandus Cardinalis Belgii Gubernator, ut hanc urbem ſervaret, omnes intendiſſet nervos, cum tamen pulvis pyrius defeciſſet, ac cives obſidionis miſerias pertæſi deditionem fieri, importunius poſtularent, Cardinalis Hiſpanus die ſexta Octobris in honeſta deditionis pacta

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Brachel. Hiſt. .. 5. Puſend. rer. Suec. l. 9. p. 302. Buſier Hiſt. France l. 24.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

convenit, inter quæ præcipua erant, ut præprimis præsidiarii mille octingenti cum impedimentis, armisque honorifice Mechliniam transferrentur, & Catholicis Religionis libertas integra esset. Hanc libertatem, licet eam Cardinalis post recuperatam Venlonam & Ruremundam Calviniſtis denegasset, Hollandi quidem Bredanis spoponderant, mox tamen promissam illis securitatem violarunt, ac Catholicorum plerisque urbe expulsis, Sacra fieri prohibuerunt, hoc obtentu nonnisi leviſſimæ suspicioni innixo usi, quod Catholici magno numero congregati noctu januis clausis festivitatem S. Catharinæ celebrassent. Præterea Batavi Minam celeberrimum Guineæ in Africa propugnaculum post tridui oppugnationem deditione cepere, præsidiariis inde ad Insulam S. Thomæ data fide libere dimissis. Ad Hispanæ insuper infelicitatis cumulum accessit Valetæ Galli Cardinalis & Candali Fratris sui expeditio. Hi enim, Hispanis ad repellendos Hollandos & liberandam Bredam interea intentis, Landresium urbem tertia post incæptam obsidionem hebdomada eripuerunt, non tamen absque Bussii Lametii, qui antea Hermansteinianam arcem strenue propugnaverat, necnon Ramburii incredibilis audaciæ Herois jactu-

jactura, eo magis lugenda, quo cum dedecore conjuncta esset; cum enim ex urbe Hispani erumperent, Galli ad horum aspectum turpiter aufugerunt, qua in fuga ambo hi Belliduces ab hoste trucidati periere. Denique Hispani in Sequanis complura oppida arcesque præter Ivosium & Damvilleriam urbes amisere, ubique hoc anno tam in propugnandis, quam obsidendis urbibus infelices. Sæc. XVII. A.C. 1637.

§. XLIX.

Novæ Leodiensium Turbæ.

Vix prioris anni tumultus a Leodiensi populo concitati Principum auctoritate fuerant sopiti, cum hoc item anno rursus Leodiensis plebs seditionibus oppido periculosis agitaretur: plerumque enim exacerbatis semel civium animis atque in plures factiones sciſſis, turbæ ad tempus sedatæ eo atrocius demum recrudescunt. Hisce tumultibus ansam dederat cædes Sebastiani Ruellii Leodiensis Consulis. Is, eoquod adversus Ferdinandum Archiepiscopum Colonienſem, qui tum Leodiensem Diæcesin moderabatur, Gallicæ factionis studia aluisset, a Barfusæo Comite ad prandium invitatus, sublatisque epulis in separatum deductus conclave, multis vulne- *Jæger. Hist. Eccl. l. 7. c. 6. Brachel. l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1637. vulneribus interficitur. Cædis fama mox in vulgus ſparſa, repente ingens ex civium concurſu fit concitatio, cinguntur Comitis ædes, armataque vi expugnantur, cæſis plerisque militum, quos Comes introduxerat: ipſe etiam Barſuſæus in forum protractus, furentium manibus ac telis in necis perpetratæ vindictam fœde conſcinditur: Ruellius vero velut publicæ ſalutis victima perhonorifice ſepelitur. Demum in cædis auctores ac conſcios furibunda plebs pro ſummo imperio inquirit, ac Theodorum Fleronium Senatorem, quem Bartholomæus Rolandus necato conſuli affinis, cædis reum accuſaverat, nequidem expectato Magiſtratus decreto, ex carcere in publicum extrahit, ac glande plumbea trajectum e furca ſuſpendit. Occupata ſemel ſupremi judicii auctoritate cives progreſſu temporis ad tantam prorupere temeritatem, ut pro ea defendenda adverſus Principem ſuum nunc Gallorum, nunc Hollandorum opem implorarent, imo & belli tormentis Epiſcopum ac Electorem urbis & Eccleſiæ ſuæ aditu excluderent, ac nonniſi adhibita armorum vi ad obſequium revocari poſſent. Poſtmodum vero ſeditionis ſuæ pœnas amiſſa libertate dare cogebantur; plerumque enim importune uſurpata

pata libertas, in servitutem degenerat. Sæc. XVII. A. C. 1637.

§. L.

Tumultus inter Trevirensem Clerum & populum.

Postquam Galli ex Hermansteiniana arce a Cæsareis fuerant expulsi, Christophorus Trevirensis Elector a Gallico jugo nonnihil liberatus, suæ etiam libertatis recuperandæ spem conceperat: Eapropter Lintzio quemdam ex Patribus Capuccinis ad Ferdinandum III. Cæsarem in vicina quadam arce degentem ablegabat, qui exposita Archiepiscopi indigentia pecuniarum subsidia a Ferdinando peteret: cum autem Imperator probe cognitum haberet, quod hic idem Elector ingentem auri vim Metis Luxenburgum transtulisset, hinc Capuccino hæc respondit, *refer Electori tuo, ut ex suo thesauro tam sibi quam mihi subsidium præstet; utriusque enim necessitati sublevandæ sufficiet.* Relato hoc Cæsaris responso Elector, hunc thesaurum præter se nemini cognitum antea arbitratus, nunc de Imperatoris auxilio desperare cæperat: hinc per suos ad summi Pontificis opem recurrere studuit, nec irrito successu; cum enim Urbanus Papa juri suo in Eccle- *Annal. Trev. l. 25. n. 22.*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Eccleſiaſtici Principis captivitate derogatum, vehementer apud Cæſarem quereretur, Ferdinandus, ut Pontificis voto ſatisfaceret, Archiepiſcopum Viennam tranſtulit, ſimulque eum ſub cuſtodia Legati Apoſtolici eſſe juſſit. Eo autem abſente, cum Clerus populusque Principe ac Rectore ſuo deſtitutus eſſet, interciſo ordinis compoſiti nexu non rara inter utrumque diſſidia Treviris oriebantur, & quidem hoc anno gravis admodum contentio inter Clerum & Magiſtratum exarſerat: Hic enim militiæ Præfectis indulſerat, ut in Monaſteriorum, Canonicorumque ædes milites ſuos diſtribuerent, ne egentiores cives alendi militis onere diutius gravarentur. Obſtiterant Clerici ac Religioſi, Eccleſiaſticæ immunitatis privilegio ſuffulti: militibus tamen has ædes vi occupantibus, Clerici ad Tribunalis Eccleſiaſtici Judicem, ſacræque libertatis vindicem provocarunt, efflagitantes, ut hujus violentiæ Authores in jus vocarentur, & ni pareant, diris devoverentur: cum vero Magiſtratus juxta ac militiæ Præfecti hoc forum declinarent, iterato moniti tandem a Clero unaomnes affixo ad Templorum valvas anathemate nominatim Sacrorum uſu prohibiti ſunt. Inde exacerbati Urbis Proceres, vices repenſuri,

pensuri, publico edicto civibus injunxerunt, ut Clericis nihil omnino victualium aut commerciorum indulgerent. Ergo excubiæ ante urbis portas, tabernas, & officinas collocantur, ne quid vini, frumenti, aliarumque vescarum rerum nec prece nec pretio in Clericorum ædes deportarentur: Tenuit infesta hæc talio per plures dies, non sine magna piorum offensione: tandem vero Metropolitanæ Ecclesiæ Proceres, penes quos tum summa rerum erat, tantum prævaluere, ut pactis utrinque legibus cives Ecclesiæ reconciliati, & Clerici libero rerum ad victum necessariarum usui restituti essent. Sæc. XVII. A.C. 1637.

§. LI.

Franciscus Cupisus ob apostasiam e Sorbona ejectus.

Postquam Sacræ Facultati Theologicæ Parisiis innotuit, quod Franciscus Cupis patria Andegavensis, Theologiæ Doctor ab Ecclesiæ gremio ad Calvini castra transfugerit, tantam impietatem detestata, habitis Sorbonæ comitiis, die prima Julii præfatum Franciscum tanquam hæreticum e Doctorum Albo expunxit, ejusque nomen infamiæ stigmate notavit, promulgato hanc in rem sequenti decreto: „Jure „ac

Argentrè Collect. Judic. S. Facult. tom. 3. p. 10. Bibl. Sorbon. pag. 6. & 74.

Sæc. XVII. A. C. 1637. „ac merito Apoſtolus hæreſes inter carnalia crimina enumerat, utpote in „quas, occulto judicio Dei, præcipites ruere videmus eos, qui vel proprii arbitrii vanitate ac fiducia tumentes, vel ſecundum carnem ambulantes, nec ſpiritu Dei duci ſe ſinunt, nec ulla regula teneri, ſed nec quidquam, niſi quod ad animalis hominis guſtum ſit, ſapiunt. Quam ex intimis viſceribus dolendum! Sed quam horrendum ejus rei exemplum, magno piorum omnium ſcandalo, & inimicorum Crucis Chriſti applauſu, nuper dedit Franciſcus Cupif Andegavenſis, in almæ facultatis theologicæ Pariſienſis gremium olim, tandemque in Doctorum numerum infelici ſorte coptatus! qui poſtea immemor legis ab optima parente acceptæ, quæ ejus capiti additura erat gratiam apud Deum & homines; immemor etiam Sacramenti toties iterati, quo ſe, tum Candidati per ſingulos gradus, tum recens creati Doctores, ex more inſtitutoque hujus ordinis, obſtringere ſolent: in eam, quam inter cæteras, conceptis verbis damnaverat, perverſam Calvinianorum ſectam, miſere lapſus, exitium ſibi a Deo, ab hominibus dedecus, undequaque maledictum accerſivit: factus ut filius inſipiens

„ſipiens mæſtitia Matris ſuæ, dum per- Sæc. XVII.
„fida prævaricatione Eccleſiæ Catho- A. C. 1637.
„licæ, Apoſtolicæ, & Romanæ veram
„Doctrinam ejurans, ad hæreticorum
„partes detecta fronte transfugit, &
„impietati, ac mendacio nomen dedit.
„Sed quæ illi ad immane præcipitium
„proclivitas, niſi ex innata animi præ-
„ſumptione, ac effrænis libidinis, qua
„ſemper iis, qui propius illum norunt,
„flagrare viſus eſt ardore indomito?
„unde obcæcatus & juxta proprias con-
„cupiſcentias ſemper incedens, excuſ-
„ſo ſuavi Chriſti jugo, evaſit ſponta-
„neum hæreſeos, quæ omnium pecca-
„torum cumulus eſt, mancipium. Cum
„vero, ut loquuntur Chriſtiani Impera-
„tores, quod in divinam Religionem
„committitur, in omnium feratur in-
„juriam; potiori jure ad ſe ſpectare
„Sacra facultas cenſuit, irrogatam a
„degenere fœtu, in Chriſtum, Chriſti-
„que fidem, contumeliam, ut eam in-
„famiam graviſſima, pro criminis atro-
„citate, cenſura corripiat, ac publica
„deteſtatione a ſe amoliatur; tametſi
„non ſit verendum, ut ſpuria vitula-
„mina dent radices altas, nec ſtabile
„firmamentum collocent. *Væ filii de-*
„*ſertor, ut faceres conſilium, & non ex*
„*me; & ordireris telam, & non per Spi-*
„*ritum meum, ut adderes peccatum ſuper*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

„*peccatum: qui ambulas, ut descendas in*
„*Aegyptum, in Synagogam Satanæ, &*
„*os meum non interrogasti, nec recordatus*
„*es præceptorum meorum: disciplinam meam*
„*abjecisti*, sperans auxilium in fortitu-
„dine Calvini & sequacium, & habens
„fiduciam in umbra Ægypti, hoc est,
„conventiculi hæreticorum. Sed erit
„tibi imaginaria fortitudo in confusio-
„nem, & fiducia umbræ, quam spreto
„Ecclesiæ Orthodoxæ corpore, consi-
„staris, in ignominiam.„

„Eapropter Sacra Theologiæ Fa-
„cultas Parisiensis ante nominatum
„Francisc um Cupif, tanquam impium,
„perjurum, Sacrilegum, Apostatam,
„hæreticum, adeoque proprio jam ju-
„dicio condemnatum ex Sententia
„Apostoli, communi voto, damnavit,
„e suorum Albo in perpetuum expun-
„xit, omni gradu, honore, titulo ab-
„dicavit, eique anathema publico pro-
„grammate inclamandum decrevit.
„Actum apud Sorbonam, in comitiis
„solemnibus die prima, & confirma-
„tum die decima quinta Julii, anno
„Domini millesimo sexcentesimo trige-
„simo septimo.„

§. LII.

Sæc. XVII.
A. C. 1637.

§. LII.

Facultatis Theologicæ Parisiensis censura in libros Theophili Milleterii.

Pari Religionis studio Sacra Facultas Parisiensis libros fidei puritati adversos eliminare sategit; cum enim Theophilus Brachetus de Milletiere Calviniani Consistorii Parisiensis Senior sub specioso Catholicos cum Calvinistis uniendi obtentu, pernicioſum librum, cui titulus: *Christianæ pacis media ad uniendos Catholicos & Evangelicos circa Religionis dissidia*, ederet, Chapelasius Facultatis Syndicus die quarta Novembris spurium hunc fœtum maturiori examini subjici petiit. Referentibus igitur duobus Magistris, quod hic liber variis erroribus contra fidem, sanam doctrinam, & summorum Pontificum auctoritatem scateret, Facultas eundem censura notavit, data tamen Censoribus licentia, ut prius cum ipsomet Authore de præcipuis libri capitibus conferre possent; quamvis autem Milleterius in publico Facultatis consessu, priusquam censura evulgaretur, audiri impensius peteret, nihilominus Facultas perceptis desuper singulorum Doctorum sententiis die decima quinta

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Decembris pronuntiabat, ſupervacaneum hoc fore, niſi prius ſuam hæreſin penitus ejuraret, & publice Catholicam fidem profiteretur, quod facere renuit: nec tamen propterea ſuorum contemptum evaſit; poſtquam enim ſuum Syncretismum typis edidit, inde tam atrox Calviniſtarum odium in ſe concitaverat, ut ab illis Charentonii anno hujus ſæculi quadrageſimo ſecundo diris devoveretur: ipſe vero brutum hoc fulmen flocci habens, paulopoſt librum ſeu *ſinceram fidei Catholicæ profeſſionem* vulgavit, eo laboris ſucceſſu, ut tandem tertio poſt anno exeunte Menſe Martio Calvini venenum evomeret, palamque ad Apoſtolico-Romanæ Eccleſiæ ſinum reverteretur: prius tamen alium evulgavit librum, cenſorio in Calviniſtas ſtylo exaratum: cum autem nec vere Catholicus eſſet, nec Calviniſta videri vellet, haud mirum, quod in præfato libro, cui titulus: *Verus Pacificus circa controverſiam de uſu Sacramenti Pœnitentiæ*, plurimas propoſitiones erroneas, Concilio Tridentino contrarias æque ac hæreticas immiſcuerit. Habita hujus libri notitia Facultas quantocius eundem ſelectis Doctoribus examinandum tradidit, hancque cenſuram in eum pronuntiavit: „Dum Eccleſia peregrinatur in terris, „alter-

„alterni temporis discrimen ignorat: Sæc. XVII.
„una manu ædificans, altera pugnans: A.C. 1637.
„semper in bello, semper in pace ver-
„satur. Pacem habet intra fines suos,
„inter cives sanctorum & Domesticos
„Dei: bellum sacrum extra limites suos
„perpetuo gerit, cum Allophylis, qui
„foris sunt, qui castra metantur ex ad-
„verso tabernaculi. Hi profecto, si
„quando civitatem Dei, cujus partici-
„patio est in idipsum, aperto Marte
„invadunt, certissimam Ecclesiæ victo-
„riam accelerant: ubi vero ex insidiis
„moliuntur, non solum eam retardant,
„sed interim prædas agunt, incautos
„vulnerant, imbecilles abducunt. Quo-
„circa neque periculosius unquam in-
„sidiantur, quam cum pacis nomen ac
„votum obtendunt, atque ut Prophe-
„tis loqui mos est, *vident visiones pacis,*
„*& dicunt pax, ubi non est pax:* quum
„in eo fœdus ferire cogitent, instar il-
„lius sævi Ammonitæ, ut oculum dex-
„trum catholicis effodiant, hoc est pu-
„rissimum fidei lumen extinquant. Ea
„quidem ars, ea fraus est hodiernæ
„hæreseos, quæ cum justo pridem con-
„flictu profligata jacuerit, collectis re-
„ligionis avitæ perduellium copiis a-
„ciem instaurans, ponit signa sua in
„Capite platearum, gladiumque sinu
„occultans, pacem flagitat, victrici-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

„bus Eccleſiæ caſtris ignominia, Sa-
„lutisque jactura formidandam.„

„Hujus obſcuri conſilii captioſæque
„meditationis artifex, ac interpres e-
„rupit ante paucos dies Liber Theo-
„phili Bracheti Milleterii, ſectæ Cal-
„vinianæ, fronte ſpecioſus, & fallax,
„veri Pontificis titulum oſtentans, re-
„vera hæreſeos emiſſarius: veritatem
„pacis obtentu, pacem veritatis ipſius
„pernicie proditurus. Verum nova
„bella elegit Dominus, & Neomenia
„Evangelii tuba accinctos ſuos evocat,
„ut ſanctificent prælium, nec parcant
„oculi eorum, nec manus in die ultio-
„nis. Jam Septennium effluxit, &
„amplius, ex quo perſimiles libri ejus-
„dem Authoris inſidioſæ concordiæ
„repulſam paſſi ſunt: neque tamen
„graſſari deſierunt; donec iſte ſuffra-
„giis quibusdam eblanditis fucum fa-
„ciens, nonnullis etiam fidelium illuſit:
„adeo, ut Ordinis quoque Theologici,
„aut conſenſum aut ſilentium perab-
„ſurde ſperaverit. Eam ob rem facul-
„tas Theologica Pariſienſis audita rela-
„tione ſex Doctorum, qui die decima
„quinta Junii ad legendum, ſeduloque
„examinandum librum ſupradictum:
„*Verus Pacificus* &c. deputati fuerant,
„repetitis Comitiis die decima octava,
„& vigeſima tertia ejusdem menſis,
„ma-

„matura deliberatione habita, uno cal- Sæc. XVII.
„culo Henoticum seu Pacificum dicti A. C. 1637.
„Milleterii librum damnavit & damnat,
„tanquam plurimas propositiones fal-
„sas, temerarias, erroneas, Ecclesiæ
„injuriosas, ac Concilio Tridentino ad-
„versantes & hæreticas, continentem:
„trium Doctorum subscriptionem eidem
„libro affixam improbat, eamque pro
„sua authoritate cassam, irritam, ac
„nullam pronuntiat. Huic Decreto,
„sicut & præsenti censuræ, necnon De-
„clarationis formulæ ipsis præscriben-
„dæ Doctores iidem tam præsentes,
„quam absentes subscribere tenebun-
„tur:„ Tum de singulis propositioni-
bus vitiosis ejusdem libri sic censuit
Facultas.

Propositio I. „Controversia circa le-
„gitimum usum Sacramenti Pœniten-
„tiæ & dignam Eucharistiæ sumptio-
„nem facile dirimetur, si adversarii in-
„tegra fide auctoritati S. Synodi Tri-
„dentinæ aquieverint. Tum haud ne-
„cessarium erit ad Sacram Sedem re-
„currere, nec ejus auctoritatem alior-
„sum quærere, quam ex quo irrefra-
„gabile habemus ejus judicium juxta
„verum & unicum statum, in quo om-
„nes ejus decisiones circa fidem sunt
„infallibiles, scilicet ex Concilio Uni-
„versali.„

Sæc. XVII. A. C. 1637.

„Ecclesia in Conciliis Universalibus, „in quibus solis unanimem Ecclesiæ „consensum declarat, definiendo, no„vos articulos non efficit.„

Censura. *Hæ propositiones, in quantum infallibilitatem Ecclesiæ universali, in nullo alio statu, quam in solo Concilio œcumenico congregatæ tribuunt, & ipsam aliquo tempore, legitimi usus pœnitentiæ cognitione caruisse supponunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ, & hæreticæ.*

Propositio II. „Antiquus Pœnitentiæ „usus, qui hodie nullibi in Ecclesia fer„vatur, a Christo est institutus, hic „idem usus descendit ex traditione Apo„stolica, & fide immutabili, omnis ei„dem contrarius usus est manifestus „abusus, eo pernicioſior, quo antiquior: „qui hunc abusum tuentur, propugna„re satagunt, quod hæc immutatio ex „disciplinæ relaxationibus exorta, sit „bona & legitima, & quod Ecclesia „erroris insimularetur, si antiquus usus „iterum induceretur.„

Censura. *Hæ propositiones, in quantum damnant disciplinam, & consuetudinem ecclesiasticam, ab omnibus Catholicæ communionis Ecclesiis receptam, quantumcunque diuturnam, tanquam abusivam, & institutioni Christi, ac Evangelicæ Doctrinæ contrariam, temerariæ sunt, Ecclesiæ injuriosæ, & hæreticæ.*

Propo-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Propositio III. „Quod Ecclesia Institutiones Apostolicas immutare valeat, „hæreticum est. Apostoli enim Ecclesiæ ea omnia ore vel calamo reliquerunt, quæ circa doctrinam & disciplinam ad Religionem Christianam „pertinent.„

Censura: *Hæ propositiones, dum negant, auctoritatem penes Ecclesiam esse condendi novas leges, & aliud statuendi, quam quod Apostoli instituerunt, sive circa ea, quæ ad regimen ecclesiasticum, sive quæ ad Cultum divinum, officium, & cæremonias pertinent, temerariæ sunt, Ecclesiæ injuriosæ, & hæreticæ.*

Propositio IV. „Ex generali morum „depravatione, quam hodie cernimus, „tandem manifestabitur *homo peccati, „filius perditionis:* disciplinæ immutatio per morum corruptionem caussata „circa Ecclesiæ Regimen in hoc solo „consistit, quod Episcopus, qui sicut „S. Petrus a Christo est institutus Caput Ecclesiæ, se in Caput absolutum „ex avaritia & ambitione erigere vo„luerit.„

Censura: *Hæ propositiones, in quantum id, quod de Antichristo a sancto Paulo dictum est, interpretantur de Episcopis, & maxime de summo Pontifice, quasi jam Antichristi sint, filii perditionis, homines peccati, extollentes se supra omne id, quod*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

dicitur Deus: in quibus completur Myſterium iniquitatis: eosdemque ſimul cum Eccleſiæ præſenti ſtatu Apoſtaſiæ inſimulant, ſive defectionis a pietate, ac generalis morum corruptionis arguere propterea non verentur, ſcandaloſæ, injurioſæ, ac erroneæ ſunt, & hæretico ac ſchismatico ſenſu, atque animo prolatæ, ſcripturæque Sacræ abuſum continent.

Propoſitio V. „Juxta Conſtitutiones „Apoſtolicas Sacerdos peccati mortalis „reus a dignitate Ordinis eſt amovendus, ſicut Laicus a dignitate in Baptismo & Confirmatione recepta.„

Cenſura: *Hæc propoſitio in quantum univerſaliter aſſerit, Epiſcopos, Presbyteros, & cæteros Eccleſiæ Miniſtros pro quocunque peccato mortali, ſecundum Conſtitutiones ab Apoſtolis receptas, & ab Eccleſia promulgatas (quales ubique invariabiles & immutabiles dicit) exautorari debere, gradu moveri, officio ac Dignitate Ordinis dejici, pœnitentiamque ipſam ac ſatisfactionem hominis eccleſiaſtici, eſſe illam amotionem a miniſterio, ſeu degradationem; temeraria eſt, & erronea, ac Wichleffi & Huſſii hæreſim ſapit.*

Propoſitio VI. „Loco immerſionis tri„næ utuntur aſperſione, inde vero in„ferunt, quod ita immutando, aut Ec„cleſia erraverit, aut hos ritus immu„tandi auctoritatem habuerit: variæ „erant

„erant antiquitus Baptismi cæremo- Sæc. XVII.
„niæ, quæ in adultis semper sunt ad- A. C. 1637.
„hibendæ.„

Censura: *Hæc propositio, in quantum negat generaliter antiquas baptismi cæremonias, & ipsam trinam immersionem circa parvulos, qui olim baptisabantur, fuisse observatas, falsa & temeraria est: in quantum vero illas omnes ad baptismum adultorum, ex ipsa institutione Christi necessarias esse vult, & nunc etiam observandas, temeraria est, & erronea.*

Propositio VII. „Sacerdos nomine „totius Ecclesiæ sacrificans, semper „bibit calicem, ut significet, quod to„tus grex matyrium subire paratus sit, „hinc fideles merito Calicis usum de„nuo ab Ecclesia petierunt, nec illum „petentibus jure denegari potest.„

Censura. *Hæc propositio, in quantum asserit Communionem & usum calicis denegari, legitime non posse iis, qui Martyrii dispositionem in se sentiunt, quando petere voluerint, seditiosa, & erronea, atque hæresim sapit.*

Propositio VIII. „Omnes fideles in „statu gratiæ constituti singulis diebus „Sacramentum Eucharistiæ recipere „debent.„

Censura.: *Hæc propositio, quatenus asserit neminem revocare posse in dubium, quin omnes fideles, qui sunt in statu justi-*

tiæ,

Sæc. XVII. A. C. 1637.

tiæ, quotidie debeant communicare Corpori, & Sanguini Christi, est falsa, temeraria, & a piorum, ac Sanctorum praxi, & Doctrina dissentiens.

Propositio IX. „Omnes Pœnitentiæ „partes sunt essentiales, hinc nulla o„mitti potest, & contritio, confessio & „satisfactio absolutionem præcedere de„bent, quia materia præcedit formam.„

Censura: *Istæ propositiones quatenus asserunt, executionem pœnitentiæ, seu satisfactionis impositæ, necessario & ex institutione Christi, ac invariabili Sacramenti natura, ita prærequiri absolutioni, ut alioqui absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfactio completa fuerit, temerariæ sunt, & hæreticæ, & a Sixto quarto contra Petrum de Osma illiusque sequaces prædamnatæ, Bulla data anno Domini 1478. atque ad hunc errorem astruendum abutitur Autor Concilio Tridentino.*

Propositio X. „Ad legitimum Pœni„tentiæ usum ex traditione Apostolica „requiritur, quod pœnitentia sit Eccle„siæ notoria.„

Censura. *Istæ propositiones in quantum necessitatem tam Confessionis, quam satisfactionis, & pœnitentiæ publicæ astruunt, ut pœnitens a quocunque peccato mortali, etiam occulto, absolvi aliter non possit, temerariæ sunt, & hæreticæ: in eaque necessitate*

ustate obtrudenda abutitur Autor Scri- Sæc. XVII.
pturis divinis, & Concilio Tridentino. A. C. 1637.

Propositio XI. „Principalis effectus „pœnitentiæ consistit in virtute precum „Justorum & Ecclesiæ, quatenus Ec„clesia orat, ut hoc remedium sit ei „salutare.„

Censura: *Istæ propositiones in quantum Ecclesiæ preces necessarias ad vim absolutionis, & effectum Sacramenti requirunt, temerariæ sunt, & hæreticæ.*

Propositio XII. „Juxta Concilium Tri„dentinum Peccator ex attrito nonnisi „per injunctam pœnitentiam sit con„tritus.„

Censura: *Hæ propositiones, in quantum negant, ullum ex attrito evadere posse contritum, nisi per injunctas satisfactiones, & pœnitentiæ actiones, temerariæ sunt, & erroneæ.*

Postquam igitur Facultas propositiones hasce censuris suis perstrinxerat, ita in suo decreto Parisiis die decima octava Junii promulgato prosequitur: *Hos & similes errores, qui passim occurrunt, damnavit, iterumque ac iterum damnat Sacra facultas, ipsumque Autorem, cujus neque favore, neque odio, imo potius charitate in Christum tangitur, judiciorum Dei contestatione adhortatur, ut ingenio deinceps ac otio melius utens, bene sentire potius, quam male scribere laboret, neque*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

neque amplius inter Hæreticos Catholicus, neque inter Catholicos Hæreticus erret, atque alios in errorem mittat: præcipue, eo quod jam a multis Calviniani dogmatis capitibus alienum se professus fuerit, in cæteris neque rebellis sit lumini, sed affulgentem divini spiritus radium, & afflatum toto pectore excipiens, ad Ecclesiam primitivorum accedat, in qua unum ovile est, & unus pastor.

§. LIII.

Alenconiense Calvinistarum Conciliabulum.

Aymon Synod. Nation. p. 530.

Hoc item anno Galli Calvinistæ obtenta Regis venia, die vigesima septima Maij Synodum Nationalem Alenconii celebrarunt. Sub primis auspiciis San-Marcus, qui Regis nomine præerat, coram congregatis Prædicantibus, quod Nemausini Concilii Præcones, & Rousseletus Minister a Bernensibus literas receperint, questus, inhibuit, ne deinceps cum exteris aut aliis Regi minus affectis versarentur, nec sub obtentu, quod leges libertati conscientiæ adversantes imponantur, adversus Regem arma sumerent, vel in suis declamationibus vel libris *de tormentis, Martyriis aut Dei Ecclesiæ vexationibus* mentionem facerent. Insuper

per eisdem ex Regis mandato præcepit, ut si de summo Pontifice, vel Catholicis, eorumque Sacramentis & ritibus loquerentur, illum *Antichristum*, hos vero *Idololatras* appellitare, aut verbis indecentibus contra illorum ritus, vel ab eorum secta ad Catholicam fidem reversos uti non præsumerent. Postea eosdem objurgavit, quod insuperhabito Regis mandato Prædicantes ex locis, ubi degunt, ad alias Ecclesias prædicatum exiverint, & pecunias ad pauperum levamen repositas in partem salarii suis Præconibus vendicarint. Denique præcepit, ut irritam declararent Nemausensis Conciliabuli Canonem, in quo Prædicantes auctoritate eis minime competente decreverunt, nullum esse Baptisma a quopiam alio quam a Prædicantibus collatum; inde enim, inquiebat ille, rebaptizantium error resuscitari posset, cum Prædicantes a Sacerdotibus Catholicis, quos a Deo vocatos esse, negare præsumunt, Baptizatos iterum tingere non erubescerent. Ad hæc Regii Deputati monita Prædicantes congregati vagis verbis suam erga Regem obedientiam, fidem & submissionem extollentes, crimina, quorum postulabantur, imminuere, plurimum adlaborabant, polliciti, quod contra Catholicos nullum ver-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

verbum, quod offendere posset, prolaturi sint, dummodo vicissim Catholici a contumeliosis objurgationibus abstineant: Baptismum vero ab aliis quam suis Prædicantibus in casu necessitatis collatum non esse validum, audacter propugnarunt, præfracte declarantes, Ecclesiæ Romanæ decisiones, quæ hunc errorem damnant, directe suæ Religioni oppositas esse, cum autem insuper ad excusandas Regiorum edictorum transgressiones libellum supplicem conficere pararent, Regius Deputatus eos memores esse jussit, de aliis quam disciplinæ Ecclesiasticæ rebus agere, ipsis esse vetitum, nec posse suis libellis alium præfigere titulum, quam *scripta illorum, qui existimatæ Reformationis Religionem profitentur*: Id acriter eos pupugit, caussantes, quod contra suam conscientiam locuturi essent, si se *existimatæ reformationis sectatores* profiterentur. Postmodum fidei suæ confessionem confirmantes, decreverunt, quod duntaxat Prædicantes calicem porrigere valerent, pompæ tamen funebres in usum deducerentur, *ut defuncti affines inde aliquod solatium recipiant*, vel verius, ut Prædicantes inde aliquod lucrum capiant. His ita decretis quosdam Prædicantes olim suis Ecclesiis amotos redintegrarunt, Samueli autem

autem Dufrene exauctorato Paſtori ſuaſere, ut unacum toga nigra totum Sacerdotium ſuum exueret, & opificio quodam victum ſibi quæreret. Diſcuſſis poſtea variis querelis, turbisque per ſuos Prædicantes hinc inde ſuſcitatis, ad diem decimam nonam Novembris omnibus Regni Eccleſiis jejunii legem indixere, ceteris Præconibus injungentes, ut in ſuis libris, ac ſermonibus ſuam erga Regem obedientiam, fidemque exaggerarent, eoquod ſuæ ſectæ hoſtes illorum fidelitatem Regi ſuſpectam reddere ſatagerent: perinde ac ſi apertæ eorum, ac per plurimos annos continuatæ rebelliones contra legitimum Regem concitatæ plusquam ſuſpectam eorum fidem non reddidiſſent: Nihilominus Regi ſupplicandum eſſe decreverunt, ne Calviniſtas ad hoc compelli permitteret, ut in feſto Corporis Chriſti ædes ſuas tapetibus ornent, infantes ſuos juxta *Papiſtarum* ritum vel ab obſtetricibus, aut aliis non Prædicantibus baptizari curent, & denique ne Prædicantes in aliis Eccleſiis, quam ubi reſident, concionari prohibeantur. Hæc enim Regis decreta nonniſi a juratis ſuæ Eccleſiæ hoſtibus fuiſſe fabricata, pro ſua modeſtia, ac in Regem reverentia dictitabant. Recitabatur etiam Regis epi-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

ſtola die vigeſimo quarto Junii data, in qua congregatis injunctum, ut quamprimum poterunt, hunc ſuum conventum diſſolverent, ne diuturniore Seſſionum mora Regias declarationes & edicta transgredi viderentur. Præterea Amyraldus & Tetardus duo Prædicantes ſuam doctrinam *de efficaci voluntate Chriſti & Decreto conditionali* contra ſuos accuſatores vindicare jubebantur: cum vero Dailleo Prædicanti injunctum fuiſſet, ut Theophili Milleterii librum *de mediis Pacis Chriſtianæ* refelleret, hic autem Daillei examen acriori ſtylo confutaſſet, hinc Prædicantes congregati die ſexta Julii Milleterio ſuam temeritatem adeo iniquam, ſuique conſilii vanitatem exprobrantes, comminati ſunt, ipſum, niſi intra ſemeſtre opiniones, ſuamque ſententiam mutaverit, ab Eccleſiæ Calvinianæ communione excludendum fore, eoquod in ſuo libro aſſerere auſus eſſet, quod primi Reformatores, eorumque Succeſſores turpiter hallucinati eſſent, eoquod illa fidei capita, quæ ipſe in ſuo libro explicaret, ignoraſſent: Tandem vero Ducampenſem Prædicantem ob adulteria, & Guilielmum Cacheretum, Leonardum Tevenotum antea Pictavienſem Monachum, necnon Paulum Falquerollum, eoquod a Calvini ſecta ad fidem Catho-

Catholicam reverſi eſſent, ſuis officiis amoverunt. Sæc. XVII. A.C. 1637.

§. LIV.

Moyſis Amyraldi Calviniſtæ controverſia cum Friderico Spanheimio, aliisque circa gratiam Univerſalem.

Mentionem ſupra fecimus de Moyſe Amyraldo, Præcone Calviniano & Salmurienſi Profeſſore; ſpecialem tamen hujus Viri fata locum ſibi vendicare videntur, eoquod ex ipſius præfervido Lutheri, Calvini & Arminii ſectam conciliandi ſtudio novam ſectam, factionemque progerminarit, naturali monſtrorum indole, quæ quoties inter ſe coeunt, novum procreant monſtrum. Erat hic Præco ob ingenii aciem, gratumque converſandi modum Richelio & Mazarino Cardinalibus, aliisque Proceribus Catholicis acceptus: cum autem horrendas Calvini, Bezæ & Bullingeri doctrinas de Particularismo concoquere haud poſſet, nec tamen palam cum Lutheranis circa fœdus Gratiæ & naturæ, atque univerſalitatem Meriti Chriſti, & vocationis conſpirare vellet, inter Calvini & Lutheri dogmata mediam viam inire ſtatuit, docuitque, quod Deus in paradiſo

Jæger. Hiſt. Eccl. l. 3. cap. 14. Arnold hiſt. Hær. part. cap. 9. Meiſn. Diſſ. de Univ. voc. §. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1637. fœdus cum Adamo, totoque genere humano inierit, & vi hujus fœderis ab eo perfectam obedientiam exegerit, viciſſim vero non plus promiſerit, quam vitam perpetuam, æternam & beatiſſimam, ſed animalem in Paradiſo peragendam, quin tunc ullum habuiſſet Mediatorem; poſt peccatum autem Deus novo conſilio Filium ut Redemptorem mittere decreverit, ſi tamen *homines ſint credituri:* Deus quoque prædeſtinatione particulari electos, & univerſali cunctos homines, dummodo credant omnes, ſalvare velit. Hæc pluraque alia abſona dogmata Amyraldus a Camerone ſuo olim Præceptore hauſerat, in Salmurienſi autem Academia poſtmodum publice tradiderat: cumque nulla ſit opinio adeo abſurda, quæ non ſibi Patronos, ſectatoresque vendicet, ita etiam illico hujus doctrinæ Defenſores, ac præcipue Placæus, Teſtardus, Fochörus, Morus, Claudius, Boſcus, pluresque alii Calviniani Prædicantes præter Brandeburgicos, aliosque Germaniæ Præcones, huic ſententiæ adhæſerunt: inde vero ſchismata, malignæ ſuſpiciones, criminationes mutuæ, odia, injuriæ, convitia, tumultus ac innumera mala in Galliis fuere exorta. Præ ceteris præter Molinæum Fridericus Spanheimius Lugdu-

Lugdunensis in Batavia Præco in Amy- Sæc. XVII.
raldum indomitis furiis desæviebat, A.C. 1637.
eumque hæresis, novitatum, & schis-
matis auctorem criminabatur, nec mo-
deratius convitia in Spanheimium re-
gessit Amyraldus, ejusque Sectatores,
qui palam e pulpitis ad populum dice-
bant, nunc primum Evangelii lucem
per Amyraldum clarius fuisse detectam,
ac conscientiis per decretum absolutum
excarnificatis, earumque tranquilli-
tati consultum. Hoc autem anno acrio-
res motus in hosce novatores excita-
bantur in Alenconiensi Calviniſtarum
conciliabulo; ex Deputatis enim non
pauci Amyraldum exauctorari, diris-
que devoveri, importunius postulabant,
alii editis passim libris eundem ejus-
que socios convitiis, & criminationi-
bus acriter infectabantur, alii illos Ar-
minianismi, plures Pelagianismi, ac
potissimi Socinianismi accusabant. Igi-
tur Prædicantes Alenconii congregati,
ne dissidia in sectæ suæ dedecus latius
serperent, Amyraldum, & Testardum
Blesensem Prædicantem, ut de nova
sua doctrina rationem redderent, com-
parere jusserunt, moxque septem no-
minarunt Deputatos, qui illorum do-
ctrinas examinarent, & de mediis tol-
lendi schismatis deliberarent: damna-
bant hi uno ore Amyraldi & Secta-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

torum dogmata; circa media autem, quibus hoſce novatores, ut *loquerentur idem cum eis*, conſtringere poſſent, quosve terminos in concipiendis doctrinæ articulis adhiberent, inter ſe diſſentiebant: Ita nempe egregii hujus Synodi Patres parum de doctrina ſolliciti, jam contenti erant, ut conſona cum ipſis loquella eſſet, & ejusmodi adinvenirentur termini, quibus error Calviniano pallio contegi poſſet: Eapropter hoſce Sectarios in ſuo ſinu *tolerandi* conſilium Alenconianis præplacuit; *nam*, inquit Langlæus digniſſimus hujus Synodi Præſes, *inter duo iſta* alterutrum eligendum erat: vel ſuo munere movendi erant illi, vel in alio conſervandi. Ut loco moverentur, non exiſtimavimus id Heterodoxias illorum mereri, præterquam quod ille rigor involviſſet aliquos, qui magni nominis ſunt in noſtris Eccleſiis, & quorum aliqui eminentiorem hujus Regni Cathedram occupant, qui ſunt in eadem cum ipſis Sententia, & quod veroſimile eſſet, nos ſic ſchismatis periculum incurſuros. Conſervare Dominos illos in ſua ſtatione, maculam illis aliquam inurendo, etiam erat, quo exiſtimabamus Academiam everti. Adeo ut contenti fuerimus, eos illuc adigere, ut noſtris elocutionibus uterentur, vel terminis proxime acce-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

accedentibns ad terminos Synodi Dordracenæ, expungendo locutiones mari cum scandalo conjunctas, & abolendo Decreta sua conditionalia, & in futurum etiam cavendo per Articulum, qui ipsos satis acriter pungit, & clare ostendit, Dominos illos occasionem præbuisse severitati illius Articuli.„

Ceterum Amyraldus & Testardus postquam in Synodo comparuerant, Prædicantes ibidem congregatos egregie ludificabant; suas enim doctrinas ambo versipelles dextre ad Calvini mentem explicarunt, ut, quamvis Alenconienses Præcones ex Amyraldi libro de Prædestinatione, & ex Pauli Testardi Irenico Pelagianismum & Arminianismum sole clarius detexerint, & Andreas Rivetus ad Synodum perscripserit, quod *illorum neque agendi modum, neque dogmata in hoc articulo probare posset*, & quamvis Samuel Maresius sancte professus fuerit, *velle se eam cum sanguine suo evomere, si quicquam doctrinæ de gratia universali in suo pectore haberet*, nihilominus Parisiensium Præconum minis territi Alenconienses, Amyraldum & Testardum cum honore dimitterent, impositio duntaxat silentio. Verum hi domum reversi non modo se victoriam reportasse gloriabantur, sed etiam insuperhabita silentii lege adversarios suos

Epist. ad Synod. Alenc. die 14. April.

Sæc. XVII. A C. 1637.

ore & calamo insectati sunt. Porro sæpius inter hosce Prædicantes inter Amyraldum & Rivetum, Vincentium, & Molinæum composita est qualiscunque concordia, mox tamen iterum dissoluta, sæpiusque ab eis hæc dogmata revocata, totiesque iterum plenis buccis divulgata, & pro aris focisque defensa: inde vero luculenter elucet, cui fundamento Novatorum doctrinæ innitantur, quæ ad arbitrium Sectatorum nunc acriter propagantur, ac defenduntur, mox ad aliorum preces vel metum rursus supprimuntur, & ab ipsismet suis Defensoribus rejiciuntur, ac paulopost denuo pro fidei articulis venditantur. Nec etiam magis sincera erant hac in caussa, ipsa actorum Synodalium documenta, quæ Blondellus recensuit, mox eadem Gualterius refutavit: unde Petrus Bælius in suo Dictionario appositе hæc subjunxit: *Pessimum est, quod ne in* factis quidem Gualterius & Blondellus conveniant; eadem discordia regnat in recensionibus Amyraldi & Riveti. Condonare forsitan his Viris possemus, quod eosdem conceptus non habuerint de materia tam spinosa atque difficili; sed annon concordes esse deceret in factis recensendis? Quæ quæso cogitationes animum Lectoris subeunt, cum videt eos

Tom. v. *pag.* 614.

eos se mutuo refutare circa res sub eorum oculis gestas? hicne ad eorum excusationem sufficere poterit labilitas memoriæ? annon tentamur ad credendum, utramque partem a mala fide, saltem ab artificio liberam non esse favorabilia tantum recensendi, omittendi ingrata?„ Demum, quantumvis Calvinistæ ad extinquendum hoc schisma etiam Synodorum auctoritate liberam doctrinæ de gratia universali professionem omnibus etiam Calviniſtis reliquerint, hocque dogma, quod haud *parum a sana doctrina in S. Scripturis revelata alienum* credunt, intra Ecclesiæ suæ mœnia tolerarint, nec tamen in hunc usque diem doctrinæ concordiam, communem erroris eversionem, atque animorum unionem post tot Synodos, mandata & disputationes restituere valuerunt, deficiente nimirum suprema judicis auctoritate, cujus judicio ac definitioni partes litigantes stare tenerentur. Sæc. XVII. A. C. 1637.

§. LV.

Continuata Puritanorum rebellio in Scotia ob novam Liturgiam.

Nupero Edinensis populi tumultu funestæ in Scotia seditionis prima spargebantur semina, quæ tandem in *Salmon. Hist. & Angl. Jæger. Hist. Eccl. l. 7. c. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Rapin. Thoir. Hiſt. d'Angl. l. 19. Calmet. Hiſt. Univ. l. 152.

Regni ruinam, Regisque excidium cum ſummo Anglici nominis dedecore excreverant: Majore indies furore inter ſe tumultuabantur Epiſcopi, ac Puritani: Hi Epiſcopis tyrannidem, ambitionem, & Liturgiæ obtentu Papismum invehendi propoſitum exprobabant, illi vero Puritanis objectabant Hierarchiæ odium, rebellionem in Reges, atque inſanum ſectæ ſuæ Fanatismum. Interea Carolus Angliæ Rex per ſuos Legatos non modo Franciæ Regem, ſed & Sueciæ Reginam adarmorum ſocietatem in Palatini Principis favorem pellicere tentabat; verum perſuaſum omnibus, Anglos bellum haud ſerio geſturos, ſed potius alieno damno, expenſisque res ſuas promovere intentos fore: quapropter validam opem ab Anglorum Rege, quem inteſtinis Puritanorum tumultibus diſtentum noverant, ſibi haud pollicebantur hi Principes: hoc enim anno Puritani tam aperto furore Regiis mandatis obſiſtebant, ut Senatus cunctis Sectariis Miniſtris, ne absque Cantuarienſis Archiepiſcopi venia e Regno diſcederent, prohibere, Puritanos vero in Americam abigere cogeretur: inde vero ortum, ut ibidem Puritanorum numero in immenſum ferme aucto non modo diſciplina Eccleſiæ Anglicanæ ſenſim abole-

aboleretur, ſed etiam temporis progreſſu Puritani, utpote gens regii imperii impatiens, obſequii jugum in America excutere molirentur. Quoniam vero ſe ab Epiſcopis Aulicisque inique vexari crederent, hinc eorum nonnulli ſeditioſos libellos in vulgus ſparſere, qui tamen de hoc crimine convicti, partim publice virgis cæſi, partim abſciſſis auribus perpetuis carceribus mancipati ſunt. Nec tamen horum damno Puritani in Scotia ſapere incipiebant, ad eam prolapſi temeritatem, ut precum publicarum librum a Rege nuper præſcriptum ſupprimi, præfracte a Senatu poſtularent: tandem vero Edinenſes apertæ ſeditionis vexillum primi extulere, innataque ſectariis omnibus pervicacia primum Senatus imperia detrectabant, mox & Regis ipſius exuebant ſacramentum. Quærentibus poſtmodum nova fœdera, ſicut fit in ſeditioſis, non potuere deeſſe ex ipſis etiam Proceribus, Nobilibus, civibusque novi conjurati, conciliante præſertim ſocietates, mentium & inquietudinis ſimilitudine, parique Liturgiam novam deteſtandi pertinacia: Horum tamen motibus adeo non terrebatur Senatus, ut etiam novos tumultus, quos ex inſueto populi concurſu ſibi præſagiebat, præventurus die decima ſeptima

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

ma Octobris præconis voce præciperet, quatenus omnes exteri intra viginti quatuor horarum ſpatium Edinenſi Urbe excederent, ac liber, cui titulus: *diſputatio contra ritus Anglicanos & Papiſticos Scotis obtruſos* ſupprimeretur. Altera nihilominus die populus turmatim confluit, ac ſeditioſorum manipulus Duca - Gallicanum Epiſcopum inter continua maledicta & convitia usque ad Senatus locum comitatur, ipſam quoque Curiam cingit, eundemque Epiſcopum ſibi tradi poſtulat. Implorat Senatus armatam Magiſtratus opem, incaſſum tamen; rebelles enim Puritani ipſos etiam Magiſtratus in Prætorio obſeſſos tenebat, ſanguinem & mortem & internecinum interitum denuntiantes, ni liturgiæ abolitionem protinus a Rege impetrarent, Ramſeyum & Rolleckum Puritanos Prædicantes e carcere liberarent, aliumque Præconem, Honderſonum nomine, antea exauctoratum, officio ſuo reſtituerent. Cuncta ſeditioſis pollicetur Magiſtratus, ut furentium manus effugeret. Interim Traquarius ſupremus Ærarii Præfectus, necnon Wigtonus Comes Curiam acceſſere, de opportunis Duca - Gallicanum Epiſcopum liberandi mediis cum Magiſtratu conſulturi: Hos inde reverſos ſeditioſi contume-

tumeliis ultra modum afficiunt, ipſumque Traquarium fuſtibus ac pugnis ad terram affigunt, vociferantes: *Ita Deus ſuam defendit cauſſam, & confundit Liturgiam, ejusque fautores.* Tot inſultuum impunitate tumentes Puritani nequidem ab armata ſatellitum manu ad officium redigi poterant, magis tamen proſpero ſucceſſu ſedandis turbis adlaborabant Senatus Primores, qui juncta quorumdam Nobilium, ac præcipuorum civium opera tandem ſeditioſi populi motus compoſuere. Sedato tumultu Senatus publico edicto rurſus inhibuit, ne Edinenſes in plateis vel alibi frequentiores concurrerent. Intempeſtivum prorſus erat hoc mandatum, Puritanorum animis nimium adhuc exacerbatis: quocirca recrudeſcente ſeditionis petulantia minaciter conclamant: *reddantur Prædicantes ab officiis ſuis amoti, necnon a Magiſtratu promiſſa exacte ſerventur:* nec hic ſtetit eorum audacia, ſed inſuper ſupremo Regni Cancellario contra Canones & Liturgiam duos porrigunt libellos, in quorum primo omnes Edinenſes incolæ, Viri, fœminæ, infantes & domeſtici, in altero vero Proceres, Nobiles, ejusdemque urbis cives præcipui legebantur ſubſcripti. Querebantur in hiſce libellis, quod eis contra fas novus, primæque reformatio-

Sæc. XVII. A.C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

mationi contrarius Dei cultus ſine Parlamenti, ac Generalis Synodi conſilio obtruderetur, novaque Liturgia per Epiſcopos extorta nil niſi Zizania ſuperſtitionis & idololatriæ contineat, ac Religioni in Regno ſtabilitæ adverſetur: præterea expoſuerunt, in Canonum libro eſſe ſtatutum, quod omnes, qui Dei cultum in Liturgia præſcriptum Sacris literis eſſe contrarium, vel ſuperſtitioſa, minusque legitima continere affirmaverint, ſint excommunicati, quin unquam niſi per Epiſcopos Eccleſiæ reconciliari valerent: Epiſcopis inſuper poteſtatem recens fuiſſe conceſſam ajebant, pro ſuo arbitrio pœnam injungendi, quoties Canones nullam pœnam ſtatuunt: ejusmodi autem judicium arbitrarium a Regni legibus nunquam fuiſſe approbatum dictitabant; præcipue vero lamentabantur, quod eos opprimendi ſtudio, intra viginti quatuor horas urbe excedere, ac interminata perduellionis pœna Canones obſervare, publico edicto per Epiſcopos procurato juſſi eſſent. Denique poſtulabant, ut Religionem juxta ritum in Eccleſia & Regno antea approbatum exercendi libertate deinceps frui permitterentur, eorumque querelæ contra Epiſcopos allatæ examini ſubjicerentur, interim vero Epiſcopi judicum par-

partes in propria cauſſa non ſibi arrogarent, donec via juris hoc negotium fuerit deciſum. Sæc. XVII. A. C. 1637.

§. LVI.

Scotorum jurata Anglicani ritus deteſtatio.

Ad hoſce Puritanorum libellos Carolus I. Angliæ Rex reſpondere, haud conſultum cenſebat, ſeditionis Authores omni legum ſeveritate plectere, deſtinatum habens: Inſtigabat quoque Regem Laudus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui ſuæ pariter auctoritatis contemptum acerrime indignatus, tanquam in perduelles animadvertendum, & Puritanorum pertinaciam armis expugnandam cenſuit: Aliorum tamen ſuaſu Rex ad Scotos has dedit literas: *Edinenſi tumultu haud immerito offenſus, ad veſtras querelas reſponſum, quale a juſto & Religioſo Rege expectari poſſet, dare intempeſtivum cenſui: interea palam verbis declaro, quod Papismi ſuperſtitiones abhorream, ac ſedulo intentus ſim, ne in ullam Provinciam ritus invehatur, qui ad VERÆ RELIGIONIS HUCUSQUE in Scotia ACCEPTATÆ augmentum non tenderet, aut REGNI LEGIBUS adverſaretur.* Hac declaratione Rex Scotos placatum iri ſperabat, hi vero verba

Thoiras l. c. Abrege chron. Siecl. XVII. pag. 446. Puſendorff Hiſt. de Bretagn. tom. 4. l. 4. cap. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

verba Regis pro ſua in eum diffidentia in ſiniſtram partem vertentes, ſibi perſuaſum habebant, quod Rex per *veram Religionem hucusque* ſtabilitam nonniſi Anglicanam in Hierarchia & Epiſcopali Ordine fundatam, & per *Regni leges* duntaxat decreta a ſuo Patre promulgata intellexerit: Quocirca de mutando Regis propoſito, aut concedenda rebellionis venia deſperantes Puritani, deteſtanda concepere conſilia, quibus ſe adverſus æquam Regis indignationem præmunirent, ſimulque a nova Liturgia exonerare poſſent: Haud latebant Regem perverſa eorum molimina, maluit tamen populi ſui obſequium paterna manſuetudine ac indulgentia redimere, quam vindictæ ſtudio ſubditorum cruorem profundere: eapropter ad Senatum ſuum denuo literas transmiſit in præcipuis Regni Urbibus promulgandas, quibus Rex quidem temeritatem, qua ſine venia conventum agentes huic libello ſubſcripſiſſent, ſeditioſis exprobabat, delicti tamen veniam conceſſit, ea lege, ut in ſuis ædibus, prout fideles ſubditos decet, quiete ſe continerent, nullos ejusmodi cœtus deinceps agerent, nec ſine obtenta licentia Strivelingam, quo Senatus Curia fuerat translata, contenderent: Hac tamen Regis indulgentia ſedi-

Sæc. XVII. A. C. 1637.

seditiosi Scoti intentatam sui oppressionem occultari credentes, consilia, quæ dudum animo volutabant, exequi statuunt: Altera igitur die Humeus & Lindseyus Comites cum ingenti Nobilium ac populi turba, insuperhabito Regis mandato, Strivelingæ conveniunt, atque in publico foro solemnem protestationem contra Regis decretum affigunt, eamque Lilingtoviæ & Edini promulgari curant, quin eos Senatus præsentia & auctoritas a temerario ausu absterreret. Hujus vero protestationis, ut vocabant, summa hæc erat: „Postquam sæpius contra Liturgiam, „Canones, & Episcopos porrectis supplicibus libellis questi sumus, nulla „autem nostræ supplicationis ratio a „Senatu fuit habita, nunc palam de„clarare cogimur, quod I. coram ipso „Rege nostras querelas deferre, jura„que apud competentes Judices prose„qui intendamus. II. Recusamus au„dem Episcoporum sententias, donec „se a criminibus imputatis purgaverint. „III. Nullam pœnam nequidem Eccle„siasticam subibimus ex eo, quod Epi„scoporum sententiis, ritibus, Canoni„bus, ceterisque innovationibus aquie„scere recusemus. IV. Denique de„claramus, non nobis, sed Senatui, qui „nostris precibus deferre renuit, mala

Sæc. XVII. A. C. 1637.

„exin oritura fore imputanda; nos enim „nonnisi veram Religionem in Regno „tueri, & Regis honorem defendere „intendimus.„ Nimirum apud Sectarios usitatus omnis rebellionis obtentus est Religio & conscientiæ libertas. Sub idem tempus ex Suecorum castris in Scotiam venerat Alexander Leslæus, qui Bannerio subesse recusans, meliores fortunæ vices in patria expectabat. Hic comperto Scotorum tumultu sese conjurationi ducem præbuit, ac Nobiles in Regem concitavit, egregie adstipulantibus Puritanis Prædicantibus. Horum suasu conjurati, quatuor erigunt tribunalia, ex quorum sententia cæptum perficeretur negotium. Præprimis autem communi omnium suffragio concipitur fidei confessio novæ Liturgiæ recta opposita, necnon mutua erigitur conventio seu *jurata rituum Ecclesiæ Scotiæ defensio*, qua sese interposita juramenti Religione unaomnes obstrinxere, quod Religionem suam contra ipsum etiam Regem defendere, omnesque novos ritus Papismo nimium affines & Episcoporum Regimen rejicere velint. Promulgata hac conventione mox velut classico in unum agmen adversus Regem convenere omnes Scoti, Anglico Regimini infensi, ac sectæ suæ studiosi, id est,

Convenant.

est, universum pene Regnum: Sub- Sæc. XVII.
scripserant eidem Nobiles & plebæi, A. C. 1637.
exceptis solis Catholicis, paucis Episcopis, & Magistratibus, necnon quibusdam Prædicantibus Ecclesiastica dignitate a Rege insignitis. Inde autem factum, quod Rex, Senatus, Judices & Episcopi uno ferme momento, omni potestate omnique auctoritate spoliati essent: nulla amplius valebat lex, sola hæc conventio apud Nobiles plebemque vim legis obtinuit: nulla habebatur Regis Reverentia, omnis exulabat fidelitas, unde haud mirum, quod omnes conatus, quos Rex postea ad extinquendum hoc incendium adhibuit, in irritum ceciderint: id tamen oppido mirum est, quod in tam vasto Regno tot homines in unum conspirarint, & sub falso tuendæ libertatis, ac purioris Evangelii obtentu divinas & humanas, ipsasque S. Evangelii leges proculcare, legitimo Regi obsequium & diadema auferre, seque Regis fratrumque suorum sanguine inebriare maluerint, quam nova, nequidem doctrinæ sed duntaxat disciplinæ Ecclesiasticæ capita acceptare. Cæci, atque ad omnia mala proclives sunt, quos non veritatis amor, sed Religionis oppositæ odium in sectæ suæ fanatismo detinet.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

§. LVII.

Petrus Pasmanus Cardinalis mortuus.

Ciacon. in vita Urban. VIII. Vid. supra l. 198 §. 16. t. 59. pag. 429.

Hoc anno Purpuratorum Collegium nonnisi duorum Cardinalium jacturam deplorabat, quos inter primus erat Petrus Pasmanus ex prima Hungarorum Nobilitate Varadini natus. Hic ingenii præstantia, judicii maturitate, & eloquentiæ ac doctrinæ ubertate longe clarissimus, ceteraque omni literatura, etiam de pulpitis & prælo dudum spectatissimus erat. Missionibus per Hungariam obeundis non sine maximo animarum proventu vacabat, plurimosque hæreticos ad Catholicæ veritatis semitam reducebat. Postea defuncto Francisco Cardinale Forgatio Strigoniensi Archiepiscopo ad Mathiæ Imperatoris & Hungariæ Primatum preces huic Ecclesiæ præficitur, quam etiam tanta prudentia, & apud omnes Ordines auctoritate administravit, ut Clerum in disciplinæ studio, Hungaros in obsequio Cæsaris, & Turcas in officio semper retineret. Inde vero a Ferdinando Cæsare Viennam accersitus, ab Urbano VIII. Cardinalium Albo inscribitur, ac tertio post anno Romam profectus Cæsaris nomine expositis fidei Catholicæ ac Germaniæ periculis adver-

adversus hostes opem Pontificis implo- Sæc. XVII.
rabat. Verum instigantibus quibus- A.C. 1637.
dam malevolis Pontifex Pasmano declaravit, quod Cæsareas Legationis commissæ literas accipere non valeret, si in his Pasmanus nominaretur Legatus, eoquod Cardinalem legatione fungi indecorum foret: his dictis reipsa Pontifex ex scripto, in quo legationis capita erant contenta, legationis nomen, præsente Pasmano delevit. Hoc facto Pasmanus Cæsaream auctoritatem offendi veritus, datis ad Franciscum Cardinalem Barberinum literis graviter, modeste tamen, querebatur, demonstrans, quod hucusque sæpius Cardinales non modo ab Imperatoribus, sed & Regibus ad Sedem Apostolicam Legati fuerint decreti, atque etiamnum Regis Catholici Legatus sit Cardinalis, imo etiam *Cardinales Regum nomine supremos Belli Præfectos agant, & quidem contra Principes Catholicos, atque in bello, de cujus justitia controverti posset*, proin si militaribus hisce obsequiis læsa non putetur dignitas Cardinalitia, minus læderetur, si Cæsar Cardinalis opera utatur, ut ejus nomine apud Sedem Apostolicam pro tuenda fide Catholica contra Ecclesiæ hostes opem imploret: cum autem nec Pasmanus, nec plures alii Cardinales, Regumque Oratores,

Sæc. XVII. A. C. 1637.

qui hac in re ſuam impendebant operam, Pontificem a ſua ſententia removere poſſent, Paſmanus animo prorſus intrepido rurſus datis ad Barberinum literis pericula ex hæreticorum armis Germaniæ impendentia retulit & tanquam unicum mali remedium fœdus inter Catholicos Principes a Papa promovendum, necnon decimas a Clero exigendas ſcriptotenus expoſuit, harumque literarum tranſumpta ſingulis Cardinalibus transmiſit; ſpem autem omnem abjiciens, demum inſalutatis fere omnibus Roma diſceſſit. Nec tamen tanti Viri Legatio omni caruit ſucceſſu; quippe Pontifex pro Catholicis in Germania ad aliquot Menſes viginti quatuor aureorum millia quolibet Menſe aſſignavit, cunctosque Epiſcopos ac Prælatos hortatus eſt, ut Principes Catholicos ad armorum Societatem contra oppreſſorum Principum hoſtes inducere adlaborarent: Tandem Paſmanus viribus potius, quam ſenio fractus, die decima nona Martii, poſtquam Tyrnaviæ Ædem Cathedralem, Academiam, & Collegium pro educanda juventute & pro Clero Hungarico Seminarium fundavit, pluraque alia monaſteria aut dotavit, aut exſtruxit, paucis poſt glorioſiſſimi Cæſaris Ferdinandi II. obitum diebus Poſſonii pie in Domino obiit,

Annal. Khevenh. t. 12. pag. 329.

obiit, annos natus ſexaginta quatuor. Scripſit libros contra Petrum Alvinc- Sæc. XVII. A.C. 1637.
num Prædicantem Caſſovienſem, *conſultationem de fide capeſſenda, rationes Apoſtolicas, quibus vanitas Lutheranæ hæreſis oſtenditur*, reſponſionem Chriſtianam de cultu Sanctorum, Diatribam de viſibili Chriſti Eccleſia, & vindicias Eccleſiaſticas contra decreta Principis Bethlem, præter acta Synodi Strigonienſis, pluraque alia potiſſimum Polemica.

§. LVIII.

Laudivii Zacchiæ Cardinalis obitus.

Hunc paucis poſt menſibus pari fato ſequebatur Laudivius Zacchia Nobilis Genuenſis. Hic in patria humanioribus literis imbutus, Piſis utriusque jurisprudentiæ ſtudio egregie operam navabat, Doctoratus laurea decoratus. Inde in patriam reverſus in uxorem duxit Lauream fœminam generis nobilitate, & virtutum eminentia longe ſpectatiſſimam, qua tamen defuncta Laudivius Romam ſe contulit ad fratrem ſuum Paulum Æmilium Cardinalem, cujus potenti favore ſuffultus, ſub Clemente VIII. Papa varia, eaque non minus oneroſa, quam honorifica munia ſummo omnium applauſu, ac Pontificis laude obibat: demum in de- *Ciacon. in vita Urbani VIII. p.544.*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

mortui fratris ſui locum Epiſcopus Montis Faliſci, Apoſtolicus apud Venetos Nuntius, Pontificii Palatii Præfectus, ac demum Cardinalis Presbyter ab Urbano VIII. Papa renuntiatur. Tandem vitæ ſuæ dies, quos ferme omnes in Pontificiis negotiis, graviſſimisque rebus in Eccleſiæ Catholicæ utilitatem geſtis transegerat, deliquio mentis oppreſſus Romæ die ſeptima Menſis Auguſti deceſſit, ſepultus in Eccleſia S. Petri ad vincula.

His Urbanus VIII. paucis poſt Palmani obitum diebus trigeſima Martii die nonniſi unicum ſubrogabat Cardinalem, Marcum Antonium Franciottum patria Lucenſem, quem inter Presbyteros, primum titulo S. Clementis, ac poſtea S. Mariæ de Pace ornabat.

§. LIX.

Lutheranorum turbæ contra Catholicos in comitiis Poſonienſibus.

Orthel. contin. p. 129. Pannonia bell. pac. geſt. part. 1. fol. 375. Han Pan. vet. & nova fol. 351.

Tumultu in Tranſylvania ſedato, Turcisque profligatis Ferdinandus III. neo-electus Imperator die decima nona Novembris Poſonium unacum Auguſtiſſima Conjuge ſua contendit, indicta ibidem Regni comitia celebraturus. Invitabantur ad ea non modo Catholici, ſed & Lutherani Proceres, ac ipſe-

ipsemet Imperator huic conventui so- Sæc. XVII.
lemne dabat initium, habita perele- A.C. 1637.
ganti oratione latina, qua finita Cæsar vehementer adversus Lutheranorum temeritatem querebatur, eoquod inconsulto Rege duntaxat ad exulum Protestantium preces in ipsa Posonienſi urbe suæ sectæ Templum magnis sumptibus erigere præsumpsissent; pro suo igitur erga veram Religionem studio ædificantes, ne cæpto operi insisterent, inhibuit: cum vero insuper in Sessione prima Hungaricis Regni Ordinibus præcepisset, ut Lutheranos, ceterosque exules Acatholicos toto Regno excedere juberent, inde tam acris inter Catholicos & Lutheranos verborum rixa, maximisque clamoribus confusa habebatur altercatio, ut ipsemet Imperator, interposita auctoritate sua tumultum sedare cogeretur. Nec diu tamen subsitit imperata hæc quies; mox enim Lutherani recrudescente oppositæ Religionis odio in Catholicos Proceres contumeliosis objurgationibus ac convitiis, præsente etiam Cæsare, invehuntur, ac præ ceteris Forgatsius Religionis fervore longius, quam par esset, abreptus Esterhasium tum Lutheri sectæ addictum, rebellem compellat; hic vicissim acrius convitium in alterum regerit, a contumeliis ad armatam vim

Sæc. XVII. A. C. 1637.

descenditur: stringunt ambo acinacem, in mutuas cædes intenti: tempestive autem Cæsar hosce Proceres, quos Regiæ Majestatis Reverentia a privato ultionis æstu non absterrebat, custodiæ dari jussit. Majore animorum, opinionumque consensu reliquæ componebantur controversiæ; ubi vero Imperator, ceterique Proceres Catholici Lutheranos ad exules, proscriptosque Regno abigendos rursus exposita petitionis æquitate juxta ac necessitate persuadere adlaborabant, novæ inde Protestantium rixæ, clamores dissoni, mentes aversæ, sunt exortæ, atque ex litigiorum minacium acrimonia tantum non bellum intestinum, sectarii, malique consilii pessimum excrementum, erat pertimescendum; quocirca Imperator majoris mali metu percitus, ac necessitate compulsus, anno sequenti indulsit, ut Religionis res juxta dispositionem regnante Mathia Cæsare anno hujus sæculi octavo factam decernerentur. Verum nec ipsa hac Imperatoris indulgentia Lutherani ad tranquillam pacem Regisque sui obsequium perduci poterant, tuncque demum est cognitum, quod apud gentem ab stirpe turbidam Principum benignitas contemptum, subditorumque arrogantiam pariat: Hi enim paulopost Cassoviæ clan-

clandestinum habebant conventum, communi consilio deliberantes, qua ratione proscriptos protegere, Templumque sibi ereptum denuo vindicare possent: tandem vero Protestantium Principum suppetias implorabant, ut saltem, quod propria importunitate non possent, id per obfirmatam alieni exercitus violentiam perfringere valerent. Sæc. XVII. A.C. 1637.

§. LX.

Variæ Urbani VIII. Pontificis & S. Congregationum Constitutiones.

Inter gravissima Ecclesiæ negotia Urbanus Pontifex nihilomnino a pastorali remittebat sollicitudine, qua ad Cleri disciplinam, vel morum emendationem proficuas identidem leges sanciret, & quidem hoc anno die quarta Aprilis prohibuit, ne Reformati Trinitarii ad Ordinem Fratrum Minimorum transirent, voluitque, ut Regulares infirmis Ministrantes deinceps generalia sua comitia singulis sexenniis celebrarent. Die autem vigesima Junii statuit, ut illi, qui ex ditione Pontificia, sub ementito cognomine, ad secundas nuptias, vivente adhuc prima uxore, transiisse deprehenduntur, præter consuetas pœnas ad triremes perpetuo damnentur, si vero inhabiles fuerint, publi- *Bullar. magn. Const. 211.*

Sæc. XVII. A. C. 1637.

publice fuſtigentur, ad carceres perpetuos damnandi, aut pro delicti enormitate etiam Curiæ ſæculari tradendi. Exortis vero inter Regulares crebris litibus circa præcedendi honorem, tandem ſummus Pontifex die decima octava Decembris decidit, ut, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant, & ubi non probatur, aut non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ. Præterea Sacra Concilii Congregatio die decima nona Septembris decidit, quod umbellam, Pyxidem, aliaque pro S. Sacramento ad infirmos deferendo neceſſaria procurare, ſartaque ſervare, ad Parochum, ſi ſufficientes reditus habeat, ſpectet, ſecus in ſubſidium teneatur populus, aut Sodalitates: Sacra vero Rituum Congregatio exorto apud Matelicenſes dubio die vigeſima prima Novembris declaravit, quod nonniſi unica, & illius quidem Eccleſiæ, ad quam corpus defertur, deferenda ſit crux in efferendis cadaveribus.

§. LXI.

Principum atque illuſtrium obitus.

Burgold diſc. ad Inſtr. pac. Puſendorff de reb. Suec.

Eo tempore, quo Guilielmus Haſſiæ Landgravius abrupta pacis negotiatione belli molem in Friſiam Orientalem

talem transferre, suumque Principatum Westphalici imperii accessione protendere meditabatur, tam amplas spes ac conatus uno momento intercidit invida mors, quæ hunc Principem tabe confectum Lieræ altero ab Embda lapide die vigesima prima Septembris sustulit, anno ætatis suæ trigesimo secundo: Integro decennio infestis armis Cæsarem impugnabat, inde vero nil aliud commodi referebat, nisi ut de eo tandem diceretur, illum aliquando fuisse, brevi floruisse, & tandem decidisse. Nec tamen illis accensendus videtur juvenibus, qui licet mortales, se non morituros credunt; quippe paucis ante obitum horis in quadam tabula hæc verba: *Homo, disce mori*, scripsisse fertur. Hujus Principis obitum præcesserat Bogislaus XIV. Pomeraniæ Dux, postremus ejus familiæ, quæ ditionem illam per annos septingentos obtinuerat. Hic Princeps ad omnia iniquæ sortis puncta natus, inter Suecorum, quibus tamen fœdere junctus erat, oppressiones die decima Martii nulla relicta prole, anno ætatis suæ quinquagesimo septimo animam egit. Haud felicior adversantis fortunæ victima cecidit Victor Amadæus I. Sabaudiæ Dux, qui post varias clades a Gallis illatas, dum benignioris sortis primordia delibare cæperat,

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

perat, Vercellis die ſeptima Octobris quinquagenarius in pulverem, cineremque abiit, ſuo exemplo edocens, quod in magno etiam gloriæ acervo parum ſolidi pulveris reperiatur. Pari fato hoc item anno deceſſit Carolus Gonzaga Mantuæ & Nivernii Dux, cui Mantuanus & Montferratenſis Ducatus nonniſi bellicæ fatigationis campum aperuit, & invidiæ irritamentum exſtitit.

§. LXII.

Quorumdam Scriptorum Catholicorum deceſſus.

Miræus Script. Sæcul. XVII. Anton. Bibl. Hiſp. Nicevon. 21. pag. 387. Nic. Erytr. Pinac. I.

Præter hoſce Principes irrevocabili decreto pariter ad mortem decurrebant ex Catholicis Scriptoribus non pauci, ex quibus primo celebratur Joannes de Serrano Ancernanus Epiſcopus ex Ordine S. Franciſci, qui tractatum de Miſſæ Sacrificio, necnon librum de Immaculata Conceptione præter alia edidit. II. Nicolaus Fabricius Peireſcius Aquenſis Senator, qui utiliſſimum opus de linquis orientalibus, necnon indices harum linquarum, hiſtoriam Galliæ Narbonenſis, & commentaria rerum memorabilium ſua ætate geſtorum, pluresque alios libros publici juris fecit. III. Henricus de Villalobos

Sæc. XVII. A. C. 1637.

bos Minorita evulgavit Theologiam moralem & Canonicam, necnon manuale Confeſſariorum. IV. Petrus Bardin edidit librum de honorati Viri officiis, cogitationes morales, necnon epiſtolas circa obſeſſas Sanctimoniales Juliodunenſes. V. Claudius Robertus primus Author celebris vaſtique operis, cui titulus: *Gallia Chriſtiana*, quam poſtmodum Sammarthani Fratres auxerunt. Scripſit quoque Claudius libellum de morte pulchra, necnon Hiſtoriam Divionenſis, & Belnanæ Urbium. VI. Antonius Perez Arbucellanus Archi-Præſul, qui Pentateuchum fidei, de Eccleſia, Conciliis, Scriptura Sacra, traditionibus, & Romano Pontifice, necnon authenticam fidem SS. Pauli, Matthæi, Actorum Apoſtolorum &c. conſcripſit, præter commentaria in Regulam S. Benedicti, & quosdam Sermones. VII. Janus a Coſta, qui commentaria ad capitul: *cum Martinus* de Conſtitutionibus, ſummaria ad novem titulos Decretalium, commentaria ad Decretales, & notas ad Inſtitutiones poſteris reliquit. VIII. Cornelius a Lapide ex Societate edidit prolixa admodum commentaria in univerſam S. Scripturam, exceptis libris Job & Pſalmorum, quos imperfectos reliquit, Le Blanc vero abſolvit. IX. Martinus Roa

Vid. ſupra 198. *t.* 59. §. 103. *pag.* 387.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Roa itidem Socius, qui singularium S. Scripturæ volumina duo, commentaria in Habacuc & Psalmum II. præter Historica edidit. X. Joannes Pineda Jesuita, qui commentaria in Job, Ecclesiasten, & Cantica scripsit. XI. Philippus Bebius itidem Jesuita nil nisi Ascetica vulgavit, quorum seriem P. Alegambe prosequitur. XII. Franciscus Paronus ex eadem Societate introductionem in S. Doctrinam, commentarium dogmaticum in Evangelia & Pentateuchon publicæ luci donavit. XIII. Didacus Marino ex Ordine Carmelitarum Episcopus Mont-Pelusinus, ex cujus calamo profluxere commentaria in quatuor libros Sententiarum, necnon Synodi suæ statuta. XIV. Abrahamus Bzovius Ord. FF. Prædicatorum, qui jubente Paulo V. Historiam Ecclesiasticam ab anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, quo Cardinalis Baronius desiit, usque ad annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum secundum per novem tomos prosecutus est. Habuit tamen acrem Adversarium, Joannem Georgium de Hörwarth, qui Ludovici IV. electionem ex monumentis antea incognitis & petenti Bzovio denegatis vindicans, eundem Authorem injuriarum postulabat: Bzovius vero eadem documenta post

Bibl. Script. S. J.

Graveson. Hist. Eccl. p. 3. tom. 8. Col. V.

Sæc. XVII. A. C. 1637.

postmodum secundæ Tomi XIV. editioni integra fide inseruit. Carpitur etiam, quod nimio instituti sui studio abreptus in suorum gesta tam copiose excurrerit, ut potius Ordinis, quam Ecclesiæ Historiam concinnasse videatur: ab aliis reprehenditur, quod festinatiore, ac opportuerit, calamo usus, Annales suos decurrerit potius, quam absolverit. Præterea Bzovius Sylvestrum II. Papam a calumniis vindicans, vitam S. Adalberti Pragensis Episcopi eidem Pontifici attribuit, & Jacobum minorem, seu Episcopum Jerosolymitanum cum Jacobo Majore confudit, sæpiusque Alani Rupensis fabulas secutus fuit, in quo ab Antverpiensibus Hagiographis aliisque exagitatur. Edidit quoque librum de sanctis Medicis, quibus perperam Joannem Mansur Damascenum Græcorum Theologum & sanctum Ecclesiæ Patrem loco Joannis Hesva Damasceni recentioris longe Medici adscripsisse, a Petro de Valleclausa redarguitur. Exstat quoque Romanis, Colonienſibus & Parisinis literis excusus Bzovii liber de præstantia, rebusque gestis summorum Pontificum a D. Petro usque ad Paulum V., cujus vitam Bzovius singulari adhuc libro descripsit: denique præter Historiam Ordinis sui, ac compendium Baroniæ

Sæc. XVII. A. C. 1637.

næ Historiæ plura exegetica & Ascetica posteritati reliquit. Ceterum Bzovius, postquam a latrone quodam, qui prius ejus famulum interfecit, omnibus bonis spoliatus erat, hac cæde territus ex Vaticano in suum ad Minervam Monasterium reversus, ibidem die postrema Januarii septuagenarius decessit, seque de Literaria Republica optime meritum reddidit; quamvis enim in suis Annalibus in quosdam nævos offenderit, tot tamen vetera monumenta & diplomata ex tabularis Romanis, & Bibliotheca Vaticana eis inseruit, ut inde Historia Ecclesiastica plurimum illustrata fuerit.

§. LXIII.

Quidam Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.

Freher Theatr. Erud. p. 1. Sect III. Bossuet Hist. var. tom. 2. p. 455.

Ex Sectariis Scriptoribus hoc anno denatis quosdam subjungimus: inter hos primo loco occurrit Joannes Messenius, qui Ecclesiasticam Daniæ Historiam, chronicon Episcoporum Sueciæ, & Historiam Regum Danorum usque ad annum sæculi elapsi nonagesimum sextum publici juris fecit, ac demum ex carcere suo, in quo ob clandestina cum Polonis commercia integros viginti annos hæserat, suam Scan-

Scondiam illustratam seu Septentrionis Historiam concinnavit. II. Joannes Gerardus a Lutheranis *tertius post Lutherum & Chemnitium Reformator dictus*, qui commentaria in Genesin, Deutronomium & Epistolas D. Pauli & Petri, necnon in Apocalypsin & Epistolam Judæ, præter alia edidit. III. Gotfridus Schlüterus scripsit explicationem certaminis de Philosophiæ usu in rebus fidei. IV. Mauritius Burchardus propugnaculum Christianorum, tractatum de peccato originis, & duodecadem pro Augustana Confessione vulgavit. V. Daniel Cramerus, qui de colloquio Ratisbonensi, hæresibus, & de veris Ecclesiæ notis scripsit, præprimis vero Theonimum dentem exeruit, contra Pontifices, Cardinales, Episcopos, Jesuitas & Monachos, quæ maledicentia tum quidem Lutheranorum auribus grata accidit, nostro autem ævo antiqua hæc iterato vomitu rejecta crambe sanioribus nauseam stomachumque movet, & nonnisi a quibusdam idiotis in solidæ rationis defectum recoquitur. V. Robertus Fludd scripsit tractatum de vita, morte, & resurrectione, veritatis proscenium, Sophiæ cum Moria certamen, medicinam Catholicam, & præter plura alia, Philosophiam Mosaicam: Acriter quoque multisque scriptis defendit fanaticos

Sæc. XVII. A. C. 1637.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

ticos Roſeæ Crucis fratres, ita nempe vix ulla eſt cauſſa tam mala, quæ non ſui ſimilem Patronum reperiat. VI. Abraham Gensreſſius, qui diſputationes Synodales de abuſu Miſſæ, tractatus de Antichriſto, & omnipræſentia Dei, *cupreſſatum mortis ac lauretum* vita typis edidit. VII. Joannes Bogermanus annotationes contra Hugonem Grotium, & praxim pœnitentiæ ſeu meditationes in lapſum Davidis, publici juris fecit.

§. LXIV.

Cæſareo-Saxones ob inediam ex Pomerania excedere coacti.

Annal. Boic. Adlzr. part. 3. l. 23. Brachel. Hiſt. l. 4. Jæger. Hiſt. Eccl. p. 576.

Cum in variis comitiis de reddenda pace frequentes haberentur conſultationes, Sueci interea ex accepta nuper a Werthio clade ſeſe colligendi ſpatium nacti ſunt: ac præprimis Uranelius Suecici exercitus Dux Galaſſum Comitem, qui cum Cæſareo milite in Rugienſem Inſulam penetrare nitebatur, cæſis centum quinquaginta, & octoginta captis repulit. Paulo ſecundior fortuna arriſit Klitzingio Tribuno Brandeburgico & Vicethumio Saxoni, quorum prior Garzium oppidum, alter Waremundenſe propugnaculum deditione acceperant; mox tamen Sueci novis

novis suppetiis aucti captis Cæsareis ferme quingentis Garzium recuperarunt, ac quatuor Cæsareis, & sex Polonorum legionibus qua captis qua cæsis Malchinum urbem ceperunt, deleto ad internecionem præsidio, direptisque civium fortunis. Inde in Brandeburgicam ditionem erumpentes, Bernaviæ urbis jam aliunde pestilentia depopulatæ præsidiarios inopina vi oppressere, ac integris octo horis non modo in milites, sed & cives innoxios truculentum in modum debachati sunt. Horrendum erat, videre expilatas, destructasque ædes, raptas, vitiatasque Virgines & Matronas, abstractos contra fas & nefas ingenuos: Lamentabantur cives, experti furta, sacrilegia, latrocinia necnon cruorem, ac cædes, si qui forte jure gentium, & naturæ defendere suas opes ausi essent. Quibus vero truculenti hi milites pepercerunt, illos lenta crudelitate variisque cruciatibus ac præcipue aqua per vim ingurgitata, ac fustibus violentisque compressionibus extorta ad prodendum, si quas pecunias scirent reconditas, adegerant, abactisque demum armentis, & corrupta, quam auferre non poterant, annona ipsos etiam Prædicantes per plateas fustibus bene delumbatos raptasunt. Inde cum opima præda Wolga-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

ſtum progreſſi, hoc oppidum fame, & Daminum ferro ad deditionem compulere: viciſſim Brandeburgici depulſis Suecis Novobergam depopulati ſunt: poſtquam vero Bannerius partim Cæſareorum transfugiis, partim domeſticis ex Suecia ſupplementis numero & potentia Cæſareis longe ſuperior evaſerat, Galaſſus exercitum ſuum fortunæ adverſantis calamitatibus ſubducendum ratus, e Pomerania Havelam verſus caſtra movit, per Regionem rebus omnibus exhauſtam proficiſci coactus: unde accidit, ut deficiente pabulatione jumenta, & diuturna annonæ penuria milites magno numero perirent, & Gallaſſus copias ſuas plurimum imminutas in Bohemiam reducere cogeretur; Bannerius poſtea Cæſareorum metu ſolutus, Havelburgum, & Schelungius Leuzium haud magno negotio diripuere, & ſine hoſte & armis Pomeraniam recuperarunt. Ita demum victoriæ palma, quam glorioſo conamine, & copioſo hoſtium ſanguine Cæſarei priori anno plantarunt, hoc anno Principum fœderatorum tenacitate exciſa fuit: cum enim hi privato commodo intenti, communem Imperii exercitum inedia premi, ac hoſtiles copias jamjam devictas militum defectione inde cauſſata augeri paterentur, Sue-

Suecis ad evertendum Imperium reversis, temerariam hanc avaritiam multiplici dein clade luere coacti sunt. Tantum impedit commune Religionis ac justitiæ bonum privati dispendii formido, & proprii commodi aviditas. Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXV.

Fausta Vinariensis Ducis expeditio contra Cæsareos.

Nupera clades, Rhenique litora male custodita Vinariensem Ducem ad Germaniam ea ex parte rursus invadendam incitabant: die igitur vigesima nona Januarii ex Delspergensium finibus per Basileensium fines cum valido agmine erumpit, Rhenoque Steinam prope trajecto, Lausenburgum, urbis Præfecto segniter resistente, necnon Waldshutum expugnat. Victoriæ cursum sola Rheinfelda, arte & natura prævalida Urbs sistere videbatur. Hanc ergo Dux die septima Februarii toto belli apparatu obsidet, urbique extremam vim infert, fiducia successus, quam successu meliore; Gubernator enim tam diu, tamque invicta fortitudine hostium impulsus repulit, ut Sabellius Dux, Joannes de Werth, aliique Cæsarei, Bavarique Duces cum copiis suis laboranti urbi tempestive succurrere possent:

Theatr. Europ. tom. 3. pag. 911. Plaseccius pag. 612. Wassemberg comm. bell. Ferd. p. 427.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

sent: Horum tamen adventu nondum territus Vinariensis, incredibili furore in dextrum agmen, cui Werthius præerat, die vigesima octava Februarii, irrumpit, ordinesque capto Wolffio aliisque Tribunis perfringit: Werthius vero vulnus, quod acceperat, ulturus, cum Equitibus suis, uti ad resistendum obfirmatissimis, sic ad victoriam omnium felicissimis in hostem proruit, urget funditque Vinariensem peditatum, cæsisque Philippo Rheni Comite & Rohanæo Duce Gallos profligatos ab obsidione Lauffenburgum usque propellit. Altera die Vinariensis Dux acceptæ cladis ignominia stimulatus, Cæsareos Bavarosque hinc inde dispersos, inopina vi aggreditur, ingentique clade affectos in fugam agit: Werthius vero retrocedere haud assuetus, aliquamdiu pugnando substitit, tandem vero ab hostibus undique cinctus unacum Wahlia legione sua captus est. Nec Sabellii, Enkevortii, Sperreutheri, pluriumque Ductorum auspicatior fors erat; hi enim omnes in Gallorum potestatem redacti, Parisios raptabantur, tam infausti prælii testes futuri: solus Sabellius per custodum incuriam fuga elapsus est, totus vero peditatus aut cæsus aut captus. Reportata hac victoria Tubaldalius

dalius Suecorum Tribunus, Hunin- Sæc. XVII.
genſe propugnaculum, & Vinarienſes A.C. 1638.
Rheinfeldam deditione, caſtrumque Rætalenſe, & denique Friburgum ferro ſubegerunt. Tum primum toti Germaniæ triſtia fata, duraque pacis iniquæ neceſſitas ac irreparabiles jacturæ pedetentim imminere cæperant; expugnatis enim hiſce propugnaculis commeatus ex Helvetia advehendi facultas fuit intercluſa, proin Briſaci, ni armis, ſaltem fame domandi, captoque hoc munitiſſimo Imperii præſidio latius graſſandi ſpes haud exigua Suecis affulſit. Hæc adſpirantis Fortunæ auſpicia Vinarienſi Duci ingens erant expugnandi invincibilis hujus munimenti incitamentum, ſuperandarum difficultatum altus impetus: quibus accedebat quotidianis incrementis gliſcens propagandæ ſectæ amor, & odium in Cæſarem, unicum Catholicorum præſidium. Ne quis vero dubitaret, Religionis diſſimilitudinem exſtitiſſe bellici furoris argumentum, Dux Sabellii fugam, & ampliſſimi, quod ab hoc captivo ſperabat, lytri jacturam inhumana crudelitate in duos Sacerdotes, unum civem, fœminasque imbelles exercita plectebat, hosque omnes unacum Vigiliarum Præfecto capite plecti præcipiebat: Poſtea Briſacum arctius cingere cæpit; nihilominus

Sæc. XVII. A.C. 1638.

minus tamen Joannis Gozii Ductoris Cæsarei industria factum, ut aliquantum annonæ obsessis adveheretur, haud tenue in extrema rerum inopia levamen, quod tamen brevi in necessitatis augmentum vertebatur; quippe ex militum incuria ignis in nitratum pulverem incidens, quadringentos frumenti modios corrupit, totidemque homines qua læsit, qua omnino elisit: nec parum valebat ad intendendam obsessorum calamitatem omnis propemodum consilii defectus, ac recentis annonæ desperatio: verum sicut quod nemo subinde sperat, id non raro ex obliquo fit, ac frequenter ibi Deus servat, ubi semetipsum homo dudum abjicit, sic dum obsessi diffidunt, dum & vitæ eos tædet, & mortis metus angit, inter medias desperationis nebulas melior illos hora cæpit respicere; quippe præter omnem exspectationem ex occurrente Croatarum turma Vinarienses tanto concutiebantur terrore, ut fugientibus similes Brisaco Novobergum sese reciperent, simulque Goetzio obsessis annonam invehendi aditum panderent. Continuata tamen obsidionis pertinacia, rursus obsessi durius annonæ difficultate, quam hostium impulsibus conflictari cæperant: verum Cæsaris jussu Goezius magnam commeatus vim

vim collegit, ac per medias hostium phalanges generoso mortis contemptu obsessis opem ferre statuit: die igitur septima Augusti motis ex Westphalia castris cum octingentis curribus annona & apparatu bellico onustis Brisaco imminet: ast cruento quinque horarum prælio devictus, omnia hostium prædæ relinquere coactus est, inde in agrum Wirtenbergicum cum suis rejectus. Nondum tamen Cæsarei liberandæ urbis spem abjecerant, sed evocatis e Lotharingia Carolo Duce, ex Ubiis Lamboio & Golzio, cis simul & trans Rhenum castra hostium aggredi statuunt: verum Lotharingi præstituto die cum hoste apud Thannam congressi, Goezio tardius promovente, numero ac viribus impares, cæsi fugatique sunt. Goezius autem unacum Lamboio hostium castra adortus, gemino jam propugnaculo armis subacto, dum de reliquorum expugnatione desperat, receptui canere jussit, nullo alio tanti moliminis successu, nisi quod hostibus certam victoriæ fiduciam, obsessis omnis auxilii desperationem, totique Imperio vastitatem & Catholicorum rebus inevitabile excidium attulerit. Ita demum exeunte hoc anno Brisacum ad extremam famis necessitatem adactum ea lege deditionem fece-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

fecerat, ut præsidiarii milites explicatis vexillis, sonantibus tympanis armati urbe excederent, quod & die decima nona Decembris factum, ingemiscentibus Cæsaris amicis, & plaudentibus Gallis, reique Catholicæ & Austriaco-Bavaricæ hostibus. Hujus jacturæ caussa potissimum in Goëzii tarditatem rejiciebatur: unde mox Cæsaris jussu ad dicendam caussam in Bavariam evocatur, nihilominus post biennii fere spatium dimissus, pristinæ dignitati restituitur.

§. LXVI.

Galli & Hollandi ab Hispanis cæs.

Barre Hist. d' Allemagn. tom. 9. Neuvill. Hist. d' Hollande tom. 1.

Hoc secundæ fortunæ successu apud Rhenum tripudiantibus Gallis ac Vinariensibus, Hispani e contrario in Belgio adversus eosdem Gallos, Batavosque prospero pugnabant Marte: adeo in bellicis rebus fortuna lubrica est & versatilis, nec in firmo vestigio invita teneri potest; quippe Batavi, postquam ductore Guilielmo Nassovio Comite Calloum propugnaculum haud procul Antverpia, inopina vi occupaverant, vitio humanæ felicitatis, quæ semper ex prosperis luxuriat, partæ victoriæ fiducia securi necessaria validæ defensioni opera exstruere neglexerant: unde

unde ab Hiſpanis opportune confluentibus oppreſſi, amiſſis quadraginta quinque vexillis, tormentis novendecim, omni præterea annona, militarique apparatu ex munimento dejecti ſunt: capti fuere bis mille quingenti unacum navigiis plusquam octoginta: Ex præſidiariis vero maximam partem cæſi, aut in flumen protruſi aquis periere. Occubuit quoque ex vulneribus Comitis Naſſovii Filius, cujus jacturam Hollandi ipſa urbe pretioſiorem ſummopere lugebant. Pari fortunæ invidia ex illa Belgii parte, quæ Franciam attingit, Princeps Condæus & Eſpernonius Gallici exercitus Duces, qui Audomarum, Hesdinum, & Fonterabiam munitiſſimum Cantabrici maris portum obſederant, non minore clade, quam infamia in Gallias, ab Octavio Piccolomineo & Thoma Sabaudiæ Principe repulſi ſunt, captis ex primaria nobilitate quamplurimis, quos deinceps Hiſpani Bruxellas in triumphum abduxere, ac merito Gallis ex ſuis Theatris inſultavere, ut vicem rependerent Pariſinis, qui nuper captos Cæſaris Belliduces, ac præcipue Joannem de Werth in ſpectaculum, ſicut leonem quemdam Marmaricum, aut Indicum Elephantum circumduxerant, necnon ex Cæſareo-Bavaricis vexillis in prælio captis in loco

Sæc. XVII. A. C. 1638.

loco publico trophæum celebri pompa ac festiva tormentorum explosione erexerunt. Ceterum ex Gallis Fonterabia depulsis capti fuere ferme quadringenti, præter duo millia, quæ ferro aut undis occubuere: impedimenta quoque cum omni castrensi apparatu longe locupletissimo Hispanorum prædæ cesserunt. Porro Espernonius & Condæus certatim alius alterum velut infaustæ expeditionis caussam criminabantur, cum interim revera seipsum quisque justius pro parte sua, vel ambo simul mutuam inter se invidiam exagitare potuissent, cum neuter alteri adversus Hispanorum suppetias Audomaropolitanæ urbi accurrentes auxiliatus esset, & ambo ex fiducia propinquæ expugnationis stertentes, negligentius stationes egissent. Pariter Hollandi Geldriam incassum obsederant; cum enim Lamboius Cæsarei exercitus Ductor capta Stralena arce sese Ferdinando Hispani exercitus Belliduci cum sex armatorum millibus jungeret, Hollandi partim ab inundantibus aquis, partim ferro ad internecionem deleti sunt.

§. LXVII.

Palatini Principes a Cæsareis profligati.

Cum

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Cum interea Daniæ Rex per Legatos suos pro more suo, varia pacis consilia proponeret, Angliæ Rex Carolum Ludovicum Palatini Comitem, & Rupertum ejus fratrem incitabat, ut copiis ac pecuniis largiter suppeditatis ditiones suas vindicare aggrederentur. Hi ergo, quamprimum Hassi Paderbornam expugnaverant, cum valido agmine in Westphaliam irrumpere parant, ac Meppenam urbem, quam sexcentis thalerorum millibus a Kniphusii Sueci hæredibus emerant, præsidio suo instruunt: Hæc Palatinorum molimina haud effugerant solertiam Melchioris Hatzfeldii Comitis Cæsarei in Westphalia Præfecti, qui Vehleno, Viro domi militiæque in paucis claro confestim negotium dabat, ut hanc urbem, munitissimam licet, intercipere satageret. Hic ergo die undecima Maij noctis silentio Hasam amnem cum exercitus sui robore trajicit, valloque superato proximos excubitores plerosque trucidat, moxque effracta Hasensi porta cum equitum peditumque caterva forum, aggeres, vicosque præcipuos invadit. Acriter in foro dimicatur utrinque: Palatini tamen irrumpentium vi obruti terga victoribus & gloriam concessere, longius refugi, quam ut Cæsarei eos porro insequi potuissent. Tanta tamen

Barre Hist. d' Allemagn. pag. 708.

Brachel. Hist. temp. lib 5. Adlzr. Annal. Boic. l. 23. part. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

tamen fuit illorum, qui in quoddam ſepulcrale ſeptum profugerant, pugnandi pertinacia, tam infracta virtus, ut ne victi quidem palmam concederent, Cæſareorum tamen identidem recentium affluxu numeroque preſſi, tandem accepta vitæ venia unacum ſuis ductoribus, ſeſe capiendos victoribus dediderunt, excepto Horneccio urbis Præfecto, qui jam captus, cum alapam Centurioni cuidam infligeret, ab eodem confoſſus periit: Auxere victorum prædam viginti quatuor belli tormenta, quatuor vexilla, ac copioſus omnis generis commeatus, ingensque pecuniæ vis.

Verum ſiniſtra belli fortuna, quæ Palatinos pertinaciter infectabatur, paulopoſt dedecoris acerbitatem caſu multo infeſtiore cumulavit, ſpemque totam nova calamitate demerſit: quamprimum enim Halli Camenam Monaſterienſis agri urbem diripuerant, mox Palatini Principes reſumptis animis novos conſcripſere tyrones, qui tamen, priusquam arma geſtare didiciſſent, a Cæſareis equitibus octava Auguſti die obruti, unaomnes diſſipati, captique fuere. Hæc tamen clades Palatinis ad majora audenda incitamentum rurſus exſtitit; aucti enim Hollandorum Suecorumque ſuppetiis Cæſareos prope Ems-

Emslandiam adoriuntur, eosque Rhenum usque propellunt: Hatzfeldio autem in Cæsareorum opem accurrente, non sine clade denuo repelluntur, ipseque Comes Robertus Palatinus, prostrato equo, vitæ periculum ægre elusatus est: nec tamen inde territi ambo Palatini Principes, devastato agro Monasterienſi Lemgoviam Lipsienſis Comitatus urbem tanta vi quatiunt, ut nil propius, quam obsessorum deditio videretur: ast per impetum citante fato, rursus ab Hatzfeldio repulsi, Ulotham aufugere coguntur, pressiusque instante Cæsareo milite ad prælii necessitatem deveniunt. Die ergo decima sexta Septembris pugnæ datur initium, primoque impetu funduntur Cæsarei, qui tamen restitutis ordinibus in Palatinos iterato invehuntur, quin ideo fractus esset Palatinorum animus: dum enim hinc fistularum glandes, grandiorsque plumbi globi, ac superbi clamores, illinc autem pro Cæsaris honore dimicantium serius ardor, major virum copia, obfirmatusque ad vincendum animus opponeretur, tandem post diu pendentem Martem Cæsarei, ab Hatzfeldio tempestive submissi pugnæ verterunt fortunam: hi enim, eoquod duos in primis strenuos Belliduces Gœtzium & Tirellum glande trajectos

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

amisissent, ira incensi ferociter in hostem incurrunt, ordines perrumpunt, hostilem aciem disjiciunt, atque inter duos amnes tam arcte compingunt, ut nequidem ignominiosæ fugæ locus aut facultas esset: Igitur Palatini milites melioris fortunæ desperatione adacti, unaomnes in captivorum sortem beneficii loco recipi rogarunt, paucis nando effugere tentantibus, quorum tamen plerique Visurgis hausti fuere gurgitibus, alii permagno numero protriti perierunt. Cecidere insuper in hoc prælio plusquam duo millia, capta impedimenta omnia, omnesque machinæ cum ingenti præda, & Anglicanæ Perisscelidis insigni, quod olim Angliæ Rex Palatino Comiti dono dederat. Victoriam hanc non parum nobilitabat præter Ferontium supremum Anglici agminis Tribunum, plurimosque alios Ductores captus Robertus Palatinus Comes, qui ad Cæsarem cum honestissimo comitatu Viennam deductus est, ab eodem splendide ac liberaliter habitus. Carolus vero ejusdem Frater, dum rheda vectus, per Visurgin fugam accelerat, submerso curru, equis & auriga, solus fruticum beneficio ægre ad ripam emerlit, pedes inde Mindam profugere coactus. Formidando hoc Palatinorum exercitu

ad

ad internecionem deleto Hatzfeldius, postquam palantes adhuc aliquot copias apud Bremam oppressisset, Cloppenburgum primo, dein Vechtam, aliaque oppida nullo negotio ad Cæsaris obsequium compulit. Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXVIII.

Franciæ Delphinus hoc anno natus.

Cum Ludovicus XIII. Franciæ Rex adversus Cæsarem ancipiti, contra Hispanos vero improspero Marte hoc anno pugnasset, novos delectus fieri, conctaque ad auspicatiorem futuræ expeditionis successum necessaria instrui jussit: præprimis vero die sexta Martii per Claudium Avosium Oratorem suum Hamburgi fœderi cum Regina Sueciæ ante biennium die vigesima Martii Wismariæ inito tandem ultimam admovit manum, declarans, quod mortuo Ferdinando II. bellum contra ejus Filium, Austriacam Domum eique adhærentes prosequi decrevisset. Hanc in rem arctiorem armorum societatem cum Suecis iniit, atque ex mutuo consensu statuit, quod ipse cum exercitu suo per superiorem Germaniam, Christina vero Sueciæ Regina per Marchionatum Brandenburgicum & Saxoniæ Ducatum summis utrinque viribus arma sua

Recueil des trait. p. 88. Brachel. Hist p. 271. Daniel hist. de France. Voltaire Hist. du Parl.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

in hæreditarias Auſtriacorum Provincias transferre, bellique Sedem illic figere velint. Demum præter alios quindecim fœderis articulos ſequentem, qui Religionem concernit, addidere, his conceptum verbis: *Articulus quartus in gratiam Catholicorum, ut fruantur libero ſuæ Religionis exercitio, ſuisque reditibus, juxta tenorem fœderis, exactè ſervetur, idem quoque in favorem Proteſtantium dictum eſto.* Inſuperhabito autem hoc articulo reditus, bonaque Eccleſiaſtica, quibus armorum violentia pepercit, hujus fœderis potentia, ac per eam extorta Monaſterienſis pax Catholicis poſtmodum eripuit.

Ceterum ab eo temporis articulo hoſtilia non modo in Imperatorem, ſed & in omnes, qui de Cæſaris patrocinio ſuſpecti erant, omni data occaſione exercebantur: Id ſuo infortunio experiebatur Caſimirus Poloni Regis Frater, electus Luſitaniæ Pro-Rex, qui cum in Hiſpaniam per Franciæ Regnum incognitus navigaret, ac Marſiliam delatus, vires reficiendi ſtudio in littus Gallicum exſcenderat, cum toto comitatu ſuo a Gallico urbis Præfecto interceptus eſt: Nil infortunato objecta Principis Regii dignitas, atque prætexta hoſpitalitatis jura profuere, quominus ad arcem Salonam, moxque Pariſios, ac

ac inde Citeronem captus abduceretur, ubi etiam integro ferme biennio in custodia hærere compulsus est, donec tandem summi Pontificis, & Uladislai Regis Poloni precibus, decreto in Franciam Christophoro Gassiovio Smolenscense Palatino, liberatus, in Poloniam reductus est, prius spondere jussus, quod hanc injuriam sibi illatam nullo unquam tempore ulcisci vellet. Hujus vero violentiæ caussam, hanc obtendebant Franciæ Ministri, quod Casimirus Cæsari contra Gallos olim militasset, & Poloni eo tempore Cæsareis legionibus immixti fuissent. Sæc. XVII A. C. 1638.

Hoc item anno idem Franciæ Rex die decima Februarii promulgato edicto se atque universum Regnum suum Beatissimæ Virgini Parisiis die decima quinta Augusti in Ecclesia Cathedrali, decreta solemni supplicatione consecrabat, eamque in regni sui Patronam seligebat, quin propterea, uti pro more suo Voltairus calumniatur, Franciæ protectionem Divæ Genovesæ, quæ Parisiensis urbis, proin & Regni Patrona credebatur, ademisset. Convenerant ad hanc solemnitatem omnes Regni Curiæ: ceteros vero Præsides in supplicantium agmine præcedebat primus Regii Senatus seu Parlamenti Præses, quem Fisci Regii Tribunus sequebatur:

Sæc. XVII. A. C. 1638.

batur: inde vero tanta oriebatur inter Præſides contentio, ut ſi præfato Authori fides, verboſa principio jurgia, rixæ & altercationes inſonarent, demum etiam ad mutuas verberationes deventum eſſet; incaſſum Montbazonius Dux immiſſis ſuis ſatellitibus, ſtrictoque enſe tumultum ſedare nitebatur, tandem vero re ad Regium tribunal delata, Rex præcepit, ut impoſterum Parlamenti Patres ex B. Virginis Templo per majorem portam, Regii Fiſci autem Senatores per minorem egrederentur.

Utut autem res ſe habuerit, id omnino certum eſt, quod Rex ſingulis annis in factæ conſecrationis memoriam, ſolemnem hanc ſupplicationem fieri decreverit, quodque Beata Virgo munus ſibi a Rege oblatum acceperit, auctiusque eidem reddiderit, nato paulopoſt Delphino; quippe die quinta Menſis Septembris Anna Maria Franciæ Regina, & Hiſpani Regis Soror poſt viginti tres conjugii ſterilis annos diu exſpectatum Regni Hæredem enixa eſt. Hunc Parentes ejus Ludovicum XIV. populus vero *Adeodatum* appellabat, tuncque populi vocem, Dei vocem fuiſſe, patriæ ſalus, ac Religionis augmentum inde exortum comprobavit. Rex vero voti cauſſa ad Beatam Virginem Laure-

Lauretanam transmisit argenteam statuam Angeli sustentantis suis ulnis Delphinum ex auro solido Deiparæ offerendum: Regina quoque eo misit duas coronas aureas gemmis distinctas, unam pro Infante Jesu, alteram pro ipsa Virgine Matre. Ne vero hic Delphinus sine laurea natus crederetur, nascituro præluserat navalis victoria; cum enim Poncurlæus Gallicæ classis Archithalassus prope Genuam in Hispanam Velasci classem incideret, illico res ad prælii necessitatem devenit: Prior triremis Gallica remis propulsa, connitentibus indefesso lacertorum motu servitiis, Hispanam navim, ad proram illisa prora, concussit: pugnatur eminus tormentis, cominus strictis ensibus, sclopisque minoribus: utrinque dudum par cædes, parque victoriæ spes: donec ad extremum Gallica res superior esset, utique, posteaquam Galli grandinantes inter sclopos ac tubos, interque volitantes grandioris plumbi globos Prætoriam Hispanæ classis navim irruperant, cæsisque tribus hostium millibus ac quinquentis, ipsoque Velasco interempto, sex Hispanas triremes ceperant, ceteris in Genuensem portum profugientibus: nec tamen Gallis incruenta erat hæc victoria; postquam enim Hispani multo vulnere in-

Sæc. XVII. A.C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638

flicto Gallorum audaciam ulti fuerant, tres insuper triremes eis interceperunt, ac plusquam mille ducentos trucidarunt.

§. LXIX.

Cosaccorum seditio.

Brachel. l. 5. & 6. Jæger. Hist. Eccl. l. 8. c. 6.

Nondum integer effluxerat annus, ex quo Uladislaus Poloniæ Rex habitis Regni sui comitiis Cæciliam Renatam Ferdinandi II. Cæsaris Filiam sibi matrimonio junxerat, cum illico nuptiarum solemnia seditio a Cosaccis excitata interturbaret: ita nempe nulla in risu felicitatis constantia. Hi post reportatas de Tartaris victorias armorum cessatione torpere cæperant, cumque otium patrandis vitiis natum sit, hi quoque, prædas & latrocinia jam ex antiquo tanquam artem exercere assueti, Polonorum Procerum ditiones deprædati sunt. Nec iteratis comminationibus eorum petulantia coerceri poterat; quamvis enim Stanislaus Conjecpolsius supremus militiæ Præfectus ad Boristhenis, & Samaræ confluentes novum propugnaculum construi jussisset, eique pro tuendis operariis Germanos milites imponeret, Cosacci tamen suis prædationibus remoram poni indignantes, dejectis operariis præsidiarios

diarios unaomnes trucidarunt: ne ergo ultionis dilatione periculum tacitis augeſceret incrementis, Conjecpolſius nulla mora cum valida manu Nicolaum Potochium ablegat, qui Coſaccos iterata clade protritos in urbem Borovitiam fugere, famisque violentia preſſos eo compulit, ut Paulucium præcipuum rebellionis Ducem unacum aliis quatuor Primoribus captum tradere cogerentur, ceteris data impunitatis fide: quoniam vero hanc ſecuritatem nonniſi inferiores Præfecti captivis dediſſent, hancque intempeſtivam clementiam Proceres in Regni comitiis congregati ratam minime haberent, Paulucius, ejusque Socii Ordinum juſſu capite plexi ſunt. Inde vero Coſacci efferatiores effecti, ob fidem Paulucio non ſervatam ſpretis omnibus pacis conditionibus in Polonos Nobiles inflato claſſico truces & implacabiles inimici denuo graſſantur, vulneribus, incendiis, cædibus, ac ſtrage: nec erat animus, conquieſcere, niſi prius Polonicæ nobilitatis internecione, contumeliæ ſua opinione acceptæ litatum eſſet, ſatisque datum. Acceſſit ad mali cumulum Gedanenſium rebellio ob novum vectigal concitata, quæ tamen publico Ordinum decreto ſedata eſt, quin tamen Potochius & Conjecpolſius Coſac-

Sæc. XVII. A.C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

cos, quos tota æstate oppugnaverant, ad obsequium, tranquillitatemque armis suis reducere possent, eorum furore per plures annos etiamnum sæviente. Nec magis obsequentes habebat Nobiles Rex Uladislaus; cum enim militarem septuaginta duorum Fratrum Ordinem instituere decrevisset, Radzivilius huic proposito in comitiis Varsovienſibus tam pertinaciter restitit, ut Rex non modo hoc consilium, sed & consilii cogitationem deponere cogeretur. Ita turbarum lues in Polonia facile a plebe in Proceres serpit, atque instar incendii folles ipsos corripit.

§. LXX.

Turcarum motus contra Venetos & Persas.

Sagredo Mem. Istor. pag. 707. Calmet Hist. Univ. l. 153.

Postquam Ragotsius Cæsaris ope Turcas & Bethlenium e Transylvania ejecerat, beneficii immemor ejusdem Cæsaris Filium Ferdinandum III. armis oppugnare statuit: Hanc in rem misso Henrico Bisterfeldio Anglos, Suecos, Gallos, Batavosque sibi armorum societate jungere tentabat, eisdem pollicitus, se validum agmen adversus Cæsaris amicos educturum, dummodo tercenties millium Thalerorum subsidium quotannis sibi daretur. Placuit Gallis Ragot-

Ragotſii propoſitio, jamque hujus ſummæ dimidium obtulerant, reliquam vero partem inter Angliam, Sueciam, & Hollandos dividendam eſſe placuit: res tamen inter ſpes, & promiſſa ſtetit. Interim vero Amurathes Turcarum Imperator cum tercenties mille armatis in Perſiam irrupit, Babylonem, aliis Bagdatum dictum, expugnaturus. Die igitur nona Novembris explorato locorum ſitu; agi cuniculos, bellique tormenta ab ea parte, quæ univerſam dominabatur urbem, admoveri præcipit, murosque undique tormentis quatit: Jamjam vigeſimam diem circa muros hujus urbis hærebat Amurathes, cujus æque ac Muſtaphæ Vezirii in confirmandis Janiſſarorum animis adverſus obſeſſorum eruptiones magis ac magis funeſtas intenta diſcurrebat ſedulitas: unde aucto oppugnantium animo ſimul tres urbis partes continua verberatione concuti jubet, tandemque disjectis mœnibus, ac tentato quadruplici totius exercitus aſſultu urbem quarta irruptione ipſo Dominicæ Nativitatis feſto poſt quadraginta dierum obſidionem expugnavit, atque univerſos ejus propugnatores, civesque trucidari juſſit: Ex Perſis viginti quatuor millia in genua proſtrati poſitis armis vitæ gratiam petierunt, impetraruntque, quos tamen

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

men paulopoſt nocte inſequente unaomnes accenſis facibus a Janiſſaris jugulari præcepit, nonniſi viginti ſeptem ex Nobilioribus in triumphi pompam reſervatis. Deficiente tandem occidendi rabie etiam victorum avaritia in capta urbe erat ſatianda: quocirca Amurathes trium dierum deprædationi urbem expoſuit: Tum vero Janiſſari indomitis, impotentibusque furiis in miſeros incolas, ut aurum ab eis extorquerent, tumultuari cœperant, non cædibus, non præcipitiis, non ſuperſtitionis Ottomanicæ ſanis, non palatiis, minus vero ætati, aut formæ, ſexuique parcunt, ſed omnem, quam nequidem immaniſſimæ ferarum omnium feræ poſſent attingere, feritatem exercent obvia quæque ſtrage, ſanguine, vaſtatione flammaque miſcentes. Tam copioſus fundebatur ſanguis, ut ipſimet naturæ humanæ omnes venæ exſcindi crederentur, unice ideo, ut truculento Imperatori victoriæ ac gloriæ Purpura tingi poſſet. Cecidere ex ipſis Turcis quadraginta millia, & vulneratorum decem millia, præter alia viginti millia, vario calamitatum genere abſumpta. Tanto impendio unius urbis expugnatio Turcis ſteterat. Adhucdum Amurathes in Perſia hærebat, cum inopinatus ſucceſſus facile novi belli

belli incendium Venetos inter & Turcas ſuſcitare potuiſſet; Algerienſes enim & Tunetani Piratæ cum ſexdecim navigiis Adriaticum Mare infeſtum reddebant, ædis Lauretanæ divitiis inhiantes: ſpe tamen ſua fruſtrati, in Apulia, exſcenſione facta, Nicoteram ferro flammaque devaſtarunt, incolisque in diram ſervitutem abſtractis quasdam Moniales ſacrilega vi compreſſerunt, inde in Dalmatiam appulſi, obvias quasque naves deprædati ſunt, ac innumeris calamitatibus & violentiis inermes Chriſtianos divexarunt. Tantæ crudelitati reprimendæ impares erant Melitenſium, Florentinorum & Hiſpanorum claſſes, utpote in varias expeditiones diſtractæ, ex quibus Melitenſes, & Florentini non ita pridem in Ægeo Mari Turcis ingens damnum intulerant: Hac vero ſuorum clade irritati Bichir Baſſa Turcicæ claſſis Præfectus, necnon Conſtantinopolitanus Gubernator, præfatis Piratis injunxere, ut nulla mora cum navibus ſuis Conſtantinopolin verſus vela facerent. Hi autem nondum expleta prædandi libidine, priusquam juſſa exequerentur, in Adriaticum mare rurſus excurrere, Iſſamque Inſulam, quæ Venetis paret, deprædari ſtatuerunt. Explorato horum conſilio Marinus Capellus Reipublicæ

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

blicæ Architalaſſus ex Corcyra, ubi claſſis ſua in anchoris hærebat, ſolvens Piratas aggredi parabat, hi vero ad Vallonæ portum Turcis obnoxium receſſere, per aliquot dies ibidem a Venetis arcte cincti: inde tamen ſummo mane fugam adorſi, a Marino Capello non ſine mutua clade capti fuere. Re comperta mox Ottomanicus Vallonæ Gubernator apud Venetam Rempublicam vehementer querebatur, quod Capellus ſub quæſito Piratas inſequendi obtentu Vallonam Turcici Imperii arcem tormentis quatere auſus eſſet: proin peteret, ut Algerianas naves, utpote Turcico patrocinio tutas, omnino intactas remitteret. Verum inſuperhabitis hiſce querelis Capellus Piratarum naves omnibus, quibus adhuc inſtructæ erant, cum Turcæ jamjam pretioſiora quæque in arcem reportaſſent, ſpoliavit, easque Senatus juſſu in Corcyrenſi portu ſubmerſit, excepta Algerianorum Prætoria, quæ ad perpetuam hujus victoriæ memoriam in armamentario aſſervabatur. Interim Capellus Ludovicum Contarinum Venetæ Reipublicæ Oratorem Conſtantinopoli agentem de tota rei ſucceſſu certiorem reddidit. Vix jacturæ rumor per urbem increbuerat, cum illico Conſtantinopolitanus Gubernator fremere, terrores,

tores, minasque jactare, ac ipsemet quoque Amurathes Oratorem, cunctosque Venetos in Ottomanico Imperio degentes in frusta discerpi juberet; executionem tamen distulit, veritus, ne exorto novo bello copias suas e Persia revocare cogeretur: nihilominus Oratorem Venetum Constantinopoli custodiæ mancipari, Piratis vero classem Turcicam, qua Christianos opprimerent, suppeditari præcepit. Anno tamen sequenti Senatus Venetus hoc dissidium composuit, maluitque ducenta quinquaginta aureorum millia pendere, quam rem dubiæ fortunæ arbitrio committere. Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXXI.

Nicolai Drabizii Moravi Prædicantis deliria.

Hoc item anno fanaticæ Nicolai Drabicii visiones, & vaticinia luculentius apricari cæperant. Erat is Strasviziæ in Moravia natus, rudesque, rudior docere, quod vix ipse didicerat nitebatur, jam decimo sexto ætatis anno Prædicantis munere functus: duodecimo autem post anno ex Moravia Ferdinandi Cæsaris jussu ejectus, in Hungariam contendit, ubi in Ragotsii Transylvaniæ Principis ditione aliquam

Jæger. Hist. Eccl. l. 8. cap. 9. Arnold. Hist. Hæret. t. 2. p. 3. c. 24. fol. 242. Witsius misc. Sacr. l. 1. tom. 1. c. 24. §. 30.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

quamdiu versatus, abjecta Prædicantis toga pannorum negotiationi sese dedit: tum vero vitam suam intemperantissimis perpotationibus addicens, in Polono quodam Lutheranorum Præconum conciliabulo intentata anathematis pœna plectebatur: Igitur a Prædicationis munere amotus, ut sibi famam, uxori vero liberisque suis victum compararet, cum mendaciis, confictisque revelationibus, umbris & somniis nundinari statuit. His igitur artibus sceleſtus hic Impostor hoc anno initium fecit, mentitus, sibi in extasin rapto exercitus a Septentrione & ortu evocatos fuisse exhibitos, Deumque sibi revelasse, quod has copias ad opprimendos Lutheranorum hostes adducturus esset: Ut vero suis mendaciis auctoritatem conciliaret, hujus vaticinii intellectum sibi per integros quinque annos fuisse absconditum, ac nonnisi post assiduas preces tandem a Deo intellexisse fingebat, quod ipse per Spiritus Sancti virtutem a Deo in instrumentum, per quod in postremis hujus sæculi diebus cuilibet Dei voluntas manifestaretur, selectus fuerit, eapropter ipse vitam suam emendaret, sacrasque literas, quarum lectionem hucusque neglexisset, assidue pervolveret: quo facto se a Deo crebris revelationibus fuisse honoratum, atque

Sæc. XVII. A. C. 1638.

atque in eis dira quæque Domui Austriacæ prædicta, eamque, eoquod Protestantes insectata esset, penitus excisum, Friderici vero Palatini familiam restitutum iri, jamque finale decretum de Papa (quem Lutheranus Drabizii Deus *Antichristum* vocare haud obliviscebatur) evertendo, atque Ecclesia reformanda executioni dandum comminiscebatur: Præterea Ragotsium, ne arma cum illis, quos Deus contra Domum Austriacam emisisset, jungere diutius differret, non modo datis literis hortatus est, sed insuper ex ficto Dei mandato eundem in Moraviam contra Cæsareos tendentem duris verbis objurgavit, eidem exponens, ipsum divinitus esse electum in Hungariæ Regem, ea conditione, ut Austriacæ, & Papali dominationi finem imponeret, Deum vero ipsi semper adfuturum, mala econtra inducturum, deque domo ejus excisurum etiam mingentem ad parietem, si viperinam illam progeniem insequi renuerit: Ragotsium vero, quia divinum hoc consilium sequi noluerit, mortuum fuisse, ejus tamen Filio Sigismundo hoc diadema esse reservatum, mentiebatur impudens hic Somniator: nec his contentus, insuper fingebat, novum quoque Sueciæ Regem, eoquod sectæ hostes insequi neglexisset, fuisse

Sæc. XVII. A. C. 1638.

interfectum, se vero a Deo esse jussum, ut potentiores Principes, scilicet Turcarum Imperatorem & Orientales gentes ad eradicandam idololatriam (ita nempe fidem Catholicam divina prorsus moderatione vocabat) evocaret, eoquod Deus adhucdum in proposito perdendi *bestiam* (scilicet, Pontificem Romanum) perstaret, initiumque in Hungaria facturus esset.

Non minus blasphema ac sacrilega erat temeritas, qua anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio die vigesima tertia Januarii se exulum Præconum partim Hungarorum partim Polonorum comitia haberi, in somniis vidisse, Deumque sibi hæc dixisse commentus est: „Tempus meum „jam advenit, ego meam, vestramque „caussam vindicabo, reducam vos in „patriam vestram, prout vobis præ„dixi; ab ortu enim & meridie vocavi „illos, qui injuriam meis Ministris illa„tam ulciscantur, . . hinc te, tuos„que Fratres, Servos meos, quos in „somnio vidisti, adhortor, ut & ipsi „clament, & non taceant; impleta sunt „enim Pharaonis peccata: ast clametis, „sicut Ægyptii in cinere & cilicio: jeju„dicite jejunium, illudque fidelius, non „*ad speciem, sicut Prædecessores vestri*, ser„vate; non enim absconditum est oculis „meis,

„meis, quâliter vos elapsis temporibus Sæc. XVII.
„jejunaveritis . . . Equidem ante du- A. C. 1638.
„centos annos sonitus tubæ meæ inso-
„nuit, lucisque meæ splendor quos-
„dam homines in aliquibus terræ an-
„gulis illustravit, qui Sectatores suos
„habuere, quibus cognita est voluntas
„mea, sed quid profuit, cum adhuc
„bestia babylonica, ejusque sequaces
„veneno suarum adinventionum, &
„idololatricis doctrinis suis omnia insi-
„ciant & commaculent? ast non am-
„plius feram, ut rationalis creatura mea
„adeo irrationabiliter tractetur, sed so-
„nus verbi mei, veraque Evangelii do-
„ctrina per Viros, quos mihi jam elegi,
„in omnem terram exibit . . . O Re-
„ges terræ, revertimini ad sceptra ve-
„stra, regnate absque dominatu super
„arrogantem spiritualem potentiam,
„quæ non Sacra, sed profana vobis,
„quos tamen legitime institui, domi-
„natur, vosque spoliat; quippe falsi hi
„Ecclesiastici a capite vestro abstule-
„runt vestrum honorem, quem tamen
„eis nec dedi, nec eo in terris unquam
„usus sum . . . accendite ergo lucem
„meæ doctrinæ, Evangelii, ac legis
„meæ: jamjam infudi calicem meum,
„ut iræ meæ fæces bibant illi, qui in-
„noxium sanguinem filiorum Abel Ser-
„vi mei, qui simplicitatem & veritatem

Sæc. XVII. A. C. 1638.

„dilexit, biberunt . . . Revertimini „ad me, Populi terræ; prope enim „est, ut omnia impleantur, quæ meum, „aliorumque os locutum est, colligam „in agro meo Zizania &c. id hucusque „præpedierunt seductores illi, qui sine „me dominati sunt gregibus, quorum „vox non erat vox jubilans in Sion, sed „vox fœtidi tonitrui, quo jusserunt oves „&c. ast non ultra audiam balatus ido„lolatricæ & falsæ Religionis: periere „enim illæ oves meæ, quia sine me, „æternæ magnitudinis Pastore erant: „quocirca, maledicti homicidæ veri ac „fidelis gregis mei! necesse est, ut tru„cidemini, & eradicemini de terra.... „Unde dissensiones inter Saxoniæ & „Palatini Electores, & Sueciæ ac Da„niæ Reges ortum habuere, nisi ex „invidia, quam vos Prædicantes exci„tastis, & auxistis? &c.„ Non sine stomacho & horrore cetera nefarii hujus Impostoris deliria percipi possunt; & quamvis pauca hæc ex fanatici hujus commentis adduxisse, Ecclesiæ nihil omnino interfit, plurimum tamen interest, hoc exemplo rursus erudiri, quanta audacia ejusmodi Prædicantes cum ipso Deo, ejusque Verbo in sectæ suæ patrocinium ludere, horrendoque Sacræ Scripturæ abusu, Divinique Nominis profanatione populum ad seditiones

tiones contra Cæsarem, Augustissimam Domum Austriacam, ceterosque Principes Catholicos concitare, & blasphemis, sacrilegisque dolis, falsisque vaticiniis auctoritatem suæ sectæ conciliare, atque in fraudis suæ fulcimentum ipsummet Deum evocare præsumant, quin tamen unquam inter eos desint, qui ejusmodi Impostores tanquam veros Dei Ministros commendent, ac protegant, sicut & non modo Comenius, Arnoldus, & anonymus quidam in suo tractatu *de modernis Prophetis*, aliique non pauci, Drabizii deliria approbarunt, sed etiam impudentissimum hunc hominem postea unanimi Ecclesiastici, ut vocant, Ministerii consensu Ecclesiæ suæ restituerunt. Sæc. XVII. A.C. 1638.

Æquius vero Leopoldus Imperator tam enormiter læsum Dei honorem promerito Drabizii supplicio die decima septima Julii anno hujus sæculi septuagesimo primo vindicabat; cum enim hic eodem anno Possonii in Hungaria captus esset, pronuntiata in eum sententia per carnificem amputata primum dextera, eruta postmodum lingua, demum capite plexus unacum sacrilego revelationum suorum libro, qui *lux in tenebris* inscriptus ab eo Amstellodami typis vulgatus est, sub patibulo flammis tradebatur.

Sæc. XVII A C 1638

Hujus vero ſententiæ ſumma hæc erat: „Notum ſit omnibus, quod Nicolaus Drabicius conculcatis omnibus „Divinis, humanisque legibus malitioſa, ac peſſima intentione ſe a Deo in „Prophetam fuiſſe vocatum jactarit, ac „propterea non modo privatos, Nobiles, ſed ipſum etiam Cæſarem, Hungariæ & Hiſpaniæ Reges, ac S. R. J. „Electores, ſacrilego ore ludificari, atque Auguſtiſſimum Domum Auſtriacam convitiari præſumpſerit. Inſuper etiam Cæſarem velut Pharaonem, „perfidum tyrannum, rebellem, & „ſanguiſugam depingere, eumque non „ex Divina diſpoſitione ac voluntate, „ſed indigne electum ac coronatum „fuiſſe, proin pro mortua beſtia habendum, necnon Auguſtiſſimam Domum „Auſtriacam nonniſi Achabi Domum, „Domum maledictam, perfidam, tyrannicam, & venenatam progeniem, „appellitare auſus ſit: & quod pejus „eſt, in ipſum Deum, a quo ſe ſceleratiſſima hæc conſilia percepiſſe mentiebatur, ſacrilegum os ponere, hacque „ratione Deum tot criminum, & ſacrilegiorum Authorem facere, idque non „modo verbis divulgare, ſed etiam jubente Rege Regum (ut ajebat) & „concedentibus, ac permittentibus Regibus profanis rurſus typis edere præ-

„ſum-

Sæc. XVII. A.C. 1638.

„sumpserit, nilque intentatum inausum-
„que reliquerit, ut sacrilega & hor-
„renda sua commenta omnibus gentibus
„& populis, qui sub cælo sunt, mani-
„festa fierent, hancque ob rem ea Am-
„stellodami typis edi, & per Angliam,
„Hollandiam, Franciam, Hungariam,
„Poloniam, Transylvaniam, & Otto-
„manicum Imperium divulgari jusserit.
„Quoniam vero Drabizius hisce scelera-
„tissimis ausibus non sine scandalo, ac
„plurium Christianorum periculo, vili-
„pensa Christiana Religione & sepositа
„fidelitate Cæsari, ac Hungariæ Regi
„debita plurimos ad defectionem, re-
„bellionem, ac seditionem concitavit,
„idque sibi a Christo Domino inspiratum
„fuisse, sacrilego ore coram ipso tribu-
„nali Cæsareo non modo effutire, sed
„insuper in hujus confirmationem te-
„merarie animam & vitam oppignorare
„ausus est, atque ad intestinas exteras-
„que conspirationes contra Cæsarem,
„& Hungariæ Regem, necnon in to-
„tius Christianæ Reipublicæ damnum
„& periculum, totalemque boni publici,
„& Christianæ fidei ruinam juratos Uni-
„versæ Christianitatis hostes, Turcas,
„Tartaros & Judæos, omnesque sedi-
„tiosos tanquam rebellis nefarius con-
„tra Cæsaream Majestatem excitavit,
„ac præterea ipsam Divinam Majesta-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

„tem ſacrilego ore allatravit, aſſerendo, „quod Deus omnium ſuorum convitio„rum, ac nefariorum criminum Author „exſtiterit: hinc Divinæ Cæſareæque „Majeſtatis læſæ reus &c.(*)

§. LXXII.

Cyrilli Lucaris Patriarchæ Conſtantinopolitani ſupplicium, necnon Synodus contra ejus errores celebrata.

Dupin. Hiſt. d'Eccl. t. 4

Frequens jamjam occurrebat mentio de Cyrilli Lucaris olim Patriarchæ Conſtantinopolitani fatis, ejusque apoſtaſia: nunc vero poſtremam, quam in magno Orbis Orientalis theatro tenuit, ſcenam proferre ſupereſt. Hic igitur fanaticus Patriarcha Græco-Calvinianus, poſtquam anno hujus ſæculi vigeſimo primo die quinta Novembris quorumdam ſuffragio Patriarcha fuerat electus, ſequenti anno tanquam læſæ Maje-

(*) Stupenda eſt Godefridi Arnoldi Perlebergenſis Prædicantis Lutherani temeritas, qua in ſua Hæreſum Hiſtoria Vol. 2. part. 3. c. 24. n. 8. hanc criſin æquiſſimæ huic ſententiæ addere præſumpſit: Ob dieſer Schluß aber nicht wider alle Bothen Gottes, die zu allen Zeiten von der Welt übel belohnet worden, gehe, mag man ſelbſt ermeſſen.

Majestatis reus Vezirii jussu captus, so- Sæc. XVII.
lioque suo deturbatus, Rhodum dela- A. C. 1638.
tus est, Gregorio Amasiano Episcopo Catholico, ac postea Anthimo Hadrianopolitano Antistite in ejus locum subrogatis. Verum Rowæi Anglici Oratoris patrocinio suffultus Cyrillus, eodem adhuc anno rursus Sedi suæ restitutus est, a qua tamen postmodum sexies adhucdum ejectus, toties quoque hanc dignitatem pecuniis recuperavit. Demum Amurathe bellicæ expeditioni contra Persas intento, Cyrillus ab Bairamo Bassa accusatus, quod Cosaccos ad diripendam Azekam urbem instigasset, ab Urbis Constantinopolitanæ Præfecto in carcerem conjectus est, ad fauces Bosphori (*a*) abstractus, ubi die vigesima septima Junii hoc anno non pro Christi nomine, sed ob insatiabilem ambitionem strangulatus, corpore ex alta turri in mare præcipitato periit. Hunc Pseudo-Patriarcham, infernique Athletam Calviniſtæ tanquam sanctum & Martyrem venerantur, ejusque corpus ad littus projectum honorifica sepultura coluerunt, mox tamen Turcici Gubernatoris jussu tumulo extractum & denuo in mare projectum, iterumque ex aquis receptum clam in quadam Insula ejus Amici terræ mandarunt. Successerat simoniaco huic Patriarchæ

(a) *Castrum septem Turrium.*

Sæc. XVII. A. C. 1638

alter Cyrillus Contarius Berrhoensis Episcopus, capitalis quidem Cyrilli hostis, eadem tamen Simoniæ labe infectus.

Hic Constantinopoli eodem hoc anno convocatis Alexandrino & Jerosolymitano Patriarchis, aliisque viginti tribus Episcopis Synodum celebrabat, in qua Cyrillum Lucarem, necnon confessionis suæ articulos damnabat. Hujus Synodi decreta primum Laureti anno sequenti in Vindiciis Sylvestri a Petra sancta, postmodum a Nihusio cum ipsa Cyrilli Confessione Græce & latine juxta exemplar Græcum, quod a Leone Allatio acceperat, edita fuere: Præcipua autem, quæ hæc Synodus in Cyrilli Confessione damnaverat, erant sequentia I. quod Ecclesiam errare posse, affirmarit II. absolutam prædestinationem statuerit, nullamque ex operibus salutem sperandam dixerit. III. Christum unicum Mediatorem esse docens, tacite Sanctorum intercessionem rejecerit. IV. Homini bene agendi libertatem denegarit. V. Duo tantum Sacramenta agnoverit. VI. Panem & Vinum in Corpus & Sanguinem in Eucharistia transubstantiari negarit. VII. Fidelibus pie defunctis eleemosynas & Ecclesiæ preces nihil prodesse docuerit. VIII. Imaginum Sacrarum venerationem aspernatus fuerit. Hujus Synodi decre-

decretum præfatus Leo Allatius integrum in ſua *perpetua*, ut vocat, *Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis conſenſione* edidit, indeque Eccleſiam Græcam a Lutheri & Calvini erroribus ſemper diſcrepaſſe, cum Catholico-Romana autem etiam poſt ſchisma potiſſimam partem conſentire oſtendit. Ceterum probe obſervandum venit, quod hæc Synodus Conſtantinopolitana Cyrillo Lucari nominatim anathema dixerit, quod judicium tamen Synodus Jeroſolymitana anno hujus ſæculi ſeptuageſimo ſecundo contra eundem habita approbarit quidem, ea tamen conditione limitatum, *ſi hæreticus Calviniſta reipſa fuerit, neque reſipuerit.* Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXXIII.

Continuati Puritanorum tumultus in Scotia.

Poſtquam Puritani, ceterique Regem ejusque Regimen exoſi adverſus novam Liturgiam, aliorumque rituum innovationes, initam inter ſe conventionem promulgare auſi fuerant, aucta per ipſam Regis indulgentiam rebellione, cuncta fidelitatis ſacramenta, quæ legitimo Regi ſuo præſtiterant, proprio arbitrio, die prima Martii ejurarunt, in perfidiæ ſuæ excuſationem obtendentes, *Pufendorff. Hiſt. Gen. t. 4. p. 78. Salmon Hiſt. d'Angl. t. 1. pag. 208. Rapin Thoir. Hiſt. d'Angl. lib. 19.*

Sæc. XVII. A. C. 1638.

tes, quod inconsulta Ecclesia, ac generali Synodo regimen Episcopale a Jacobo I. Rege fuisset invectum, atque Episcoporum suffragiis Rex in Senatu cuncta ad suum arbitrium disposuisset, necnon in Glascuana Synodo anno hujus sæculi decimo habita corruptis suffragantium animis Generalia comitia, subrogato supremo tribunali seu *Regia Commissione* Regni libertatibus adversa, abrogarit, & insuper inconsulto, imo & invito universo ferme Regno, & Ecclesia, Senatu & populo non minus violenter, quam subdole Ecclesiæ Regimen penitus immutarit. atque auctoritate contra subditorum privilegia, sibi arrogata eis Liturgiam, & detestandos Canones obtruderit. Quocirca a Rege petebant, ut abrogatis omnibus hisce innovationibus Religionem prisinæ puritati restitueret. Postmodum conventionem nuper initam, ac juramento firmatam velut legitimam venditare nitebantur, asserentes, quod insuperhabitis eorum precibus, violatisque populi privilegiis ad eam fuissent coacti, cum tamen in Scotia utpote Regno Monarchico, Regum jura a populi juribus haud separari possent, proin ita Regi obedire tenerentur, ut tamen viciſſim Rex populi libertates sartas servare obstringeretur: denique hac sua con-

conventione Regem nequaquam ſuis juribus exuere, ſed duntaxat prohibere intenderent, ne ſua jura latius, quam legibus conceſſum extenderet: Ad tantam verborum petulantiam exuto ſemel ſacramento, ſubditos contra Regem ſuum incitabat fanaticus ſectæ furor, & factioſæ multitudinis potentia; deficientibus enim a Rege potiſſimis Puritanis indies magno numero novi acceſſerant conjurati, conciliante præſertim ſocietates, mentium & inquietudinis ſimilitudine. Sæc. XVII. A.C. 1638.

Nihilominus Carolus Rex ſeditioſos adhuc æquitatis rationumque pondere ad obſequium revocare nitebatur, eisdem exponens, quod ſub falſo violati juris obtentu ſeſe rebellionis reos efficerent, ac conventioni ſuæ Regni juribus adverſæ ſubſcribendo, auctoritatem nullis legibus conceſſam, imo potius contrariam ſibi arrogarent, nec de peſſumdatis populi legibus querendi anſam haberent, cum nequaquam de doctrina, ſed duntaxat Eccleſiæ diſciplina ageretur, Epiſcopatus autem in Scotiæ Eccleſia a tempore omnem memoriam excedente ſtabilitus, & nonniſi introducta Lutheri reformatione labefactatus fuerit, e contrario autem Presbyterorum Regimen duntaxat Generalium comitiorum, quorum ſine Senatus aſſenſu

Sæc. XVII. A. C. 1638.

senſu nulla vis eſſet, auctoritate invaluerit: ab anno autem milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo usque ad annum nonageſimum ſecundum nunquam ejusmodi comitia a Senatu fuerint approbata, & ſi poſtmodum approbata fuiſſent, Senatus utpote universam repræſentans Nationem priora Senatus decreta irritare potuerit: „ſi „autem, addebat Rex, juxta Puritanos, „Senatus anno præfato Epiſcopatum „abrogare, jure potuit, cur eidem Se„natui anno Chriſti milleſimo ſexcen„teſimo duodecimo Presbyterianum Re„gimen abolendi jus denegatur? Sive„ro comitiis generalibus abſolutam in „Religionis negotia auctoritatem ven„dicant, hæc ipſa auctoritas vel eſt ei „naturalis, vel recens aquiſita? non „primum; nam ante reformationem „ejusmodi comitia ex ſolis Prædican„tibus, excluſis Epiſcopis conflata igno„rabantur, ſi vero fuit recens aquiſita, „ergo illam hæc comitia primum a Na„tione, id eſt a Rege & Senatu aquiſ„vere, proin Senatui ſubjecta ſunt, præ„cipue, cum nullum exſtet decretum „*irrevocabile*, quo unquam tam ampla „auctoritas hiſce comitiis a Senatu fuiſ„ſet attributa. Immerito etiam Puri„tani quererentur de nova Liturgia, per„inde acſi per eam ſenſim ad Papismum „indu-

„inducerentur, cum illa ab Episcopis, Sæc. XVII.
„qui pro tuenda Protestantium Reli- A. C. 1638.
„gione martyrium subiere, fuisset con-
„cinnata, & ipsemet Jacobus Rex illam
„in Scotiæ Regnum invehere, jamjam
„optasset, utpote ad populi proventum,
„& decentiorem Dei cultum peropportunam, & destructivam illius corruptelæ, qua antea ex Prædicantibus „quilibet pro suo arbitrio precatiuncu-„las non sine crebris absurditatibus con-„farcinarit „

Flocci habebantur hæ Regis rationes, quocirca Hamiltonum Marchionem natione Scotum, die trigesima Maij in Scotiam eo fine ablegabat, ut populum ad Regis obsequium reduceret. Hunc vero Puritani non modo remissius excepere, sed insuper navim armis onustam, quam Rex pro munienda Edinensi arce in Scotiam transmiserat, intercipere parabant, a Regiis tamen præpediti, arcis fores, ne arma inferri possent, obsederunt, seque armis, quæ duobus navigiis advecta erant, munierunt. Hanc tamen injuriam Hamiltonus adhuc dissimulandam ratus, convocatis Puritanis die octava Julii hæc proposuit I. in Regis obsequium redirent II. suæ conventioni nuntium mitterent. III. Et qua ratione sibi a Rege satisfieri vellent, indicarent: ad

hæc

Sæc. XVII. A. C. 1638.

hæc illi reponebant, se nunquam a Regis obsequio defeciſſe, ſuæ autem conventioni, non minus firmiter, quam ſuo Baptismo inſtituros, ac denique generalia ſe petere comitia. Percepta hac reſponſione Marchio, ut ſeditioſos propoſita Regis indulgentia placaret, Regium diploma in foro promulgari juſſit, quo Carolus Rex pollicebatur, quod Proteſtantium ſectam ſemper tueri velit, dummodo Scoti in Regis obſequium redirent, & Liturgiam recipe„rent, quam tamen ſicut & Canones „non alia ratione, quam *legibus conſona* „& ab omnibus Religionis, legumque „Regni innovationibus experte obſervari velit, ac propterea cuncta Sena„tus decreta hac de re, necnon circa „ſupremam commiſſionem facta irritet, „cunctaque *ex Senatus ſui conſilio* diſpo„nere, nil legibus adverſum admittere, „ſed ad firmandam Religionem in hunc „usque diem adoptatam, & ad ſtabiliendum Eccleſiæ Regimen proxime „Parlamentum vel generalem Synodum „indicere decreverit.„ Vix hoc diploma in Edinenſi foro fuerat promulgatum, cum illico conjurati in eodem foro declarationem, reſponſi loco, affigerent, cujus ſumma hæc eſt: „Unico „hoc diplomate ad nutum revocabili „haud ſatis ſecuritati noſtræ cautum eſt; „ſine

„ſine ambagibus comitia generalia & „Parlamentum, quin tamen Rex illud „convocet, petimus, ſimulque recla- „mamus, quod Rex querelas noſtras „nonniſi frivolos timores, nos vero re- „belles appellitet, Epiſcopis econtra- „rio innovationes in uſum deducendi „libertatem relinquat, ac *per rationem „legibus conſonam* nonniſi novas haſce le- „ges, diſſidiorum fomites intelligat, „nec ſupremam Commiſſionem abolere, „ſed duntaxat eam *juxta Senatus ſui con- „ſilium* inſtituere pollicitus ſit, proin „nova tribunalia Eccleſiaſtica ſine Par- „lamenti & Synodorum approbatione „erigendi jus ſibi, ſuoque Senatui ar- „roget. Nihilominus Rex Hamiltono, qui Sectariis favere credebatur, revo- cato, ipſemet in Scotiam die deci- ma nona Auguſti contendit, ſpe fre- tus, ſua præſentia rebelles facilius in obſequium reverſuros: aſt hi ab eo temporis articulo Liturgiæ & Cano- num abrogationi importunius inſi- ſtebant.

æc. XVII. A. C. 1638.

§. LXXIV.

Glaſcuana Synodus a Puritanis habita.

Comperta rebellium pervicacia Spots- wodus Archiepiſcopus, Epiſcopo- *Rusworth Vol. II.*

Sæc. XVII. A. C. 1638.

rumque potiſſimi e Scotia in Angliam aufugerunt, ipſe quoque Hamiltonus Regem de legationis ſuæ ſucceſſu certiorem redditurus, Londinum contendit, inde vero Regia Parlamentum, & Synodum ſeu comitia celebrandi facultate inſtructus, vindicata innocentia ſua die ſecunda Octobris Edinum reverſus eſt. Præprimis vero a Puritanis ſciſcitabatur, quosnam ad hæc comitia advocare intenderent, & quodnam argumentum ibidem agitaturi eſſent? Verum Puritani ejusmodi ambagibus reſtringi, iniquo ferentes animo declarabant, quod ſi Rex *generalia* convocare comitia recuſaret, ipſimet ea convocare poſſent. Nihilominus Hamiltonus eis binas haſce præſcripſit conditiones I. ut nullus laicus, nec alius quiscunque præter cujuslibet Presbyterii Miniſtros in eligendis Miniſtris ad comitia deputandis jure ſuffragii gaudeat. II. Comitia nihil niſi per viam conſultationis circa Parlamenti decreta decidant. Verum diſplicuere ſeditioſis hæ conditiones; haud enim permittere voluere, ut in negotiis Religionem ſpectantibus Prædicantes potiſſimas haberent partes, eoquod Rex illos partim metu, partim promiſſis & beneficiis ad ſuas partes facile pertrahere poſſet, uti in nupera Synodo Gla-

Glaſcuana factum dictitabant: Inſuper poſtulabant, ut Deputati non ſolum a Miniſtris, ſed etiam a Senioribus laicis, quos ipſis Miniſtris majore numero intereſſe voluerunt, eligerentur: Ea propter Puritani invito Rege Laicos Seniores, & Miniſtros ſibi addictos ad Synodum deputarunt, unde factum, ut ipſi illis, qui e Regis parte erant, longe prævalerent, cunctaque in futuris comitiis ad ſua vota dirigerent, Rex vero eorum auſibus reſiſtendo impar eſſet. Præterea die tertia Novembris Puritani Scotiæ Epiſcopis in Angliam nuper profugis denuntiabant, ut in Cleri comitiis tanquam criminum rei ſeſe ſiſterent. Interim Hamiltonus Regis nomine decretum promulgari juſſit, in quo declarabat, quod Rex Liturgiam, Canonum librum, ſupremam Commiſſionem & quinque Pertenſes articulos revocet, ac deinceps Epiſcopi generalium Synodorum judicio ſubjaceant, omnes tamen Scotiæ ſubditi fidei confeſſionem anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo editam unacum annexo juramento, ſuo chirographo firmarent. Facta hac promulgatione ad diem vigeſimam primam Novembris Synodum ſeu comitia generalia hoc anno, & ſequenti anno Parlamentum Edini die decima quinta Maij ce-

Sæc. XVII. A.C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

lebrandum indixit. Quamvis igitur Rex omnibus rebellium postulatis annuisset, hi tamen ex ipsa hac indulgentia petulantiores effecti, contra hoc decretum palam reclamabant, caussati, quod vi juramenti a Rege annexi Religionem, non anno millesimo quingentesimo octogesimo receptam sed *recens* præscriptam, proin innovationes post præfatum annum introductas profiteri juberentur.

Nihilominus præstituta die Synodo datur initium; confluunt maximo numero illi, qui Regiæ parti adversabantur: pertractantur quoque illa capita, quæ jam antea a rebellibus ad eorum vota fuere decisa: Cum ergo Hamiltonus probe cognosceret, quod hi factiosi Regem ludere, cunctaque ab eo decreta, prout ipsis libuerit, prævalentibus eorum suffragiis nulla & irrita declarare intenderent, hinc in Sessione prima Episcoporum nomine *Declinatorias*, ut vocant, literas, quibus hæc comitia omnino nulla essent, palam recitari jussit. Id facere renuunt Puritani, eoquod Moderatore nondum electo nec Synodus inchoata censeretur: Reclamat Hamiltonus, suamque obtestationem ad acta referri petit: insuperhabita tamen ejus repugnantia eligitur in Synodi Moderatorem ex Prædicantibus

tibus Scotis Hendersonus; rursum Hamiltonus hujus electioni obsistens, palam declarat, quod hæc electio nec Regis prærogativæ, nec ullis legibus aut consuetudinibus derogare posset: facta hac contestatione rursus declinatorias Episcoporum literas prælegi postulat: quoniam vero in illis validæ continerentur rationes, quibus Deputatorum electiones fuisse nullas, luculenter demonstrabatur, hinc Puritani has literas prælegi denuo recusarunt, quas tandem nonnisi post quintam Hamiltoni obtestationem, cunctasque Deputatorum electiones a seipsis approbatas, sexta celebratæ Synodi die, quæ erat vigesima septima Novembris, retractari promiserunt, illas tamen unanimi voce reprobarunt. Cum ergo hi seditiosi Episcopos dijudicandi jus sibi arrogarent, hinc Hamiltonus Regis nomine & auctoritate Synodum velut illegitimam dissolvit, & quidem I. eoquod Laicis jus suffragii concessissent, II. Deputatos Præcones a Laicis eligi permisissent. III. Deputatos Regiis partibus addictos frivolis de causis rejecissent, ex Clericis autem potissimi, ex quibus Synodus constat, Regiam auctoritatem contempsissent, & denique IV. quia Episcopos non modo in jus vocassent, sed illos etiam ab ejusmodi

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Salmon hist. d'Angl. t. 1. pag. 210. Jæger. Hist. Eccl. lib. 10. cap. 6.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Judicibus, qui se juratos illorum hostes declararunt, judicari petiissent. Attamen Prædicantes ipsis Proceribus & populorum Legatis audaciores, cum Episcopatum penitus eradicare, firmum fixumque haberent, insuperhabito Regis sui interdicto Synodum prosecuti sunt, palam declarantes, quod nemo, cujuscunque dignitatis esset, Synodum interrumpere posset, quin Christi Domini voluntatem, & Ecclesiæ libertates violet. Demum vero in sua temeritate eo prolapsi sunt, ut *supremi capitis* auctoritatem, quam tamen Rex sibi soli ab Henrici VIII. schismate vendicabat, in Religionis negotio usurparent, proprioque nutu acta in Parlamentis stabilita irritare præsumerent: postquam enim Rex hanc Synodum dissolvi præceperat, ipsi non modo contra hanc dissolutionem reclamarunt, sed etiam sex Synodos ab anno hujus sæculi decimo, usque ad annum decimum octavum, celebratas, necnon juramenta a Præsulibus præscripta, & subscriptiones Confessionis fidei per Regem, ejusque Senatum propositæ nullas & irritas declararunt. Insuper Liturgiam, Canonum Codicem, supremam Commissionem, seu tribunal Ecclesiasticum a Rege erectum, necnon quatuordecim Episcopos, Capitula, Archidiaconos &

& Diaconos Prædicantes condemnarunt, atque anathemati subjecerunt. Econtra vero Presbyteros, Synodos Provinciales, Ministros, & Seniores suæ restituerunt jurisdictioni, exclusis iis, qui conventioni non subscripserunt, vel Regiæ parti adhæsere, quos nominatim a suis amoverunt officiis. Quoniam vero fidei confessioni anno supra millesimum quingentesimo octogesimo unacum juramento, quod Rex annexuit, jam antea subscripsissent, ut omni modo Regis voluntati obsisterent, declararunt, quod hæc ipsa confessio *virtualiter* Episcopalis Regiminis abolitionem contineat; quamvis ne ullo quidem verbo Episcopatus mentio in illa fuisset facta: præceperunt insuper, ut omnes conventioni unacum hac declaratione subscriberent, nullus vero contra hanc conventionem, vel Synodum calamo aut lingua insurgeret, vel hujus Synodi acta sine Secretarii licentia typis ederet. Verum adversus ridiculam hanc declarationem Hamiltonus Regis nomine, alia mox promulgata declaratione, demonstrabat, quod anno millesimo quingentesimo octogesimo Episcopatus viguerit, proin hujus anni Confessionem adoptantes, Episcopatum abjurasse, haud censendi essent: hanc tamen Regiam declarationem Puritani

Sæc. XVII. A. C. 1648.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Præcones rursus refellere nitebantur, ac denique malitia prorsus execranda ad honestandam suam rebellionem, conciliandamque suo fanatismo auctoritatem Divini Nominis honorem profanare non dubitarunt; quippe Edini scelestam quamdam sollicitarunt mulierculam, quæ se frequens cum Deo Patre commercium habere mentita, in vulgus spargeret, quod Deus Puritanorum causſam feciſſet suam.

§. LXXV.

Antonii Zapatæ Cardinalis obitus.

Ciacon. in vit. Clem. VIII.

Hoc item anno ex Purpuratis, tres naturæ debitum solverunt, ex quibus prior Antonius Zapata Nobilis Hispanus die sexta Maij in patria sua obiit, annos natus octoginta sex. Hic ætate juvenis, sed meritis maturus, Gadicensis primo, postea Ginensis, & paulopost Pampilonensis Episcopus, demum vero Burgensis Archipræsul nominabatur: Eadem fortunæ velocitate ad Philippi II. Hispaniarum Regis preces ad Romanam Purpuram vocatus, se prævalidum Ecclesiæ Defensorem exhibuit; inter omnes enim Sacri Collegii Patres Religionis studio, pietatis fervore, & Sacrarum literarum intelligentia eminuit; præterea illius dextera nonnisi chari-

charitatis opera in pauperes, & Ecclesias continue distillabat, præcipue vero pestilentia Pampillonensem urbem depopulante Antonius, præter vinum, aliaque necessitatis levamina, qualibet hebdomada quingentos tritici modios in pauperes distribuit, ipsusque Xenodochia visitavit, largas in ægrotos effundens eleemosynas: imo miseris subvenire non destitit, donec vivere desiit. Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXXVI.

Hyppoliti Aldobrandini Cardinalis mors.

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno decessere, erat Hyppolitus Aldobrandinus, patria Romanus, Clementis VIII. Pro-Nepos, qui post Patrui sui Petri Aldobrandini Cardinalis obitum Purpura decoratus, doctrina & prudentia, necnon singulari in rebus gerendis solertia sese non minus Hispanis gratum, quam Ecclesiæ utilem reddidit: cum vero ad Neptis suæ nuptias invitatus, Neapolin contenderet, inde Romam reversus in lentam incidit febrin, qua brevi consumptus, die vigesima secunda Julii ætatis suæ quadragesimo septimo postremus Aldobrandinæ familiæ surculus obiit, sepultus *Ughel. in Ital. Sacr.*

Sæc. XVII A. C. 1638

in Sacello familiæ suæ apud S. Mariam super Minervam.

§. LXXVII.

Lælius Biscia Cardinalis mortuus.

Victor. in add. ad. Ciacon.

Postremus erat Lælius Biscia itidem Romanus, qui jurisprudentiæ scientia clarus, defuncto Patre suo Causidico, primum Cameræ Pontificiæ Clericus, postea Decanus, ac repentino fortunæ impulsu Cardinalis Decanus ab Urbano VIII. renuntiatus est. Fuit non modo pietate, sed & doctrina eminens, munificus in pauperes & Ecclesias, necnon singularis Literatorum fautor; tandem vero post trium dierum infirmitatem Romæ die vigesima nona Novembris supremum egit diem, annos natus sexaginta quinque.

§. LXXVIII.

Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi vita, & obitus.

Leydecker. Hist. Jans. Vid. supra l. 174. §. 86. tom. 49. pag. 396. Dupin. Nouvell. Bibl. des Aut. p. 181.

Sectæ Jansenianæ, cujus fata hoc sæculo non levem Historiæ Ecclesiasticæ partem efficiunt, nomen dedit Cornelius Jansenius, longe alius ab illo, qui ejusdem nominis Episcopus Gandavensis Anno prioris sæculi septuagesimo sexto die undecima Aprilis obiit. Ille

Ille autem Janſenius, de quo differimus, nono poſt hujus diſceſſum anno die vigeſima Octobris in Acquoy ignobili Leerdamenſis Comitatus oppido primam lucem aſpexit, parentibus oppido Catholicis; unde P. Bourgius erravit, & Hazardus itidem Jeſuita, dum Janſenium a Gueſiis ſeu Calviniſtis velut ab infecta ſtirpe progerminatum temere retulerat, a Janſenii Nepotibus in Tribunali de calumnia convictus læſæ parti ſatisfacere conatus eſt. Nec tamen diffitemur, quod Janſenius, poſtquam humaniores literas Ultrajecti didicerat, & Lovanii in Philoſophicis Doctoratus palmam emeruerat, Jacobo Janſonio Lovanienſi Theologo longe celebratiſſimo, Baii tamen erroribus addicto ſeſe diſcipulum tradiderit, eumque parentis loco coluerit, a cujus diſciplina, utrum Baii dogmatumque ejus amor & veneratio in Janſenium derivata fuerit, dubium adhuc: certum tamen eſt, quod exinde uti ſingularis doctrinæ Auguſtinianæ amor, ita & ingens in Jeſuitas ſeu Moliniſtas odium ex falſa perſuaſione, quod Chriſti gratiam cum Pelagio, oppugnarent, in eum fuerit inſtillatum. Emenſo demum ſtudii Theologici curriculo Janſenius in Franciam contendit, ubi intimam cum Joanne Vergerio Abbate Sancyrano ami-

Sæc. XVII. A.C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

amicitiam contraxit, hæsitque aliquot annis partim Lutetiæ Parisiorum, partim Baionæ, tandem vero Lovanium reversus, novo S. Pulcheriæ Collegio præficiebatur, ac recusata Philosophiæ cathedra Theologiæ Doctor anno Christi millesimo sexcentesimo decimo nono die vigesima quarta Octobris creatus, undecimo post anno Sacras literas Hispani Regis jussu publice interpretatus est. Tum vero, indefessum Sanctorum Patrum, ac præcipue Divi Augustini operum lectioni applicuit animum, ipsusque fassus est, quod decies & amplius universa hujus S. Patris opera, libros vero contra Pelagianos facile trigesies a capite ad calcem summa attentione pervolvisset. Dum adhuc Lovanii inclaresceret, bis ab Academia in Hispanias ablegatus, apud Philippum IV. Regem de Jesuitis (ut ait Norisius Cardinalis) vehementer, nec sine prospero successu querebatur, eoquod S. Augustini doctrinam peterent, atque impugnarent, literasque publice docendi munus sibi arrogare molirentur: Inde Lovanium reversus, peropportunam propugnandæ Religionis occasionem nanciscebatur; postquam enim Fridericus Nassovius Princeps capta Sylvaducensi urbe, Catholicis Ecclesias Parochiales eripuerat, & bona Ecclesiastica

Vind. Aug. in Præf. pag. 1.

siastica contra deditionis leges Calvinistis adjudicaverat, Prædicantes vero die Octobris vigesima edicto publico *quoscunque* ex Catholicis ad certamen provocaverant, Jansenius ad arrogans hoc Prædicantium edictum levi brachio respondit, edito scripto, cui titulus: *Alexipharmacum Civibus Sylva-Ducensibus propinatum adversus Ministrorum suorum fascinum.* In hoc scripto veterem eorum crambem, necnon falsa sectæ principia funditus evertit, Religionis vero Catholicæ veritatem, ex eo, quod Ecclesia Catholica a Christi ævo, non autem Calviniani Ministelli suam missionem, & docendi auctoritatem testatam reddere possent, tanto rationum pondere propugnabat, ut Voetio, Swalmio, Udemanno, & Everwino Prædicantibus, qua effugerent, nulla alia patuerit porta, nisi quod dicerent, iniquam fuisse Jansenii cum Calvinistis disputandi methodum, eoquod relictis Scripturarum fontibus summorum Pontificum successionem ab Apostolorum tempore usque in hunc diem continuatam & Calvini reformationem sine missione suo arbitrio inchoatam demonstrarit, perinde acsi hæc ipsa perpetua successio ipsis S. Literis luculentissime non inniteretur. Postea Jansenius Sylvaducenses Prædicantes ad publicam pro-

Sæc. XVII. A.C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638. provocabat disputationem, quam tamen illi acceptare minime ausi, declararunt, quod ipsi Lovanienses Doctores non provocassent, proin illos ad disputationem admittere nollent, cum tamen antea *omnes & singulos universumque Orbem* provocassent: quoniam vero ob Jansenii scriptum non pauci de veritate suæ sectæ dubitare inciperent, hinc illud Voetius refellere nitebatur, edito libello, cui titulus: *Philonium Romanum Correctum:* eodem tamen anno Jansenius mox infaustum hunc *Prædicantis* partum suffocavit, injecta *Notarum Spongia*, qua maculas perperam in Voetii notis aspersas absterst, ac ipsismet fatentibus adversariis, erudite & facunde causſam suam egit: nihilominus, ne Calvinus causſa cecidisse videretur, Voetius captato per integrum quinquenium respirandi spatio, tandem librum, cui titulus: *Desperata Papatus causſa* edidit, suppetias post triennium eidem ferente Martino Schoockio, qui *desperatissimam causſam Papatus* scripsit, neuter tamen Jansenii rationes elidit, sed nonnisi calumnias centies ac centies jamjam confutatas recoxit: utrumque vero librum Libertus Fromondus Lovanienſis Doctor ac Jansenii in Sacræ Scripturæ Cathedra Successor egregie confutavit. Tandem vero Janse-

Janſenius anno Chriſti milleſimo ſex- Sæc. XVII.
centeſimo trigeſimo quinto die vigeſima A. C. 1638.
octava Octobris, qua natus erat, Yprenſis Epiſcopus nominabatur, anno autem ſequenti eodem die conſecratus, demum hoc anno die ſexta Maij febri in peſtem declinante correptus, e vivis exceſſit, poſtquam totius vitæ ſuæ noxas Sacerdoti aſſeruerat, ac ſupremis morientium Sacramentis rite confirmatus erat.

§. LXXIX.

Janſenii opera typis edita.

Quantumvis Moliniſtæ Janſenium ab eo temporis articulo, quo ſeſe eorum opinionibus oppoſuiſſe credebatur, nec pietate, nec eruditione conſpicuum, imo nequidem *Philoſophicæ ſapientiæ* gnarum depinxiſſent, nihilominus communia ſaniorum ſuffragia, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritia, laurea Doctoratus Theologici a Pariſienſibus oblata, & a Lovanienſibus conceſſa, præcipue vero quædam ejusdem ſcripta longe celebratiſſima profundam ejus in Theologicis, Exegeticis aliisque diſciplinis ſcientiam produnt. Scripſit autem I. orationem de interioris hominis reformatione, II. Tetrateucheom, ſeu commentarium in quatuor Evangelia III. com-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

III. commentaria in quinque libros Moysis IV. in Proverbia, Ecclesiasten, & libros Sapientiæ, & in Prophetam Sophoniam Analecta, quæ tamen posthuma in Eruditorum Scriniis asservantur. V. Alexipharmacum &c. VI. Spongiam notarum, quibus Alexipharmacum aspersit Voetius. VII. Denique Martem Gallicum sub nomine Alexandri Patricii Armachani. Porro Jansenius iniquissimo ferens animo, quod Molinistæ Deum libero hominis arbitrio subjicerent, hinc eorum doctrinam impugnaturus, ut puram S. Augustini doctrinam de gratiæ efficacia a scholis, ut credebat, passim eliminatam postliminio revocaret, impigro viginti duorum annorum labore, summaque animi contentione hujus sancti Patris opera evolvit, cunctaque ad suum scopum consona ex illis decerpsit, atque in adversaria per classes distribuit, integrumque volumen, cui nomen esse volvit, *Augustinus Jansenii* conscripsit: quod tamen Jansenius hoc opus suum *nonnisi post celebratum Conciliabulum Burgofontanum*, proin intra 5. Martii & 4. Novembris anni 1621. digesserit, æque confictum est, ac ipsum hoc Concilium Burgofontanum. Nec tamen diffitemur, quod Jansenius jam tum de sistematis sui veritate subdubitarit, atque ideo

ideo, cum sibimet Pii V. & Gregorii XIII. Bullas contra Michaelem Bajum objiceret, *hæreo fateor*, ajebat, *sed quid ad doctrinam S. Augustini?* Insuper acres sibi a Molinistis impendentes procellas animo præsagiebat, prout literis ad Abbatem Sancyranum datis significaverat, „asserens, eo magis se teneri, quo in „hoc opere longius progrederetur, doctri„nam, quam meditaretur, stuporem „plerisque incussuram: ac futurum fa„cile, ut tanquam delirus ac somnia„tor insignis audiat: credere tamen se, „rem tantam a Deo speciali consilio pro„moveri: magna nihilominus pruden„tia ac circumspectione opus esse, ma„gnoque potentum favore: cætus quo„que religiosos, si in eandem senten„tiam adduci possent, magno præsidio „fore:„ Constans quoque apud Iprenses traditio viget, Jansenium morti vicinum cuidam Sanctimoniali præcepisse, ut afferret sibi hæc sua scripta, in ignem, ut credunt, conjicienda: ea vero non fuisse reperta, Jansenium autem paulopost extinctum: utut res se habuerit, id certum est, quod Jansenius vix dimidia ante obitum hora testamenti sui tabulis hæc verba inseri jusserit: „Ego Cornelius Dei & Apo„stolicæ Sedis gratia Episcopus Iprensis „de mea libera voluntate do & dono

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Danes Gen. temp. not. p. 317.

Sæc. XVII. A. C. 1638

„omnia mea Scripta ad explicationem „S. Auguſtini ſpectantia Capellano meo „Reginaldo Lamæo, partim quia ma„gno labore ea ſcripſit & dictavit, par„tim quia ſine originali, copia corrigi „non poteſt. Hac tamen mente hanc „donationem facio, ut cum Doctiſſ. „Viris, Magnifico Liberto Fromondo, „& Reverendo Domino Henrico Cale„no, Canonico Mechlinienſi, conferat, „& diſponat de editione quam fideliſ„ſime: Sentio enim difficulter aliquid „mutari poſſe. Si tamen Romana Se„des aliquid mutari velit, ſum obe„diens filius, & illius Eccleſiæ, in qua „ſemper vixi, usque ad hunc lectum „mortis obediens ſum. Ita mea po„ſtrema voluntas eſt, actum 6. Maij „1638.„ Hujusmodi verba ſubmiſſionis plena in ipſomet ſuo Auguſtino ſemel atque iterum repetuntur, indubiumque eſt, quod Janſenius tam in ſuis theſibus, quas die nona Octobris anno hujus ſæculi decimo ſeptimo absque Præſide Lovanii propugnaverat, quam in ſuis Commentariis in Sede Apoſtolica auctoritatem agnoverit falli neſciam in rebus ad fidem moresque ſpectantibus: unde corruit Moliniſtarum criminatio, qua ad augendum odium, & arceſſendam ex impacto Pontificiæ auctoritatis contemptu hæreſeos probabili-

Præm. c. 29. & in Epil. in cap. 22. Luc.

habilitatem sparserunt, Jansenium jam tum (scilicet dum Marci Antonii de Dominis libros confutare, ab Apostolico Nuntio monebatur) consilia de convellenda Pontificum, qui Baium damnaverant, auctoritate animo volverit. Optandum potius fuisset, ut Jansenii Sectatores illius erga Sedem Apostolicam obsequium fuissent imitati, & Molinistæ privato suo in eum odio minus indulsissent; tum enim fors tota controversia in Jansseniani libri damnatione stetisset, ejusque doctrina, si hæretica haberetur, jam in Baio damnata fuisset credita, nec in novam hæresin excrevisset; proin Ecclesia jam pridem liberata fuisset atrocibus illis contentionibus, funestisque dissidiis, quibus non sine maximo animarum dispendio in hanc usque diem agitatur. Sæc. XVII. A. C. 1638.

Ceterum vix vitæ suæ finem fecerat Jansenius, cum illico Reginaldus Lamæus defuncti Episcopi Sacellanus, Henricus Calenus Archipresbyter Bruxellensis, necnon Libertus Fromondus edendo Jansenii Augustino manum admoverent: Horum igitur opera anno hujus sæculi quadragesimo hic liber literis Zegeri Lovanienſis Typographi cum Cæsaris Regisque Hispani privilegio, Ferdinando Cardinali Hispano

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Belgarum Gubernatori nuncupatus prodiit, adjecta hac Jacobi Pontani Regii librorum Cenſoris approbatione: *Hoc opere per Reverendiſſimum Dominum Cornelium Janſenium Epiſcopum Iprenſem de hæreſi Pelagiana, ac ſtatu naturæ innocentis, lapſæ, puræ, reparatæ, ſingulari, miraque eruditione concinnato, arcaniſſima divinæ providentiæ circa creaturam rationalem diſpoſitio panditur, liberique arbitrii natura, & gratiæ vires explicantur, ubique conformiter ad D. Auguſtini Doctrinam: cujus principiis Author ſic inhæret, ut non tam ſuum, quam ipſius Auguſtini ſenſum exprimat, explanetve: quam ob rem opus hoc prælo ac publica luce digniſſimum cenſeo, fructusque eximios ſolidarum Virtutum orbi chriſtiano allaturum confido.* Ubi ergo hic liber tot Principum auctoritate, & Cenſoris Regii approbatione munitus, publicam aſpexerat lucem, conſuetis Moliniſtarum commentis annumeranda eſt Hiſtoria de clandeſtina hujus libri editione: Referunt enim illi, quod præfati Viri Typographum auro corruptum ac jurejurando adactum eo deduxerint, ut ſummo ſilentio hujus libri typum abſolveret; qua autem ratione ante ipſam editionem hoc myſterium fuerit detectum, rurſus variant Moliniſtæ, narrant quidam, Jeſuitis Lovanienſibus cal-

callida dexteritate P. Viskerkii, qui unum ex typographi operariis ad asservenda sibi omnia folia subornaverat, innotuisse, hoc opus propediem in lucem proditurum. Alii evolutionem hujus mysterii cum minore malignitate recensent, ajuntque, quod eo tempore, quo Jesuitæ Jubilæum suæ Societatis celebrarent, præsens fuisset non nemo arcani conscius, qui inter epulas & pocula, quæ solent ora resolvere, hæcce verba protulerit: *præparantur vobis cibi, quibus brevi festa convivia agere possitis:* Unde Patribus suspicio, maligna in Societatem consilia agitari. „Interim, „inquiunt Molinistæ, Adrianus Crom„mius, Collegii Jesuitici Præfectus, Ze„gerum, quocum familiaria sæpius col„loquia habebat, convenit, atque ut „solebat, typographiam tentat ingredi. „Verum obseratas fores reperit. Unde „suspicionis incrementum. Nec tamen „detegi poterat arcanum, nisi id ventus „revelasset. Etenim typographus im„pressas chartas aëri curaverat siccan„das exponi; factum vero est, ut spi„rans aura unum alterumve folium dis„sparet. Id repertum mox a vicinis at„que ad Jesuitas delatum, qui ex ungue „Leonem agnoscebant. Ergo Crom„mius haud jam miratus, se clausam „typographiæ Januam inveniisse, illico

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

„ad Internuntium Richardum Stravium, „Cameracenſem Archidiaconum, de„fert, quas accepiſſet, paginas, ſimul„que precatur, ut ſua authoritate ſup„primi cæteras ſatageret, quando iis „continerentur dogmata, a Pio V. & „Gregorio XIII. prohibita. Ille rem ad „Academiæ Rectorem refert, qui ſuum „non eſſe reſpondit, impedire librum, quo „minus excuderetur, quem Cenſorum ju„dicia approbaſſent.„ Fruſtrato igitur Internuntii conatu hic liber primo Lovanii prodiit, & paulopoſt Pariſiis cum adjecto ſex Sorbonæ Doctorum ſuffragio alteris typis excuſus; mox etiam a Miniſtris Calvinianis Hollandiæ, Jacobo Ariglandyo rem dirigente, in patriam linguam translatus; a Jacobo autem Voetio gregi ſuo eximias inter laudes commendatus eſt, ſuffragante celebri Grotio, cujus ea Sententia fuit, ſi Catholici probarent Doctrinam Janſenii, brevi duas Eccleſias in unam conflatum iri. Non multum lapſum eſt temporis, cum & Rotomagi nova libri Iprenſis Epiſcopi editio comparuit.

Cetera hujus libri fata recenſebimus in Hiſtoriæ noſtræ progreſſu.

§. LXXX.

Sæc. XVII.
A.C. 1638.

§. LXXX.

Diverſæ Urbani VIII. Pontificis Conſtitutiones.

Jam anno priori Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini de Fratribus Diſcalceatis ejusdem Ordinis apud S. Rituum Congregationem querebatur, quod hi Imagines S. Auguſtini, Nicolai Tolentini, aliorumque hujus Ordinis Sanctos in habitu, quo Diſcalceati utuntur, paſſim imprimi, aut depingi fecerint, inde vera non ſine ejusdem Ordinis præjudicio plurium contentionum occaſio data fuerit, hinc eadem S. Congregatio die decima nona Decembris ejusmodi imagines aboleri præcepit, ſummus vero Pontifex die vigeſima tertia Januarii hoc S. Congregationis decretum confirmavit. Paulopoſt Fratres Minores Conventuales apud ſummum Pontificem expoſuere, quod quidam Parochi, ut ſepulturam in Regularium Eccleſiis eligendi libertatem præpedirent, immodicas ab hæredibus exactiones fecerint: hinc ſummus Pontifex habita deſuper inquiſitione, die undecima Martii locorum Ordinariis præcepit, ut de opportuno providerent remedio, ac confeſtim decernerent, ne

Bullar. Magn. Conſt. Urb. VIII.

Sæc. XVII. A. C. 1638. Parochi plus percipiant in Sepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, ſeu aliorum Clericorum Templis. Quoniam vero Cardinalis Barberinus Papæ Nepos non ita pridem Romæ cubiculum S. Catharinæ Senenſis cum ſuis parietibus & picturis ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Minervam transferri, & prope Sacriſtiam collocari curavit, eapropter Papa, ut hoc Sacellum Sacris muneribus decoraret, die vigeſima ſecunda Maij præter plenariam indulgentiam pro viſitantibus præfatum Sacellum in ejus die feſto conceſſit, ut Sacerdos in Ara dicti Sacelli pro anima defuncti celebrans, eam liberet a pœnis per modum ſuffragii: excommunicationem autem intentavit Pontifex fœminis, quæ præfatum Sacellum, præterquam in die feſto S. Catharinæ ingrediuntur: Denique die vigeſima nona Julii idem Pontifex, ne libri ex Bibliotheca PP. Capuccinorum extraherentur, inhibuit, Superioribus tamen conceſſit, ut inutiles libros cum aliis commutare valeant.

§. LXXXI.

Variæ S. Congregationum deciſiones.

Inter

Inter diversa Sacrarum Congregationum decreta, nonnisi pauca adducere lubet, & primo quidem Sacra Rituum Congregatio die sexta Februarii præcepit, ut deinceps in Calendariis locorum fiat nota, *ad libitum*, quando Officia non sunt de præcepto: Die autem decima tertia Julii S. Congregatio Immunitatis declarabat, quod absolutio a censuris ex caussa violatæ immunitatis Ecclesiasticæ sit reservata summo Pontifici: declaratum quoque die vigesima quarta Septembris, quod si Vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in diem Corporis Christi, non sit eo die jejunandum, nec abstinenduum a carnibus, sed anticipandum sit Jejunium die antecedenti, scilicet feria quarta.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Const. & decis. S. Congr. Rit. Episc. Concil.

§. LXXXII.

Propositiones ex libro Claudii Seguenoti decerptæ atque a Facultate Parisina damnatæ.

Die tertia Maij Petrus Chapellasus Facultatis Theologicæ Parisiensis Syndicus Sorbonæ Doctoribus exposuit, quod Claudius Seguenot Pater Oratorii novissime S. Augustini tractatum de *Virginitate*, Gallice reddiderit, notisque oppido suspectis auxerit: Re percepta mox Facultas sex selegit Doctores,

Abregé Chronol. de l'Hist. Eccl. Siecl. XVII. Argentr. Coll. Jud. t. 3. p. 25.

Sæc. XVII. A. C. 1638

ctores, qui hunc librum ſedulo examinarent. Hi ergo in proximis Sorbonæ comitiis die prima Julii retulere, librum hunc periculoſæ & damnandæ lectionis eſſe, tam in Scholiis & Notis, quam in ipſa Verſione operis S. Auguſtini, in qua parum fidelem ſe præſtiterit Author, nonnulla de ſuo adjiciens contra mentem Beatiſſimi Patris, & ejus verborum emphaſes degenere permutatione extenuans, ac aliorſum detorquens, & illius Sententias depravans. Horum itaque ſelectorum Magiſtrorum relatione audita, & re a Facultatis Decano prima menſis Junii die ejusdem anni propoſita, & poſtquam in tribus Congregationibus diu, & mature deliberatum eſſet, cenſuit Facultas, præfatum librum damnandum, prout de facto damnavit, utpote continentem multas propoſitiones, novas, falſas, ſcandaloſas, piarum aurium offenſivas, ab inſignioribus pietatis Chriſtianæ operibus averſivas, quietis animarum perturbativas, communi & omnino tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, erroneas, & hæreſin redolentes. Poſtea ex Cenſuris ita generaliter expoſitis nonnullas ſelegit ſequentibus propoſitionibus ſpecialiter applicandas.

Propo-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Propositio I. „Si quædam nupta omnibus carnis actibus renuntiaret, & „conjugio uteretur, tanquam non uteretur, æqualemque cordis & animæ „puritatem conservaret in conjugio, „sicut Virgines extra illud, hæc absdubio haberet meritum Virginitatis „& non tantum æque sancta & perfecta, „sed etiam æque pura & casta foret, „sicut Virgines.

Censura. *Hæc doctrina, qua dicitur, eos, qui utuntur conjugio tanquam non utantur, habere meritum Virginum, & cœlibem vitam agentium, & esse non solum æque Sanctos, & æque perfectos, verum etiam æque puros, æque castos, hæresin sapit.*

Propositio II. „Votum perfectioni „Christianæ, & voto in Baptismate e„misso nihil nisi actionem externam, „in qua perfectio non consistit, super„addit. . . . Vota sunt utilia imper„fectis, & sunt *instabilitati humanæ pro„visa remedia*, & hæc est vera caussa „Professionis Religiosæ. . . . Votum, „quando certam actionem externam „præscribit, inducit necessitatem ser„vilem, & tollit animæ libertatem . . . „obedientia non est consilium . . . . „Paupertas voluntaria est ab homini„bus, necessaria a Deo.„

Censura. *Hæc doctrina, qua adstruitur in præjudicium votorum Monasticorum, & depres-*

Sæc. XVII. A. C. 1638.

depressionem status Regularium, præsertim qua asseritur, vota nihil addere perfectionis; esse tantum imperfectorum, sæpe esse impedimenta alio vocantis Dei; abusive vocari consecrationes, obedientiam non esse opus consilii, & paupertatem voluntariam ex voto excludi a paupertate Evangelica, non tantum est destructiva sancti Regularium status, & aversiva a proposito laudabilis vitæ cœnobiticæ, verum etiam falsa, scandalosa, temeraria, & erronea.

Propositio III. „Consilium, quam„primum est particulariter cuidam in„spiratum mox degenerat in præce„ptum.„

Censura. *Hæc doctrina, qua docetur opera consilii, ubi inspirata sunt & applicata per inspirationem huic vel illi Personæ, esse obligatoria, & transire in præceptum, est falsa, periculosa, conscientiarum perturbativa, & erronea.*

Propositio IV. „Generatio in statu in„nocentiæ fuit sanctissima & perfectis„sima actio, per quam homo fuit san„ctificatus, sicut nunc per Sacramenta.

Censura. *Hæc doctrina, qua dicitur, æqualitatem efficientiæ futuram inter actum generandi, qui exerceretur in statu innocentiæ, & inter Sacramentorum nostrorum efficientiam, est scandalosa, temeraria, & Sacramentis novæ legis contumeliosa.*

Pro-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Propositio V. „Aureolæ nulla fit mentio in S. Literis.„

Censura. *Quæ Author asserit de Aureolis Sanctorum, quas dicit novitium inventum theologorum, & sine fundamento in Scriptura, sunt falsa, temeraria, Scholis etiam veterum theologorum injuriosa.*

Propositio VI. „Vera Contritio non „procedit a timore servili, sed charitate perfecta . . . si vera contritio „omnino est necessaria ad gratiam Sacramenti, & si hæc charitas hominem „Deo reconciliat ante receptionem Sacramenti, superflua erit absolutio . . . „qui diceret, absolutionem Confessarii „esse duntaxat declaratoriam, Synodo „non adversatur.„

Censura. *Quæ Author tradit de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate, absoluta necessitate, ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ; & quæ addit, & approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, declaravit quoque facultas, & censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi, & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias ac erroneas.*

Propositio VII. „Pœnitentia Sacramentalis deberet esse publica, nec „perfecte dispositus est, qui sua pec-

„cata

Sæc. XVII. A. C. 1638. „cata toti Eccleſiæ detegere, paratus „non eſt.„

Cenſura. *Hæc doctrina, qua Author ſtatuit, ex ordine & natura rei requiri, quod ſit publica Confeſſio, eſt nova, falſa & periculoſa.*

Præter hæc cenſuris notata, alia quamplurima erant ſparſim in toto contextu Libri reprobanda, quæ omnia Sacra Theologiæ Facultas Pariſienſis damnavit, & Librum tot nævis, & erroribus reſperſum cenſoria *hac animadverſione* notavit, dignumque cenſuit, cujus lectione omnes Catholici interdicantur.

Fertur tamen hunc librum nonniſi mutuato Seguenoti nomine fuiſſe editum, reipſa vero compoſitum a Vergerio Abbate San-Cyrano, qui hoc ipſo anno die decima quarta Maij, eoquod Janſenii ſyſtema de gratia amplexus fuiſſet, in Vincennenſi carcere Richelii Cardinalis juſſu incluſus eſt, nec inde niſi poſt ejusdem Cardinalis obitum die decima ſexta Februarii anno hujus ſæculi quadrageſimo tertio liberatus.

§. LXXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1638.

§. LXXXIII.

Facultatis Theologicæ judicium circa Theſes & epiſtolam nuncupatoriam Patris Joannis Fabri.

Eodem hoc anno Pater Joannes le Fevre ſeu Faber Ordinis Fratrum Minorum Theologus ſacrarumque literarum Profeſſor Pariſienſis Theſes quasdam Gabrieli de Bovo Nannetenſi Epiſcopo nuncupabat, adjecta hac epiſtola: *Multis titulis Præſul Illuſtriſſime, hoc munuſculum tibi debebatur, ſed eo præcipue, quod ejus ſit arboris fructus, quæ in tuo ſolo nata eſt, crevit, & adolevit. Cum enim ex ea ſim Diœceſi oriundus, quæ te paſtorem colit, & Patrem; peregrina ſane Vota, ſi alteri, quam tibi nuncupaſſem, atque adeo idololatram veluti quispiam me exiſtimaſſet, quod Dignitatem tuam ea oblatione aliquid Splendoris & Gloriæ adepturam putarem: ea enim virtus, quæ te Regum ſtudioſiſſimo chariſſimum, & Regno utiliſſimum, populis denique omnibus clariſſimum jampridem fecit & Illuſtrem, eo eſt evecta, ut hominum voces & ſuffragia facile negligat, ut palam videatur; ſed quo de te, ſicut de Deo ſentiam, qui hominum ſacrificia quantumvis inutilia ſibi recipit: nec illorum Vota dedignatur, ſed potius ardentiſſime exigit, quia illi debentur. Sic mare*

Argentre l. c. p. 27.

Sæc. XVII. A. C. 1638. *mare vel ipsos rivulos æque ac Nilum, aut Gangem vastissimo sinu excipit, non quod ab illis aliquid incrementi accipiat, sed quia juri suo renuntiare non potest. Hoc igitur qualecunque gratitudinis monumentum, & meæ in te observantiæ tesseram exhibere nitor, eo solum, ut id præstem, quod sine injuria omittere non possum. Nec muneris exiguitatem erubesco; semper enim exiguus videri malui, quam ingratus. Quamquam nec ita exiguum munus existimem, quod sua fronte Sanctissimum & difficillimum Religionis nostræ mysterium præfert, estque ejus Theologicæ facultatis Actus, CUJUS ORACULA NON MINUS DIVINA, QUAM PONTIFICIA; ÆQUE CERTA, UT ITA DIXERIM, SEMPER FUERUNT, AC ILLA, QUÆ IN CONCILIIS PRONUNTIARI SOLENT. Quippe eadem est Doctrina, idem Sensus. Quod si munus non ex ipso, sed ex voluntate & dantis affectu metiri velis, audeo dicere, nunquam majus recepisti. Si igitur gratum habeas, & me ea, qua hactenus complexus es benevolentia prosequaris, lætus & hilaris certamen subeo.*

In hac vero epistola Alphonsus le Moyne nonnulla animadversione digna reperiri, Patrem vero Fabrum duntaxat literas pro lectura Sacrorum Bibliorum, non autem pro lectura Sententiarum obtulisse, die sexta Novembris Facul-

Facultati denuntiabat: quocirca die primo Decembris Facultas Theologica Parisiensis censuit, supprimendam esse epistolam, Theses vero asservandas, donec præfatus Pater literas obedientiales pro Lectura Sententiarum ab Ordinis sui Generali, ut moris est, obtinuisset. Sæc. XVII. A.C. 1638.

§. LXXXIV.

Scriptorum Religione Catholicorum obitus.

Præter Jansenium Iprensem Episcopum ex Catholicis occurrunt nonnulli Scriptores Ecclesiastici hoc anno defuncti, & quidem primo memoriam facimus Hanibalis de Afflictis Rhegiensis Archiepiscopi, qui præter eruditas epistolas, Synodi Rhegiensis acta edidit, ac die prima Aprilis annos natus septuaginta octo decessit. Alter erat Balthasar Raez Ord. Trinitariorum, qui præter conciones, Commentaria in Deuteronomium, cantica Moysis, Ezechiæ, & Isaiæ, & Epistolam D. Jacobi posteris reliquit, obiitque Ulyssipone die decima tertia Mensis Martii. III. Christophorus Bessoldus, de cujus reditu ad Catholicam fidem jam supra meminimus: Hic Jureconsultus S. Cæsareæ Majestati, & Electori Bavaro a Consiliis

Montig. Bibl. Sic. Anton. Bibl. Hispan. Mir. Aubert. Bibl. Eccl. Alegamb. Bibl. Script. S. J. Vid. supra Lib. 190. §. 14. t. 60.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

filiis prius per viginti quinque annos Tubingæ, Ingolstadii autem per biennium Jurisprudentiam publice profitebatur, eumque Urbanus VIII. Papa Bononiam & Cæsar Viennam expetiverunt, mors tamen die decima quinta Septembris intercepit annos natum sexaginta & unum. Edidit motiva, quibus permotus Lutheri dogmata ejuraverat, exstant quoque plusquam quadraginta ejusdem opera Juridica, quæ a Melchiore Fischlin in supplementis ad memorias Wirtenbergensium Theologorum enumerantur. IV. Zacharias Salutiensis Capuccinus, acerrimus hæreticorum oppugnator; scripsit duos Annalium Ordinis sui tomos, Orthodoxas Consultationes, pluraque alia: obiit Genuæ septuagenarius die trigesima prima Martii. V. Jeremias Drexelius Jesuita, qui plurima opuscula Ascetica duobus tomis comprehensa ad posteros transmisit. VI. Ignatius Armandus ex eadem Societate, cujus opera Jesuitas ab Henrico IV. in Gallias revocatos, jam supra memoravimus: Edidit Paraphrasin in Psalmos, orationem ad eundem Regem pro Societatis innocentia, ejusque in Galliam restitutione, necnon epistolam contra Chamierum Calvinianum Prædicantem. VII. Didacus Collado in Indiis Orien-

Orientalibus Missionarius ex Ord. FF. Prædicatorum, qui opera Hispani Regis ab Urbano VIII. Papa obtinuit, ut Gregorii XIII. diploma, quo nonnisi Jesuitis ad Sinarum & Japonum missiones excurrere datum erat, revocari, ac ceteris omnibus Religiosis ibidem Evangelium prædicandi licentiam obtinuit. Scripsit varia pro addiscendo idiomate Japonico, præter Historiam Ecclesiasticam de fatis Christianorum in Japonia ab anno 1602. usque ad 1641. VIII. Ildephonsus a Jesu Maria Carmelita Excalceatus: edidit animadversiones pro legibus rite intelligendis, pericula & remedia perfectionis Religiosæ, doctrinam Religiosorum, manuale Prælatorum, & compendium Diplomatum: necnon tractatus de Regularium, Monialium & Prælatorum Regimine, ac de Religionum damnis, ubi Generalatus nonnisi triennio durat, præter plura alia ejusmodi opuscula.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXXXV.

Patris Josephi Capuccini obitus.

Præter hos ob fatorum varietatem singulari memoria dignus habetur P. Josephus ex Ord. FF. Capuccinorum. Hic ex nobilissima stirpe Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo

Abregé de l'Hist. Eccl. tom. 10. Richard vie du P. Joseph. Vitt. Siri Merc.

Sæc. XVII. A.C. 1638.

Vie du Card. Richel.

geſimo ſeptimo ortus, Græcæ, hebraïcæ, Teutonicæ, Anglicæ, Hiſpanæ & Italicæ linguæ peritia, necnon Mathematicis diſciplinis ingenium ſuum mire excoluit: anno autem ætatis ſuæ vigeſimo tertio Ordinem Fratrum Capuccinorum Pariſiis profeſſus, varia Ordinis ſui munia non ſine laude obibat, ſuaque opera Salmurii, Pictavii & Angeriaci non modo tribus Conventibus, ſed præcipue auſterioris vitæ ſtudio non tantum Provinciam ſuam, ſed & aliorum Ordinum Conventus celebriores reddebat: Flagrabat inſuper immoto propagandæ Religionis ſtudio, quo incitatus rebelles Hugonotas præcipue Ruppellenſes armis coercendos Regi ſuaſit, eorumque hæreſin ore & calamo impugnavit: Chriſtianos quoque Principes ad Sacram expeditionem contra Turcas incitaturus, Romam ad ſummum Pontificem, indeque in Hiſpanias ablegatus eſt, hancque in rem Carolum Nivernium Ducem ad inſtituendum S. Militiæ Ordinem induxit, plurimosque Viros Apoſtolicos non modo in Franciam, ſed & in Græciam, Armeniam, Natoliam, Palæſtinum, Perſiam, aliasque regiones remotiſſimas Urbani VIII. Pontificis auctoritate decrevit. Erat intima familiaritate junctus Richelio Cardinali, quocum in publi-

publicis negotiis, belli expeditionibus, Sæc. XVII.
pacisque negotiationibus præcipuam A. C. 1638.
habebat partem, & quamvis Regis indignationem ob pacem cum Cæsare Ratisbonæ concluſam incurriſſet, atque in ſuum Monaſterium ab aula exulare juſſus eſſet, brevi tamen cum Richelio ſupremo Regis Miniſtro Regni curas partiri viſus eſt; unde paſſim ſupremus Richelii Miniſter vocabatur, imo ipſum quoque Regem in variis expeditionibus comitatus, eundem ad feriendum cum Suecis fœdus impulit, tanti a Rege habitus, ut illum Purpura donari, Rex a Papa peteret, quod tamen occultis Richelii, qui eum Conſultorem, quam collegam habere maluit, artibus impediebatur. Ceterum quantumvis Joſephus totus exteris curis immerſus videretur, aſſidue tamen piis vacabat operibus, ac Sanctimoniales, quarum Congregationem ſub titulo B. Virginis de Calvario ipſus inſtituerat, ſalutaribus præceptis moderabatur, cumque Regem in bello contra Sabaudiæ Ducem comitatus eſſet, illarum Regimen Abbati San-Cyrano, quem tum maximi habebat, commiſit, quamprimum vero ab expeditione ſua redux erat, has Moniales ſibi minus propenſas expertus, Abbatem hunc Richelio Cardinali exoſum reddere ſatagebat: Tandem

Sæc. XVII. A. C. 1638.

dem vero hic Capuccinus hoc anno apoplexia tactus die decima octava Decembris deceſſit. Edidit tractatum de militia Chriſtiana, de methodo audiendi Sacrum, & Synaxin ſancte recipiendi, & de oratione mentali, item inſtructionem ad Principes, quantum eorum interſit bellica expeditio contra Turcas, Statum deplorandum Chriſtianitatis, diſpoſitiones ad bellum contra Turcas, exercitia pietatis & devotionis, Defenſionem Regis & Miniſtrorum, ac denique Cleonvillæ monita ad Provincias: Verum non modo hæc ſcripta, ſed præcipue Patris Joſephi vitam & geſta quidam malevoli dente maledico carpſere: ita nempe nequidem bene geſta, ſi Status conditioni non conveniunt, ab æmulorum calumniis ſat tuta ſunt.

§. LXXXVI.

Scriptores Acatholici hoc anno denati.

Arnold. Hiſt Hæret. Vol. 1. part. 2. l. 17. cap. 6.

Vid. ſupra l. 193. §. 132. tom. 57.

Spener. Hiſt. Piet. p. 17.

Inter Scriptores Proteſtantes, qui hoc anno obiere, primum locum ſibi vendicat Lucas Oſiander Junior Cancellarius Tubingenſis, qui Joannem Arndium, cujus ſupra meminimus, tot convitiis, tamque maledico ore inſectabatur, ut Beſſoldum inde graviter offenſum ad Eccleſiam Romanam rediiſſe,

diisse, Spenerus testatus sit: de cetero Osiander tam jejunus, sterilis, ac Divini Verbi inops erat Prædicans, ut quadam die miles e suggestu dicentem dicto pugione aggressus sit, dicens, *quare Verbum Dei non prædicas?* Nihilominus a suis tanquam apprime doctus, & Religionis studio ardens Theologus, acerrimusque Calvinistarum, aliorumque Novatorum hostis celebratur. Edidit Enchiridion controversiarum cum Calvinianis, Schwenkfeldianis, Anabaptistis & Pontificiis, defensionem veritatis de omnipræsentia, tractatus de communicatione idiomatum, de Regimine Ecclesiastico, de induratione, de corruptelis Vaticiniorum, & præter librum contra Arndium plura alia impotentis animi monstra. II. Georgius Zæmannus, ejusdem farinæ Præco, cujus petulantiam a Cæsare digna pœna mulctatam supra retulimus, scripsit commentaria in epistolas D. Pauli, Papatum Acatholicum, Carnificinam Esaviticam, Gretseri triumphatum, Athletam stramentitium, aliaque ejusdem generis inter quisquilias reponenda. III. Jacobus Huldricus posteris reliquit vindicias pro Bibliorum translatione Tigurina, de religione antiqua S. Felicis & S. Regulæ, Historiam Tigurinorum Protomartyrum, libros de Eccle-

Sæc. XVII. A. C. 1638.

Vid. supra lib. 197. §. 12. t. 59. *pag.* 44. *Freher Theatr. Vir. erud. part.* 1. *Sect.* 3.

Sæc. XVII. A. C. 1638.

sia Electorum Dei, de Religione Ecclesiarum Græcarum, & de certitudine salutis, præter vindicias capitis decimi septimi Confessionis Helveticæ. IV. Lucas Bacmeister conscripsit commentaria in Threnos Jeremiæ, septem Psalmos Pœnitentiales, & disputationem contra decreta Concilii Tridentini, tractatum de lege, necnon dilucidationem quæstionis, an Ecclesia Lutherana indigeat reformatione? præter propriam Calviniſtarum confessionem, quod quis in Lutherana Religione salvari possit. V. Joannes Rasenius commentaria in N. T. præter Polemica & Theologica typis vulgavit. VI. Guilielmus Nigrinus elucubravit tractatum de legis adimpletione contra Bellarminum, Papisticum S. Scripturæ contemptum, disputationes de variis argumentis, & assertionem loci cujusdam a Fevardentio citati. VII. Joannes Malsius scripsit Regimen pestilentiæ menstruum, explicationem Psalmi I. & Postillam Evangeliorum. VIII. Joannes Schreitter edidit Pentadecadem citharæ Davidicæ, disputationes, & epistolam consolatoriam ad Bohemiæ Evangelicos. IX. Josephus Mede publici juris fecit clavem Apocalypticam, Diatriben in varia S. Scripturæ loca, tractatum de Hebdomadibus Danielis, de Apostasia ulti-

ultimorum temporum, & de Prophetia Petri præter Dissertationes Ecclesiasticas. X. Andreas Baur scripsit tractatum de vera, reali, & substantiali præsentia Christi in actione Cœnæ præter tractatum de lege morali. Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. LXXXVII.

Principum atque Illustrium obitus.

Eodem anno, quo faustissimo sydere Ferdinando Cæsari Maximilianus Thomas, Maximiliano autem Bavariæ Electori Maximilianus Philippus Hieronymus, ac demum Philippo IV. Hispaniarum Regi filia erat nata, immatura morte, & maximo Procerum luctu Taurini in Pedemontio sublatus est die quarta Octobris Franciscus Hyacinthus Sabaudiæ Princeps octo fere annorum puer, uno duntaxat fratre vita superstite Carolo Emanuele quadrienni. Supremam quoque diem clausit exeunte Mense Junio Petrus du Vair Vinciensis Episcopus, in hoc haud parum commendandus, quod pinquiores Episcopatus sibi sæpe oblatos semper recusarit, asserens, non licere, Sponsam, eoquod pauper sit, dimittere, & ditiorem accipere. Obiit per idem tempus in Polonia Thomas Zamoyskius supremus Regni Cancellarius, & *Mem. Hist. Houss. t. 2. Flor. Hist. pag. 272. Brachel. hist. temp. l. 5.*

Sæc. XVII. A.C. 1639

Joannes Wezyckius Gnesnensis Archiepiscopus, cui Joannes Lipsius Episcopus Culmensis suffectus est. Præterea inter celebratissimos Belliduces Crequius Franciæ Marescallus, dum Bremam in Italia contra Hispanos tueri parat, vitam & urbem die decima septima Martii globo trajectus amisit: pari etiam fato Rheinfeldæ ex vulneribus suis die decima quinta Aprilis decessit Rohanæus Dux, quem sectæ suæ tuendæ fanatismus, & ambitio ad iteratam rebellionem contra Regem suum induxit, extrema vero Hugonotarum suorum clades eundem ad Regis sui obsequium redire compulit, in quo utrum rebus Calvinianis prospere fluentibus constans perstitisset, incertum; quid enim apud Sectariam gentem ab stirpe fallacem coacta servitus roboris & fidei habet? Majorem immotæ fidei, invictæque fortitudinis famam omnibus retro bellis in Cæsaris exercitu sibi comparabat Balthasar Marradius Eques Melitensis, qui hoc anno Pragæ obiit.

§. LXXXVIII.

Pacis negotiationes variis artibus elusæ.

Adam. Adami rel. Hist. Pac. Westph. pag. 20.

Habebantur hoc item anno variæ pacis consultationes, quarum tamen succes-

Sæc. XVII. A.C. 1639.

successum, dum Cæsar toto studio promovere sategit, alii variis artibus, obtentibusque præpedire adlaborabant: Nemo omnium quidem erat, qui tam barbaram humani cruoris effusionem, & Germaniæ devastationem se abominari, verbis non testaretur, belloque finem mox imponendum, se optare jactitaret: pauci vero, qui pro communi causa leve utilitatis privatæ dispendium subire, parati essent; alii res spesque suas ex turbido promovere intenti, pacis amorem verbis quidem ostentabant, totis tamen viribus bellum parabant: Galli præcipue Coloniam ad pacis negotiationem accedere renuunt, eoquod Cæsar Galliæ Fœderatis publicæ securitatis literas dare denegasset. Has concedit Cæsar Suecis Batavisque: petunt insuper proscriptis ejusmodi literas concedi, & ex earum repulsa culpam dilatæ pacificationis in Cæsarem conjiciunt: consentit etiam Cæsar, ut hisce petitæ darentur literæ: nihilominus queruntur Galli, in ipsis hisce literis varios deprehendi defectus, eas non ad omnes, sed duntaxat nondum reconciliatos extendi fœderatos, illas non recta a Cæsare, sed duntaxat a Legatis Cæsareis fuisse expeditas: Batavis, aliisque & præcipue Vinarienſi Duci, necnon Cassalensi Viduæ usitatos

Adlzr. Annal. Boic. l. 24. n. 2. Barre Hist. d' Allemagne t. 9. p. 713.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

tos denegari honorum titulos: nec his quoque satisfacere renuebat Cæsar: quin tamen Gallis Hamburgi congregatis novi deessent eludendæ pacis obtentus: querebantur de ipso Rustorffio Caroli Palatini Comitis Legato, quod Principi suo pares cum Europæ, ac præsertim Daniæ & Sueciæ regibus honores tribui peteret, & in literis ad Ludovicum XIII. Franciæ Regem datis, eundem omisso *Majestatis* titulo nonnisi *Regiam Dignitatem* appellarit, Principem vero *Serenitatem* vocari, suosque Oratores tecto capite ad alloquium admitti petierit. Insuper Galli & Batavi de Angliæ Rege minus contenti oblatam pacis negotiationem respuebant, illi Salvium Angliæ Legatum nonnisi amplis verbis ludificabant, hi vero neutrarum partium studium obtendebant: Sperabatur Casselensis Hassia in Cæsaris gratiam reditura, sed Amalia Guilielmi Landgravii Vidua Gallico ære corrupta Dorstenæ fœdus cum Gallis die vigesima secunda Augusti iniit: Agebatur etiam de Septemvirorum conventu, Norimbergæ celebrando, ast hunc quoque in annum sequentem differre oportuit. Tantopere igitur Gallo-Sueci ab jactato sinceræ pacis proposito aberant, ut ad novos belli apparatus, novaque contra Cæsarem

sarem fœdera nonnisi temporis indu- Sæc. XVII.
cias quærere viderentur, cum interea A. C. 1639.
Imperator pacis studiosissimus, non sine Cæsareæ suæ auctoritatis, fortunæque dispendio cuncta pacis obstacula removere adlaboraret. Hanc in rem Amaliæ Landgravii Viduæ administrationem Hassiæ, & Filii sui tutellam, quam Imperator Georgio Hasso-Darmstadiensi Landgravio concesserat, restituit, ne inde Galli, Anglique Hassos in Cæsarem concitandi obtentum haberent: *Dumont t. 6. part. 1. fol. 176.* Illa vero, quamvis cum Ferdinando Imperatore die vigesima quinta Julii Moguntiæ pacem iniisset, nihilominus ut Cæsarem a firmanda hac pace absterreret, omnibus Imperii Ordinibus plenam profitendæ sectæ libertatem concedi, ab eodem petiit, qua a religiosissimo Cæsare denegata, Cæsarem hostiliter invadendi obtentum sibi suppeditari gavisa, cum Gallis novum iniit fœdus, quo pollicebatur, quod septem peditum, & tria equitum millia ad bellum contra Cæsarem suppeditare, nec unquam inconsulto Galliarum Rege cum Imperatore, eique adhærentibus paciscì, nec liberum Religionis Catholicæ exercitium, necnon bonorum Ecclesiasticorum possessionem in omnibus ditionibus per Landgravium ab anno hujus sæculi decimo

Sæc. XVII. A. C. 1639.

cimo octavo occupatis, Ecclesiasticis concedere velit: Denique spondere jubebatur, se ad pacem per summum Pontificem conciliandam suos ablegaturam Deputatos: viciſſim vero Gallarum Rex Viduæ pecunias & arma pollicebatur: Verum Vidua acceptis hisce pecuniis pactorum executionem dextere eluserat. Interea vero Urbanus VIII. Papa nec Legationibus, nec monitis, literis, precibusque deerat, ut saltem Catholicos ad belli inducias permoveret, hi tamen obtendebant, ejusmodi inducias nonnisi ad restaurandas vires Gallis Suecisque profuturas, præcipue cum Galli publico fœderis articulo caviſſent, se ad solum Pontificis nutum *sine Suecorum consensu* ad pacificationem cum Catholicis ineundam nunquam descensuros.

§. LXXXIX.

Vinariensis Dux in Burgundiam irrumpens.

Bougeant Hist. Bellic. tom. 1. part. 1. l. 5. Jæger. Hist. Eccl. l. 9. c. 1.

Hæc dum Coloniæ & Hamburgi gerebantur, Bernardus Vinariensis Dux, capto nuper Brisacco in Burgundiæ Comitatum irrupit, rapidoque victoriarum cursu Pontarlinum, pluresque urbes expugnavit, incolis ubique nullo non feritatis, calamitatumque gene-

genere a feroci milite ſuo tot victoriis in omnem licentiam efferato excarnificatis, vexatisque. Ab eo temporis momento Dux haud obſcure oſtenderat, quod non tam Gallis Suecisque, quam gloriæ ſuæ augmento litare intentus, ex perdomitis ditionibus ſibi Principatum erigere meditaretur, ſique Burgundicum Comitatum Alſatiamque Briſacco, potentiſſimo Rheni propugnaculo, & Germaniæ clavi adnectere poſſet, relictis fœderatorum partibus in Cæſaris gratiam redire paratus eſſet. Inde vero irritabatur æmulatio Gallorum, qui pariter ſibi ſolis Briſaccum vendicare moliebantur, hanc urbem validius Gallico auro, quam Vinarienſis Ducis ingenio ac virtute expugnatam fuiſſe rati. Eapropter Guebriantius Comes Galliarum Regis juſſu magna præmiorum ſpe oblatisque cum Cardinalis Richelii Cognata nuptiis Ducem in Gallias invitabat, eo autem moras nectente, ut mentem ſuam circa Briſaci ceſſionem promeret, Comes illum importunius urgebat, cui tamen Vinarienſis hæc reſpondit: *qui a me armis parta repetit, honorem meum mihi eripit:* mox vero Pariſios Erlachium Helvetium decrevit, qui valetudinis, ac negotiorum cauſſam, abſentiæ ſuæ apud Regem prætexeret. Hic autem auro a Cardinale

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

nale Richelio corruptus, Brisaccum, si Dux e vivis excesserit, Gallis cedendum clam pollicitus est: Hanc tamen cessionem Duce adhuc vita superstite, fieri, plurimum Gallici Regis intererat, præcipue cum rumor esset, quod Dux Rohanæi Ducis viduam ducere vellet, proin depressas Hugonotarum res restauraturus timeretur: Placuit ergo Regi, Ducem, quem promissis haud poterat, subtractis pecuniarum subsidiis ad sua vota pertrahere: instat quidem nomine Reginæ Sueciæ Hugo Grotius Orator, petens, ut milites & pecuniæ ad bellum in Cæsareas ditiones inferendum Vinariensi suppeditarentur: Rex vero ad has preces surdus, magnam auri vim in Helvetios & Argentinenses profudit, ibidemque validum conduxit militem, ne Vinariensis suum exercitum augere posset. Fertur quoque, summum Pontificem Regi suasisse, ut Vinariensem ab Alsatiæ, Burgundiæ & Brisacci possessione arceret, ne Protestantium res tam in Galliis, quam in Imperio per hujus Ducis potentiam firmarentur.

§. XC.

Bernardus Vinariensis Dux mortuus.

Non-

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Nondum Vinarienſis Dux protendendi Dominatus ſpem abjecerat; vix enim Tharum urbem a Guebriantio Comite incaſſum obſideri compererat, cum illico admotis copiis ſuis, mœnibusque aſſidua verberatione dejectis obſeſſos ad deditionem compelleret, non ſine maxima Cæſaris conſternatione, qui hoſtem tam potentem ſuis ditionibus imminere veritus, miſſo ad Ducem Sigismundo Heuſnero, illum, incaſſum licet, ad ſuas partes pertrahere feſtinabat: Quoniam vero Vinarienſis palam Gallorum invidiam in caput ſuum arceſſere reformidaret, Cæſaris pollicitationibus cedere renuit, totaque pene Burgundia jamjam armis ſuis ſubacta, inde Rhenum repetere ſtatuit, in Bavariam irrupturus. Poſtquam vero Huningam die decima quinta Julii pervenerat, morbo correptus Neoburgum in Alſatia delatus eſt, ubi morbo indies ingraveſcente die decima octava ejusdem Menſis annos natus triginta quinque deceſſit, poſtquam teſtamenti tabulis bello parta ſuis Fratribus, iis vero ea occupare recuſantibus Ludovico XIII. Galliarum Regi, exercitus vero ſui curam quatuor ſupremis militiæ Tribunis reliquerat: Vulgatum illico eſt, illum veneno fuiſſe ſublatum, & Pufendorfius haud hæſitanter affirmat, Gallos toxi-

Barre hiſt. d'Allemagne l. c. Brachel Hiſt. temp. lib. 5. Lotich. rer. Germ. t. 2. l. 20. c. 4.

Pufendorff. Hiſt. de Sued. tom. 2. pag. 314.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

toxicatâ offâ Ducis mortem acceleraſſe: aſt hunc Scriptorem vel immodico in Gallos odio abreptum, vel vulgi rumore deceptum credimus; vix enim magni nominis Princeps inopino extra aciem moritur ſine veneni ſuſpicione, vulgusque amat inſignium Heroum morti prognoſticis præludere, quod tamen plerumque nonniſi ſuſpiciones temerarias, vel ridiculas ſuperſtitiones ſapit: utut autem res ſe habuerit, id omnino certum eſt, quod paucis ante Ducis obitum horis nigræ per totum corpus maculæ eruperint, (licet peſtis & veneni maculæ poſt mortem parum inter ſe diſcrepent) imo & Medici in exenterati hepate & pulmone quædam peſtilentiæ veſtigia apparuiſſe teſtati fuerint: Inſuper, ſi tamen Jægero fides, chirurgi manus, cum leviter a cultello eſſet perſtricta, quo Corpus demortui ſecabatur, ſtatim ita intumeſcebat, ut intra undecimum diem idem funeſta accidente gangræna extingueretur. Nec ipſe Dux decumbens de veneno dubitaverat, nec fœdum ſcelus, haud dubie a Gallis patratum, a paſtore Lutherano concionem funebrem habente diſſimulatum fuit. Venerant quoque Baſileam Literæ, tecta manu ſcriptæ, ſciſcitantes, num Vinarienſis mortuus eſſet, cum de morbo ipſius non-

nondum in illum locum, unde literæ scriptæ, perferri potuisset nuntius.„ Sæc. XVII. A.C. 1639.

His tamen Pufendorfius, ne Austriacæ Domus honori a Protestantibus vel unica occasione parceretur, hæc subjungit: *sed & apud CÆSAREOS pridem rumor ac spes fuerat, Ducem non diu victoriis suis supervicturum.* Nec magis moderatum est præfati Authoris epiphonema, dum ait: *Tam diu nempe grata erat fortitudo optimi Ducis Gallis, quamdiu commoda erat ac proficua; at vero ubi majus ex ejus morte lucrum sperari poterat, infami ad omnem posteritatem facinore e vivis, non ab hostibus, sed ab ingratissimis amicis sublatus est.* *Pufendorff. comm. de rel. Suec. lib. 11. §. 39.*

§. XCI.

Carolus Ludovicus Comes Palatinus a Gallis captus.

Post Vinarienſis obitum mox inter quatuor Tribunos, quibus Dux exercitus sui curam commisit, discordia & æmulatio gliscere cæperat: unde hi præter paucas urbes ad Rhenum interceptas tota æstate nullam majoris momenti rem gessere: præterea partarum ditionum exercitusque imperium sibi competere contendebant Galliæ Rex, necnon Carolus Ludovicus Friderici Palatini Filius. Hic quoque *Barre l. c. pag. 726 Masſen. Annal. Trevir. lib. 25. Nani Hist. Venet. t. 1. pag. 525. lib. 11.*

Sæc. XVII. A. C. 1639

ditiones suas recuperandi spe allectus, suos Oratores ad Vinarienses Tribunos cum eis de exercitus Præfectura acturos ablegavit: ipsus vero in Angliam ac inde in Germaniam profecturus per Franciam iter aggressus est: ast Molinas adventans, Richelii Cardinalis jussu ibidem detentus, ad arcem Vincennensem captus deducitur, prope cubiculum, in quo Casimirus Poloni Regis Filius pariter a Gallis nuper interceptus hæsit, inclusus. Hujus violentiæ caussa obtendebatur transgressio cujusdam edicti Regii, quo Principes exteri absque Regis venia Regnum pertransire vetarentur: cum autem ejusmodi lex antea nemini cognita esset, Daniæ Rex additis etiam belli minis Palatini libertatem apud Avoxium Franciæ Oratorem postulavit, quam hic quoque pollicebatur, dummodo Anglus arma Gallis, Suecisque jungere vellet: verum Dano sine conditione libertatem urgente, Sueciæ Regina per Hugonem Grotium hunc Principem liberari petiit, datis etiam die decima nona Decembris ad Ludovicum hisce literis: *Ad justam commiserationem haud immerito ducimur, quod indignationem aliquam Serenitatis Vestræ fortassis incurrerit Princeps, cujus beneficio & ope ad restitutionem in pristinum statum & libertatem, maxi-*

maxima cum fructus & affectus spe pro- Sæc. XVII.
moveri potuisset. Nobis sane & eo nomine A.C. 1639.
commendandus, quod socius nobis fœderis extitit in Germania, & inter ceteros Germaniæ Princeps sit, qui præcipuum locum & causam obtendit. Ac, quod ad præsens negotium spectat, in consultationibus ac consiliis ad Serenitatem Vestram plurimum respexit, veteris observantiæ memor, qua Prædecessores in illa Electorali domo Regno Galliæ promptissimis officiis addicti fuere. Quorum intuitu id beneficii in Reginam Viduam, & Principem Electorem, eoque totam istam domum conferat, quo detentus Princeps benigne, ac primo quoque tempore dimittatur.

Verum hæ Principum preces adeo non apud Gallos valuere, ut Palatinus asperius, quam bello capti, aliquamdiu haberetur, unico duntaxat famulo eidem concesso, omnique scribendi aut literas recipiendi facultate adempta: Ambo etiam Caroli Fratres Mauritius & Eduardus, qui tum Parisiis sub fide publica equitare, & arma tractare didicerant, intra parietes privatos sese continere jussi sunt. Interim Palatinæ Domus Fautores clanculum principio, mox valentius & pene cum clamosa seditione in Gallos invehebantur: „Nunc „tandem, inquiebant, sat luculenter „patet, hanc vim Palatino illatam fuisse

Sæc. XVII. A. C. 1639

„in Bavari Ducis gratiam, cui, ut primum Imperii Electoratum assererent, „omnes Catholici Principes conspirant: „non minus Francia, quam Domus Austriaca in Protestantium ruinam flagrat: „nunc tempus urget, ut tandem aperiamus oculos; nisi enim cuncti Principes Protestantes pro communi causa „insurgant, Cæsar, Hispaniæ, & Franciæ Reges, ceterique Principes Catholici a Papa animati, certæ ruinæ „nos involvent.„ Verum Richelius Cardinalis hosce rumores pari aspernabatur facilitate, qua Hispanorum querelas, quibus tanquam studiosissimus Protestantium Fautor contra Catholicos apud Papam postulabatur, flocci habere, jam assuetus erat. Tandem vero, postquam Vinarienses Tribuni auro Gallico deliniti ad partes Regis Franciæ, dicto eidem sacramento, transierant, proin Rex præter hasce copias Brisacum, Friburgum ceteraque Alsatiæ & Burgundiæ loca sibi vendicaverat, Palatinus Comes ex sua Vincennensi custodia Parisios ad Angliæ Legatum deducebatur, ea tamen lege, ne sine Regis venia Parisiis excederet, scriptoque fateretur, se nunquam invito Rege Vinarienses exercitus Præfecturam ambiisse: Adimpletis igitur hisce conditionibus Carolus Palatinus, post-

postquam Galli relictis eidem stipulis jam suas mesuissent segetes, Mense Julio anni sequentis, liber dimissus est, qui omni ope destitutus, dein ad Suecos contendit, quos tamen suarum magis rerum, quam alienarum studiosos experiri cogebatur: Galli autem Brisacco potiti, haud ultra promissorum, quæ Vinariensibus Tribunis fecerunt, memores erant, huncque exercitum, ne ullo unquam tempore Gallis Bavarisque formidandus esset, toto studio imminuere nitebantur. Sæc. XVII. A. C. 1638.

§. XCII.

Suecorum res in Imperio.

Interim Suecorum res in Imperio non sine magno rei Catholicæ dispendio majora adhuc ceperunt incrementa; Bannerius enim, postquam Saxoniæ Inferioris Ordines, ut neutri parti adhærerent, induxerat, Laueburgico Duce haud invito, Albin trajecit, indeque in Saxoniam & Thuringiam effusus, in ipsos Franconiæ fines irrupit. Tum vero Marchiam Brandeburgicam rapido victoriarum cursu emensus, Landspergam, Francofurtum, Berlinum, Brandeburgum, pluresque alias haud ignobiles urbes partim Præfectorum perfidia, partim vi, astu, ac deditione *Le Blanc. Hist. de Ravier. t. 4. Adlzr. Annal. Boic. tom. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1639.

intra tridui ſpatium ſubegit, cæſisque Cæſareis, captoque Saliſio eorum Ductore in Superiorem Saxoniam movit, ubi Halam, aliasque civitates & munimenta occupavit. Inconſtantis tamen fortunæ ludibrio exponebatur Bannerius apud Fribergam Saxoniæ urbem, a cujus obſidione non ſine magna ſuorum clade repellebatur: brevi tamen hanc ignominiam vindicabat, dum profligatis Marazini Cæſarei Ducis copiis in Sileſiam, Bohemiamque irrupit, totque victoriis ferox, victricem exercitum ad ipſa Pragæ mœnia admovit, miſſoque tibicine deditionem fieri poſtulavit: cum vero Schlickius Comes Urbis Gubernator cuncta ad validam defenſionem paraſſet, Bannerius de ſucceſſu deſperans, mutato obſidionis conſilio per univerſam Bohemiam populatione, cædibus & incendiis graſſabatur, funeſta ubique Suecicæ inhumanitatis monumenta relinquens: Ceterum, ne latius progrederentur, ſubinde Melchior Comes Hatzfeldius, objectis Cæſareis legionibus impedivit: Cæſar interim ſummi Pontificis opem implorabat, hic tamen Venetorum bellum cum Turcis obtendens, ſeſe excuſabat, hinc Ferdinandus alieni auxilii ſpe deſtitutus, omni qua potuit celeritate, triginta millium agmen contraxit,

traxit, ac Leopoldum Guilielmum Archiducem Fratrem ſuum, eoquod Gallius excuſata valetudine miſſionem petiiſſet, ſupremum militiæ Præfectum dixit, eumque cum recenti hoc milite in Bohemiam decrevit: Priusquam vero hyemis intemperies bellicis hujus anni expeditionibus finem imponeret, Stephanus Palfius cum parva Hungarorum manu incautius in Suecos irrumpens, ſeptem vulneribus confoſſus interficitur, cujus tamen corpus Hungari victoribus extrema vi extorſerunt. Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. XCIII.

Belli Continuatio inter Hiſpanos, & Gallos.

Interim haud ſegnius Hiſpano-Cæſarei in Belgio contra Gallos, Batavosque bellum proſequebantur; poſtquam enim Arauſionenſis Princeps Geldriam incaſſum obſederat, & Fuquerius Franciæ Marchio Theonisvillam cingere parabat, Octavius Piccolominæus die ſeptima Junii cum Cæſareo agmine tanto impetu in Gallos effundebatur, ut cæſis hoſtium ſex millibus, amiſſoque toto belli apparatu, & quod utraque jactura gravius erat, amiſſa gloriæ fama, ipſum Marchionem cum plurimis tribunis captum ab-

Calmet Hiſt. Univ. l. 151. num. 158. Ferrer. contin. Hiſt. Hiſp. cap. 2. tom. 12. Lotich. rer. Germ. t. 2. l. 10. c. 5.

Sæc. XVII. A.C. 1639.

duceret. Hanc cladem ulturus Melleræus Bellidux, Hesdinium munitissimam Atrebatensis Regionis urbem obsedit, ipsoque Galliarum Rege præsente illam die vigesima nona Junii non sine Hispanorum clade, deditione cepit: quapropter in eodem, quo amplior muri ruina patebat, loco a Rege in Franciæ Maresçallum nominatus est, ut illustrius esset ex victoriæ loco beneficium: sub idem ferme tempus cives Cariani, quam urbem Castillionæus ante biennium ceperat, seditione mota præsidiarios Gallos unaomnes trucidarunt, quam tamen urbem idem Castillionæus hoc anno armata vi recuperavit, Regisque jussu mœnia solo æquari præcepit: In Occitania vero Condæus Princeps Salsulas urbem expugnavit; Hispanis autem eandem rursus obsidentibus, tertio post Mense velocius hæc Urbs a Gallis perdita, quam capta, tantumque in eam præsidium immissum videbatur, ut statim inde ejiceretur.

§. XCIV.

Novum bellum in Sabaudia.

Nani Mem. Venet. lib. 11. pag. 515. Calmet l. c. Jæger. Hist. Eccl. lib 9. Ferrer. l. c. pag. 325.

Turbabat inter hæc Regionem Inalpinam domestica Sabaudiæ Principum dissensio, quæ paulopost in apertas belli flammas erupit; postquam enim

nim Franciſcus Hyacinthus defuncti Victoris Amadæi Sabaudiæ Ducis Filius fatis ceſſerat, Carolus Emanuel in Succeſſorem nominabatur, id ægerrime ferentibus Amadæi Fratribus, Mauritio Cardinale, & Thoma, quos Cæſar Caroli Tutores conſtituerat. Igitur Thomas Hiſpano milite firmatus, Taurinum urbem occupat; Cogitur Chriſtina Duciſſa Vidua unacum Filio ſuo in arcem profugere, a Gallis, Ductore Valleta Cardinale, ſtrenue defenſa: Paulopoſt Franciæ Regis juſſu Henricus Lotharingius Comes Harcurtius cum valido agmine in Sabaudiam movit, captisque pluribus oppidis & arcibus Thomam Principem a Claviſii expugnatione præpedivit, Leganeſium vero Gubernatorem Hiſpanum ad ſolvendam Caſalis obſidionem compulit: inde vero promotis caſtris Taurinum cinxit, hancque Metropolin anno ſequenti captam Viduæ, ejusque Filio Carolo Emanueli reſtituit: Ceterum ſummus Pontifex omnem movit lapidem, ut inter Sabaudos hoſce Principes priſtinam revocaret amicitiam; hancque in rem Mediolanum & Pedemontium ablegabat Antonium Feralium, ut ſaltem inducias inter belligerantes fieri procuraret, quæ quidem ad octo hebdomades fuerunt initæ, minus

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Sæc. XVII A. C. 1639

nus autem integra fide observatæ, belli flammas acrius sufflarunt.

§. XCV.

Variæ molestiæ summo Pontifici caussatæ.

Nani Hist. Venet. l. II. Vid. supra lib. Palat. vita Urb. VIII.

Compositis dissidiis anno priori inter Urbanum Papam, & Venetorum Rempublicam exortis, non modo Oratori Pontificio alloquii copia reddebatur, sed etiam Reipublicæ subditi, qui ad Episcopatus nominabantur, Apostolica desuper diplomata Roma recipere permissi sunt: Inde vero nova, levis tamen, orta est contentio, cum Senatus Venetus suos Prælatos nonnisi a Cardinalibus natione Venetis ad Episcopatus in Patrum Senatu proponi peteret: tandem vero res ita composita, ut unacum Cardinalibus Venetis Cardinales Palatini necnon summi Pontificis Frater ac Nepos hoc munere fungerentur. Paulopost Reipublicæ Orator imminens a Turcarum armis periculum gravibus oppido verbis Urbano Papæ exposuit, ejusque opem imploravit: nec irrito plane successu; quippe Pontifex nulla mora in suis terris non modo quatuor armatorum millia conscribi jussit, sed insuper Principes Catholicos ad pacem inclinaturus, suos Nun-

Nuntios quaquaverſum emiſit: Verum Urbani ſollicitudo aut omnino irrita, aut ſaltem minus accepta exſtitit, indignationis cauſſa & obtentu inde petito, quod dum Cæſar Reinaldum Eſtenſem Principem, Galliarum Rex vero Julium Mazarinum, & Hiſpaniæ Rex Perretum Abbatem ad Purpuram nominaſſent, Pontifex horum nominationem minus ratam habens, promotionem diſtuliſſet, cauſſatus, hos non eſſe indigenas, ſed exteros: hoc autem Pontificis reſponſo minime contenti Reges, primo preces, ac poſtea minas interpoſuere, ſuis inhibentes ſubditis, ne hi oblatam quoque Purpuram acceptarent, niſi inter illos ſupra nominati Præſules comprehenderentur. Præ ceteris vero Galli importunius urgebant promotionem Mazarini, eoquod hic, dum in Galliis Nuntium agebat, arctiſſima familiaritate Cardinali Richelio junctus, Gallorum res tanto ardore procuraſſet, ut ex Italo in Gallum transmigraſſe diceretur. Hanc Gallorum offenſionem ex dilata Mazarini Purpura plurimum auxerat inopinatus quidam eventus; cum enim Eſtræi Gallici Oratoris Oeconomus, eoquod familiarem ſuum armata vi lictoribus extorſiſſet, a Romano Senatu in exilium fuiſſet deportatus, Orator ſuam inde

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

inde auctoritatem læsam ratus, haud ultra Cardinales Romanos ad alloquium admisit, ac ipsemet Ludovicus Rex Scotum Papæ Nuntium Aulâ interdixit, tandem vero castigatis quibusdam justitiæ Ministris, Barberinus Cardinalis solita sua dexteritate funestiores hujus dissidii successus prævertit: Nihilominus exacerbatis jam semel animis Pontificem cavillandi multiplices non deerant obtentus, ac primo quidem Galli vitio vertebant Urbano, quod Antonio Barberino Nepoti suo Franciæ protectionem concedere renuisset; noluit enim Papa, ut Nepotes sui sese Gallicis aut Hispanis negotiis immiscerent. Altera dissensionis caussa erat, quod Papa ad Lotharingiæ beneficia, quamvis in concordatis non fuissent comprehensa, nominandi prærogativam Regi denegasset, denique, quod pro Valeta Cardinale Pedemontii, ubi Franciæ Marescallum agebat, mortuo exequias fieri prohibuisset: Præterea Richelius Cardinalis privatam in Pontificem indignationem conceperat, eoquod Sedis Apostolicæ per Franciam Legatus non fuisset nominatus, quam tamen legationem, ut rumor erat, ardenter exoptabat, ut pari potentia, sicut Regno, ita Ecclesiæ dominari potuisset: Hac autem repulsa tantopere erat exacerbatus

Abrege chron. de l'hist. Eccl. t. 3. p. 450.

batus Richelius, ut Concilium Natio- Sæc. XVII
nale celebrari meditaretur, in quo in A.C 1639.
Franciæ Patriarcham eligeretur, & Ecclesiæ Cathedrales potestatem Episcopos eligendi ante concordata competentem Regibus reddere compellerentur, necnon abolitis concordatis, Parlamenti decreto vetari curavit, ne coram Nuntio informatio fieret de moribus eorum, qui ad beneficia nominarentur: conabatur insuper Ordines Religiosos veteres sibi subjicere, & jam Cluniacensium, Cistercienſium & Præmonstratensium supremus Præses erat electus, reclamantibus licet Abbatibus, & Pontifice Bullam confirmationis denegante: quocirca Richelius ira commotus per Consilii Regii decretum prohibuit expeditiones Romanas, pecuniasque Romam mitti, petiitque annatas remitti aut saltem imminui. Pariter Castri-Roderici Marchio Hispaniæ Orator Barberinum Cardinalem Papæ Nepotem ab alloquio excludebat, eoquod hic idem Cardinalis, cum Ordinis S. Francisci Protector esset, quemdam Monachum Regi suo minus acceptum in Generalem vigore Apostolicarum literarum assumpsisset: quinimo eo tandem invaluit hujus Oratoris indignatio, ut in ipsa Sacra Christi nascentis nocte d'Oreficum Sansii Principem

pem

Sæc. XVII. A. C. 1639.

pem natione Neapolitanum Romæ prope Eccleſiam capi, vinctumque Neapolin abduci, & capie plecti jufferit, eoquod cum Gallis clandeſtina arces in Neapolitano Regno prodendi conſilia foviſſet, conſentientibus licet Barberinis, qui, ut ferebatur, Thadæo Barbarino diadema imponere moliebantur. Ceterum omnes hæ ſimultates præpediebant pacis negotiationem, qua tamen non modo Italiæ, ſed & Germaniæ cum maximo Rei Catholicæ emolumento tranquillitas reddi potuiſſet.

§. XCVI.

Propoſitiones ex Summa P. Stephani Baunii extractæ, atque a Facultate Pariſina damnatæ.

Argentre Collect. Jud. t. 3. p. 28.

Poſtquam Magiſter de Fleurij librum quemdam a P. Stephano Baunio Jeſuita vulgatum, cui titulus: *Summa peccatorum, quæ a cujuscunque conditionis hominibus committuntur, & quando ſint mortalia aut venialia?* Facultati examinandum propoſuerat: Eadem nominatis quatuor Doctoribus, pro more Authorem præfati libri prius de ſuis erroribus monendum cenſuit: Die autem prima Menſis Martii anno hujus ſæculi quadrageſimo primo Elias du Frene retulit, ſe præter hunc librum pariter aliud

aliud ejusdem Authoris opus, quod *Praxin beneficiorum* inscripsit, sedulo examinasse, atque in ea quamplurima, quæ potius occasionem peccandi, quam pœnitendi præferrent, annotasse: cum ipso autem Baunio se contulisse, eumque ingenue fuisse fassum, circa ea, quæ in materia usuræ scripsisset, se non scripturum fuisse, si nondum scripsisset, & quantum ad cætera, quia diversis ipse niteretur fundamentis, non posse contrarium sentire. Sæc. XVII. A C. 1639.

Percepta hac declaratione Facultas propositiones ex Baunii Summa ab ipsomet emendata, ac quinto jam typo recusa excerptas prælegi jussit: erant autem sequentes:

I. „Alterum Signum est odii erga „proximum, tristari de ejus bono, quod „quamvis teste S. Augustino, sit peccatum charitati contrarium, non est tamen mortale; bonum enim terrenum „adeo leve, exiguique momenti est respective ad cælestia, ut nullius sit considerationis coram Deo & Sanctis . . . „Nec etiam est mortale, si quis talia „habet desideria ex bono motivo.„

II. „Tertium Signum est, nolle ipsum „etiam in necessitate juvare, vel cum „ipso loqui, vel veniam dare, etsi suam „culpam agnoscat, & satisfaciat: cre-

Sæc. XVII. A. C. 1639.

„do tamen, quod talis ſecluſo ſcan„dalo non peccet mortaliter.„

III. „Stuprum non eſt, ſed fornica„tio, ſi Virgo voluntarie & ſponte pati„tur, nec tunc in conſcientia ſtuprator „eam dotare tenetur, etſi intervenerint „validiſſimæ preces & perſuaſiones, nec „illam ducere tenetur, quia nul„lam ei injuriam intulit.„

IV. „Uxor vel Filii in jus vocati, „ut quæ defuncto clam ſubtraxerint, „manifeſtent, in conſcientia non tenen„tur declarare, quia non ſunt juridice „interrogati: ne vero mentiantur, pru„dens Confeſſarius eis ſuadeat, ut in „mente aliud cogitent, juxta quod ſuam „reſponſionem & juramentum a Judice „impoſitum eludere, & ſuam innocen„tiam teſtari valeant.„

V. „An aliquis teneatur reparare „damna a tertio nobis inſtigantibus il„lata, v. g. rogat quis militem, ut ini„mici mei domum comburat? reſpon„deo, etſi miles non reſtituat, nec pe„tens tenetur reſtituere: non enim te„netur reſtituere, qui juſtitiam non vio„lavit, quæ non violatur ab eo, qui „favorem ab aliquo præſtari petit; il„lum enim hic præſtare, vel denegare „libere potuiſſet; ſi ergo hic non reſti„tuit, nec ad reſtitutionem adſtringi „poterit ille, ad cujus preces innocens „fuit damnificatus.

VI.

VI. „Ut Confeſſarii aliique decidere „valeant, quantum uſuræ liceat petere, „attendere debent ad Perſonas, ſum„mam mutuo datam, & ad periculum; „quo majus enim eſt periculum, ſum„ma major, & perſonæ minus ſolven„do pares, eo plus ab illis exigi licet.„ Sæc. XVII. A. C. 1639.

Præter haſce propoſitiones Sorbonæ Doctores ex Baunii libro adhuc alias ſeptem decerpſere, in quibus uſura tanquam licita venditatur: ſequentes inſuper aſſertiones notabant Sorbonici Doctores.

I. *Irreprehenſibilis eſt actio, ſi ea nitatur auctoritati unius hominis pii & docti, qui nec Deum nec proximum per eam offendi affirmat; talis enim reddit probabile id, quod dicit.*

II. *Non peccatur, niſi venialiter, ſi Perſona, cui detrahitur, de ſe vilis eſt.*

III. *Gregorius VIII. eximit ſubditos ab Obedientia ſui Domini, ſi hic eſt excommunicatus, nec hic ſine peccato poteſt exercere ſuum munus, nec publice pro bono populi facere aliquam functionem.*

IV. *Religioſi privilegiati poſſunt a caſibus ipſi Epiſcopo reſervatis in praxi abſolvere, nec etiam Cardinalium declarationes contrariæ ultra Montes obligant.*

V. *Epiſcopi &c. in materia criminis nequeunt Judicibus Laicis communicare depoſitiones in eorum manibus factas.*

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Omnes haſce propoſitiones Facultas Theologica Pariſienſis cenſuit ad inducendam morum licentiam & corruptionem eſſe natas, ſimulque contrarias Sacris literis, quarum ſingulis textus S. Scripturæ oppoſuit Facultas, cum vero ad Societatis preces Regiæ Curiæ Cancellarius prohibuiſſet, ne cenſura in Baunii librum evulgaretur, hinc Facultas Stephanum Tonnelierum S. Euſtachii Parochum, aliosque quatuor Sorbonæ Doctores deputabat, qui eidem Cancellario exhiberent indicem Authorum, quibus abuſus eſſet Baunius, ut ſuam doctrinam ſtabiliret: poſtea Facultas Richelium Cardinalem de facta hac Cancellarii prohibitione certiorem reddidit, transmiſſa ad eundem hac epiſtola.

„Sapiens ille filius Sirach ſcite & „eleganter ſcripſit; hoc paſſionem ma„gnam eſſe omnibus hominibus, & ju„gum grave ſuper filios Adam; jugum „iſtud, ſi placet, in præſenti propoſito „intelligere de prolixa novorum libro„rum ſarcina, quibus obruimur, quo„rum volumina quaſi falces volantes „demetunt pulchritudinem agri eccle„ſiaſtici, & vaſtant decorem Carmeli. „Equidem verius ſpinæ ſunt, tribuli „ſunt, quos maledicta in opere noſtro „terra germinat, & quibus eruncandis „infu-

„insudat quotidie Facultas: at tu, Sæc. XVII.
„Eminentissime Cardinalis facies, si A. C. 1639.
„placet, idem, quod Columna illa ignis
„Hebræorum, quæ & angues & spinas
„deserti enecabat & comburebat. Sine
„istis enim librorum spinis Christianus
„mundus fuit, eritque. Quasi unus ex
„istis est Liber F. Stephani Baunii, cu-
„jus errata, & annotata sensa, & falso
„citata verba Autorum bonorum, qui-
„bus imponit, & quos transvertit, pla-
„ceat audire & accipere a Lescotio ho-
„mine fideliter tuo, ut censura nostra
„in comitiis ordinariis jamdiu concepta
„veniat ad partum, qui certe toti Ec-
„clesiæ Dei tam auspicatus erit, quam
„a bonis, & doctis omnibus pridem
„competitus & desideratus: Facultatem
„obligaverit longissime, & ipsa preces
„suas ad Deum pro Rege nostro Chri-
„stianissimo, & pro Sacri capitis tui
„conservatione incitatius & ardentius
„profundet.„

Habita hujus Epistolæ notitia Cancellarius Tonneliero Parocho insinuabat, se nolle impedire, ne Facultas ferat judicium de Doctrina dicti F. Stephani, petiisse tamen breve excerptum præcipuorum erratorum, super quo posset ad Regem christianissimum, & ad Eminentissimum D. Cardinalem Ducem rescribere, antequam negotium

Sæc. XVII. A. C. 1639.

concluderetur a Facultate circa evulgationem cenſuræ.

Annuit Facultas Cancellarii voto, paulopoſt tamen quosdam ex iis, qui hunc librum examinabant, ad Richelium Cardinalem decernebat, qui eidem præcipua errorum capita, necnon Scripturæ S. loca, quibus Author abuſus eſſet, exhibuerunt: Nondum deſuper Facultas reſponſum tulerat, eo quod Richelius Pariſiis diſcedere coactus fuiſſet: hujus abſentia freti Societatis fautores libellum ſuppoſititio quodam nomine ediderunt, in quo multis contumeliis Magiſtrum Franciſcum Hallierum infectati, ipſimet Facultati Pariſinæ impoſuerunt, quaſi ipſa librum Baunii approbaſſet, cum tamen eadem illum ſuperiori anno cenſuris notarit, quas etiam evulgaſſet, niſi a Franciæ Cancellario ſuperſedere juſſa fuiſſet, donec Richelius Cardinalis Pariſios rediret: poſtea tamen Sorbona præfatas propoſitiones damnavit, & Sacra Inquiſitio Romana non modo hujus Jeſuitæ Summam, ſed etiam ejusdem Theologiam moralem & Praxin juris Canonici die vigeſima ſexta Decembris anni ſequentis Romæ ad Indicem librorum prohibitorum rejecit.

§. XCVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1639.

§. XCVII.

Continuata Scotorum rebellio contra Carolum I. Regem ſuum.

Interim horrenda Seditio, quam Presbyteriani in Scotia ſub conſueto Religionis & libertatis tuendæ obtentu concitaverant, indies majora cepit incrementa; hi enim palam exuto Regis ſui obſequio, quod cunctas a Catholica fide defectiones, novasque ſectas conſequi ſemper conſuevit, non modo legitimo Regi ſuo leges præſcribere, ſed eundem quoque internecinis armis debellare meditabantur: Nil ergo Regi reliquum erat, niſi ut contracto in Anglia exercitu rebelles Scotos ad obſequium compelleret: nec id tamen exiguæ molis opus erat; in ipſo enim Angliæ Regno Regiis & Epiſcopalibus numero prævalebant Puritani, qui a Jacobo & Carolo regibus in Scotiæ Eccleſiam novitates fuiſſe introductas cauſſati, Scotorum ſeditioni patrocinabantur: cum autem Rex in cauſſæ æquitate totam reponeret fiduciam, nequidem convocato Angliæ Senatu, quem ſibi minus propenſum noverat, pro veteri more Nobiles ad diem primam Aprilis Eboracum convenire jubet, indictoque militum delectu, eisdem exponit,

Rapin Thoiras Hiſt. d' Angl. l. 19. pag. 609. Clarendon t. 1. p. 150.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

ponit, quod Angliæ Regnum adversus Scotos, qui illud infestare molirentur, defendere cogeretur. Præterea Episcopos, totumque Angliæ Clerum ad largius solito conferenda pecuniarum subsidia hortatur, imo ipsam etiam Reginam Conjugem suam urget, ut Catholicos proposita Regni necessitate ad ferendam opem incitaret, Haud segniores in Regis excidium erant Puritani Calviniſtæ, qui ductore Alexandro Leslæo, Viro militari experientia longe clariſſimo, validum contraxere exercitum, expulsoque Regis præsidio Edinum primariam Scotiæ urbem suo milite firmarunt. Jamjam die decima Januarii Hamiltonus Comes re infecta e Scotia in Angliam reversus erat, cum Carolus Rex eidem cum classe sexdecim navigiis valida Edinum versus, vela facere præciperet; interim vero Maria Medicæa Franciæ Regina ob simultates inter illam & Ludovicum Filium suum exortas ex Flandria in Hollandiam, inde vero in Angliam appulsa est, Henricam Filiam suam Caroli Regis Conjugem invisura: Hujus tamen præsentia Anglos adeo non terrebat, ut etiam Puritani non modo Londini, sed in omnibus ceteris Provinciis classicum canerent, unoque ferme momento omnes male affecti Puritanorum si-

gna

gna contra Regem ſuum maximo numero ſequerentur. Viciſſim vero Rex exercitum viginti ferme armatorum millibus validum die decima nona Maij recenſuit, & Hollandum Comitem cum tribus peditum millibus, & mille Equitibus in Scotiam Kelſum verſus irrumpere juſſit, cui tamen Leslæus cum validiore agmine ſeſe oppoſuit, ac Kelſum urbem ſuo milite firmavit. Jamjam in conſpectu utraque acies erat, cum Dumferlingus Scotorum nomine ad Regis caſtra delatus, Deputatos, qui de pace agerent, nominari peteret. Annuit Rex, Puritani vero habito conventu die undecima Junii has conditiones præſcripſerunt. I. Nuperæ Glaſcuanæ Synodi acta a Senatu confirmentur II. omnia negotia Eccleſiaſtica a Synodis Nationalibus decidantur. III. Rex terra marique copias ſuas revocet, & occupata reſtituat, horumque motuum Authores puniat. IV. Scotis Religio, eorumque libertates juxta Regni leges Eccleſiaſticas & Politicas ſalvæ ſerventur: conceſſis hiſce articulis Puritani ſe ad Regis obſequium reverſuros declarabant. Rex vero ad eorum poſtulata reſpondit. ſe ad diem ſextam Auguſti Synodum generalem Edini celebraturum, moxque milites ſuos dimiſſurum, quamprimum ipſi

Sæc. XVII. A.C. 1639.

Sæc. XVII. A. C. 1639

arma posituri essent: tandem die decima septima Junii inter Regios & Puritanos convenit, ut copiis utrinque dimissis, redditisque cunctis, quæ a die prima Novembris fuere mutuo ablata, pax sincera, firmaque esset.

§. XCVIII.

Comitiorum Generalium Edini celebratorum acta.

Turfel. epit. Hist. p. 290. Salmon. l. c. Nalson t. 1. pag. 239.

Minus diuturna hæc pax cunctis videbatur, partim, quod mutuæ indignationis causſæ nondum fuissent sublatæ, partim quod Puritani, sicut antea Hamiltonum propositis simulatæ concordiæ pactis ab Edinensi portu arcebant, ita nunc Regem quoque ficta obsequii facilitate fallere, pacisque fiducia sopitum armis & ope destituere satagerent: propterea etiam Puritani suos milites quidem a signis dimisere, ea tamen usi sunt cautela, ut illos in omnem eventum unico nutu rursus conjungere possent: Inde vero Rex probe cognoverat, quod rebellium subditorum pervicaciam frangere haud posset, nisi eorum postulatis etiam cum Regiæ authoritatis dispendio plene cederet: Hinc Synodum seu Generalem conventum Edini Mense Augusto celebrari permisit, in quo de ipsis dissensionum

Sæc. XVII. A.C. 1639.

sionum cauſſis ageretur: Eodem quoque Menſe Londinum advenerat Comes Carolus Roſſetus Ferrarienſis, miſſus ab Urbano VIII. Papa Nuntius Apoſtolicus ad Henricam Angliæ Reginam Catholicam, quam unacum Rege, totaque Curia ſibi conciliavit, & eximio Zelo cum pari doctrina & prudentia conjuncto, verbis & ſcriptis inſtitit, ut Carolus Rex Catholicam fidem profiteretur, pollicitus eidem a ſummo Pontifice auxilia ſat valida contra Puritanos ſeu Calviniſtas rebelles: Verum ob perfidæ hujus gentis inſidias, acerbioris tumultus metum, necnon Sectariorum tumultuantium furorem hic Nuntius primo deliteſcere, tum clam ex Regno profugere coactus eſt. Nec feliciore ſucceſſu Edini generalia habebantur comitia; quamvis enim Traquerius Comes a Rege Deputatus dextre præpedieret, ne rebelles Glaſcuanæ Synodi, quam invito Rege proſequebantur, acta confirmari peterent, nihilominus prævalente eorum numero Rex conſentire cogebatur, ut Liturgia, Canones, conſecratio, Ordinatio, & Magiſtratus ad formam Inquiſitionis Hiſpanæ introductus, necnon quinque Perthenſes articuli, Epiſcopale Regimen, & Synodi ab anno hujus ſæculi ſexto usque ad annum decimum octavum celebratæ abole-

Sæc. XVII A.C. 1639.

abolerentur. Nec his contenti, ut Regi majorem adhuc cauſſarent moleſtiam, inſuper omnes jurato compulerunt, ut cõventioni, in qua *quatenus quinque Perthenſium articulorum, Epiſcopalis Reginminis abolitio, & Eccleſiaſticorum a civilibus muniis excluſio contineretur*, ſubſcriberent. Eo etiam temeritatis prolapſi ſunt hi rebelles, ut a Rege peterent, quatenus cuncta in his comitiis contra Regis voluntatem decreta in proximo Parlamento confirmari juberet; ipſi vero inconſulto Rege ad Menſem Julium ſequentis anni novam Synodum generalem Aberdoniæ celebrandam indixere.

Diſſolutis hiſce comitiis, mox die decima Septembris Senatus, ſeu Parlamentum habebatur, quod tamen, cum ex Viris regiæ auctoritati infenſis conſtaret, nil intentatum, inauſumque reliquit, ut Regis conſilia penitus everteret, & pro rebellium cauſſa diſertius quam unquam, conductitia abs dubio facundia, peroraret: Invaluerat in Scotia lex trecentorum omnino annorum uſu firmata, vi cujus quadraginta Viri, atque inter eos octo Eccleſiaſtici ante primam Parlamenti Seſſionem eligerentur: cum vero hujus Parlamenti Senatores, Epiſcopalem Ordinem penitus abolere, fixum decretumque

Sæc. XVII. A. C. 1639.

tumque haberent, hinc veterem hunc eligendi modum præprimis excluſis omnibus Epiſcopis, immutarunt, hac ratione Regis conſilium eluſuri, qui quatuordecim Præcones vel Abbates Epiſcopis ſubrogandos nominare intenderat: Cedere tamen cogebatur Rex, in cujus odium inſuper decrevere, ut deinceps nullus alienigena, nequidem natione Anglus ſine Parlamenti conſenſu Gubernator, Judex &c. a Rege nominari poſſet: cum ergo Carolus Rex ſuam auctoritatem hiſce decretis graviter lædi cerneret, ſuo Deputato negotium dedit, ut hoc Parlamentum diſſolveret, hos vero, qui illud contra Regis mandatum prorogare, auſi forent, perduellionis reos eſſe declararet. Enimvero rebelles conventui ſuo finem impoſuere, non tam obſequendi ſtudio, quam Regi petulantius declarandi animo, quod ejus Deputatus Comes Traquerius „absque ipſiusmet „Parlamenti conſenſu, illud diſſolvendi „facultatem nullam haberet; proin „ſi funeſti exin tumultus & mala „ſint oritura, ea nequaquam Parlamento imputanda, utpote quod pro Ec„cleſiæ & Regni conſervatione remedia „magis opportuna contra impendentes „calamitates, & turbas opponere co„geretur.„ Percepta hac declaratione Rex

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Rex Traquerium e Scotia Londinum evocabat, ut totam rei geſtæ ſeriem coram ſanctiore Regis Senatu referret, ubi comperta rebellium pertinacia Senatores Aulici Scotos armorum vi ad obſequium eſſe compellendos, unanimi ſuffragio decrevere: Maluit tamen Rex populi ſui obſequium tentata clementiæ via, propriæque ſuæ authoritatis imminutione prius emere, quam ex Regiæ Majeſtatis Zelo ſubditorum ſanguinem profundere: eapropter, priusquam ad arma deſcenderet, Edinenſibus conceſſit, ut Londinum Deputatos ablegarent, qui poſt initam pacificationem attentata purgarent. Advenere quatuor ab Edinenſibus ablegati, qui de excuſanda temeritate adeo non erant ſolliciti, ut potius aucta pervicacia, cuncta in comitiis decreta a Parlamento rata haberi, ſibique Tarquerii relationem coram Rege factam ſcriptotenus tradi, ſeque coram quibusdam tam Angliæ quam Scotiæ Senatoribus audiri poſtularent. Igitur ad eorum vota Rex ex Anglico Senatu quosdam nominabat, coram quibus Scoti ſuas rationes exponerent. Verum hi regios hoſce Senatores rejiciunt, cauſſati, ſe ad Regem, non vero ad Angliæ Senatum, cui nulla in Scotos jurisdictio competeret, miſſos eſſe. Ut ergo Rex omnem

omnem cavillandi occasionem removeret, ipsus eorum vindicias, quas Lowdonus fusiore oratione exposuerat, excepit; cum vero hi insuper cum Rege suo paciſci præsumerent, Angliæ Senatus eisdem reposuit, illos duntaxat eo fine fuisse missos, ut de suis ausibus rationem redderent, non vero ut cum Rege suo paciſcerentur. Non deerant tamen ex ipsis Anglis, qui Scotiæ Deputatos ad novum bellum Regi inferendum incitarent: quinimo iidemmet hi Deputati Franciæ Regem datis literis, ut Scotiam invaderet, sollicitabant: quocirca Carolus horum perfidiam edoctus, illos perduellionis convicit, ac decima tertia Septembris die Lowdonum, & Clobvillam Londinensi Turri includi jussit: die autem decima quinta Decembris Laudo Archiepiscopo, & Wentwortho Nobili instigantibus, novum in Anglia Parlamentum convocavit.

§. XCIX.

Judicialis Inquisitio in scripta Joannis de Verger San-Cyrani Abbatis Parisiis facta.

Postquam San-Cyranus Abbas de perniciosis doctrinis suspectus ex Regis mandato Vincennensi arci anno priori

Abbelly. vita S. Vincent.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

priori die decima quinta Maij fuerat incluſus, mox intercepta ſunt omnia illius ſcripta, & epiſtolæ, quas inter præter plurimas ad Arnaldum Andillyum, & Janſenium, & ab his ad illum datas, deprehenſæ quoque fuerunt literæ ad S. Vincentium a Paulo Pariſiis die vigeſima Novembris ante biennium exaratæ, in quibus ſanctum hunc Congregationis Miſſionis Fundatorem de habitis inter ſe colloquiis interpellans, de ſua tam huic ſancto, quam ejus Congregationi obſequia præſtandi voluntate, de ſuis opinionibus plurium Præſulum ſuffragio approbatis, necnon de quibusdam præfatæ Congregationis exercitiis Deo minus gratis, necnon de pluribus aliis mentionem inſerſit, ob quæ Vincentii teſtimonium ad San-Cyranum erroris convincendum expetebatur; habebatur enim de ejus doctrina quæſtio, productisque teſtibus, ac quæſtionibus ex juris forma habitis Prierenſis Abbas, Tardifus alias intima familiaritate San-Cyrano junctus, necnon Antonius Vigerius Patrum de doctrina Chriſtiana Præſes, & Pormorantus Abbas, Victonius Regis Sacellanus, & Cauletus Apamienſis Epiſcopus, pluresque alii de periculoſa San-cyrani doctrina ore & calamo propugnata teſtimonium reddidere. Præterea

terea Episcopus Lingonienſis, & S. Vincentius a Paulo, necnon Pater Gondrenus in teſtes etiam vocabantur, qui tamen tribunali ac Judici profano ſeſe ſiſtere renuentes, ſua chirographa, atque in iis exarata teſtimonia Richelio Cardinali tradidere. Sæc. XVII. A. C. 1639.

Quod vero S. Vincentius in jus vocatus fuiſſet, non modo præfata San-Cyrani epiſtola ad eum data, ſed maxime nota familiaritas, quam ei cum illo interceſſiſſe, compertum erat, judicibus anſam præbuit; poſtquam enim San-Cyranus Lovanio Pariſios venerat, Vincentius hunc Virum, cujus eruditio, ac probitas exiſtimata tum in ore & ſermone omnium verſabatur, ſibi ſuæque novellæ Congregationi oppido proficuum fore autumabat, quocirca ſimulata ejus auſteritate, & Eccleſiæ reformandæ Zelo deceptus, eundem frequentius inviſit, & quamvis ſemper ipſius perſonam coluiſſet, errores tamen, quos poſtea detexerat, acriter infectatus eſt: eodem tamen tempore, quo hic ſanctus velut Apis argumentoſa ſalubrium conſiliorum mel ſuxerat, San-Cyranus frequentioris colloquii ope, ſenſim errorum venena, inſperſis ſanctiſſimis quibusque doctrinis occultata inſtillare, atque in ejus Congregationem propagare tam dextre adlaborabat, ut

Sæc. XVII. A. C. 1639.

intellectus minus perſpicax, & voluntas in bono minus obfirmata, ac erat Vincentii, ægre latens toxicon detexiſſet: Cum ergo Vincentio Abbatis hujus opiniones indies magis ſuſpectæ, ac noxiæ viderentur, quadam die ſtudioſe de quodam Calvini errore ſermonem cum illo habuit, mox vero attonitus hæſit ad temerarias voces, quibus Abbas adverſas partes amplexus, hujus Hæreſiarchæ errorem tuebatur: Cumque opponeret Vincentius, hanc Calvini Doctrinam ab Eccleſia damnatam eſſe; ille contra reſpondit, Calvinum non adeo malam cauſſam ſibi tuendam ſumpſiſſe, at male ſuſtinuiſſe: poſtmodum hæc verba ſubjunxit: *bene ſenſit, male locutus eſt.*

In alio congreſſu, cum San-Cyranus incaluiſſet diſputando, & ſumma vehementia Doctrinam defenderet a Concilio Tridentino inter falſas & hæreticas relatam, Vincentius tum maxime ratus, ſe charitatis lege teneri, ut hominem redargueret, *mi Domine,* ajebat, *nimia tua opinandi libido eſt, qua extra orbitam raperis. Quid? petisne, ut Doctori privato erroribus obnoxio, qualis tu es, plus fidei, & authoritatis tribuam, quam Eccleſiæ, quæ Veritatis Columna eſt? Iſta me docet hoc, tu defendis, quod illi eſt contrarium. Quæſo mi Domine, quo*

patto

pacto audes tuum unius judicium præferre judicio tot præstantissimorum Virorum, ac Præsulum in Concilio Tridentino congregatorum, qui rem hanc communi voce, & sensu definierunt? ne verbum mihi amplius de hoc Concilio, reposuit Abbas: *erat Concilium Papæ, & Scholasticorum, in quo omnia factionibus, coitionibus, & suffragiorum prensationibus agebantur.* Sub aliud tempus Vincentius, cum in templo B. Virginis ad aram feciſſet, ad eundem Abbatem acceſſerat inviſendi gratia: reperit tamen eum ſuo incluſum cubiculo, ex quo aliquanto poſt tempore prodeuntem Vincentius ſubridens, uſitata ſua ſuavitate, & comitate in hæc verba alloquitur: *fatere Domine; nunquid in Commentarios interea retuliſti pium aliquem animi ſenſum, quem tibi in oratione matutina ſuggeſſit Deus?* Ad quod Abbas: *ingenue confiteor tibi, magna mihi lumina largitum eſſe Deum, & adhuc largiri: is docuit me, nullam amplius in terris exiſtere Eccleſiam;* & cum videret Vincentium ex hoc Sermone ſubito ſtupore defixum, *nulla*, repetiit, *nulla amplius in terris exiſtit Eccleſia: Authore Deo didici, plura, quam quinque aut ſex ſæcula jam fluxiſſe: ex quo illa collapſa, & inter ruinas ſuas ſepulta eſt. Antehac Eccleſia ingentis fluvii ſpeciem gerebat, qui ab ipſo fonte arceſſitus puris,*

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

& limpidis aquis fluebat: at modo id, quod nobis videtur Ecclesia esse, nonnisi limus, & cœnum est. Alveus tam nobilis fluvii idem etiamnum est, sed non sunt eædem aquæ.

Quid? excepit Vincentius, *majorem tu fidem habes privatis tuis opinionibus, quam verbis Jesu Christi, cujus certissimum illud effatum ac promissum est, ædificaturum se Ecclesiam suam supra petram, nec unquam portas inferi adversus illam prævalituras esse? Ecclesia est ipsius sponsa: non illam repudiabit unquam; Spiritus Sanctus, eidem semper adest, & errare non sinit.* At Abbas, *verum quidem est,* subjecit, *Jesum Christum Ecclesiam suam ædificasse supra petram, sed est tempus ædificandi, & est tempus destruendi. Erat illa Christi sponsa; sed modo prostituta est, & adultera: propterea eam Christus respuit, & abjecit, vultque, ut ei substituatur alia, quæ integram sibi fidem præstet.* Ad hæc cum reponeret Vincentius, nimium sane Abbatem recedere a cultu & observantia, quam deberet veritati; illud quoque addidit, *oporteret omnino, ut penitus ingenio suo diffideret, neque de his rebus proprio spiritui, qui tam perversis opinionibus imbutus esset, unquam acquiesceret.* Demum post aliquot concertationes a se invicem discessere. Hæc referunt Molinistæ.

Ab eo temporis momento Vincentius cum San-Cyrano caute admodum, &po-

& potius miſerationis affectu, quam indignationis impetu accenſus agebat; ſuum tamen amicum in novæ hæreſis abyſſum præcipitem ruere, veritus, non modo veteris amicitiæ jure, ſed Chriſtianæ charitatis lege adactus, ultimum remedium opponere ſtatuit, eundem gravibus oppido verbis hortatus, ut ſuum Judicium Eccleſiæ ſubmitteret, Sacri Concilii Tridentini decretis obſequeretur, erroneasque opiniones, quas propugnare videretur, ex animo damnaret; illas vero Eccleſiæ doctrinis recta adverſari, invicte demonſtratum ibat Vincentius. Ægerrime hæc monita ferebat San-Cyranus, deſuper in præfata epiſtola de Vincentio queſtus, quod quatuor ejusmodi admonitionibus quintam addere haud contentus, vexationes contra ſe motas augere, atque in ſui ruinam ceteris ſeſe jungere voluerit. Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. C.

S. Vincentii teſtimonium in cauſſa Abbatis San-Cyrani.

Die trigeſima prima Martii Vincentius coram Leſcoto Theologiæ Doctore, ac poſtea Carnutenſi Epiſcopo Richelii Cardinalis Deputato ex mandato Joannis Franciſci Gondii Pariſien-

Sæc. XVII. A. C. 1639.

sis Episcopi comparuit, ac præstito de veritate dicenda juramento ad quæstiones sibi propositas circa San-Cyrani Abbatis opiniones, de quibus fuerat accusatus, hæc respondit.

I. „Ego Vincentius a Paulo, Con„gregationis Sacerdotum Missionis Su„perior circiter quinquaginta annos na„tus fateor, quod epistola mihi a Le„scoto exhibita, non alia sit, quam „quæ a San-Cyrano ad me die vigesi„ma Novembris anno Christi millesimo „sexcentesimo trigesimo septimo Pari„siis data est. Fateor quoque, San-Cy„ranum mihi per quindecim circiter an„nos cognitum fuisse, hocque tempore „me sæpius familiariter eidem colloqu„tum, illumque tanquam Virum in „paucis probum coluisse, exeunte au„tem anno præfato, me in Mense Octobri „ad ipsius ædes accessisse, eundemque „de rumore contra eum sparso ob quas„dam opiniones, & praxes, Ecclesiæ in„stitutis adversas a se propugnatas ad„monuisse, de numero autem harum „opinionum haud ultra memoriam ha„beo, præter alias tamen infra scriptas „recordor, ipsum dixisse, *quod aliquibus „Personis per tres aut quatuor Menses pa„nitentiam injungat, priusquam illis abso„lutionem impertiatur.* Hoc monitum „meum sat pacate excepit, sui tamen „re-

„responsi desuper dati exactam haud Sæc. XVII.
„ultra memoriam habeo: Hæc duntaxat A. C. 1639.
„inter San-Cyranum & me, nullo alio
„præsente, gesta sunt.„

II. „Mihi videtur, Abbatem, Oli-
„verium, Cauletum, & Prierensem
„Abbates ad me dixisse, quod San-
„Cyranus præfatam doctrinam teneat,
„præter plura alia, quorum amplius
„non recordor, Cauletum quoque mihi
„dixisse, quod cum San-Cyrano collo-
„cutus, ipsum absonis quibusdam opi-
„nionibus infectum crediderit, dumque
„a me peteret, utrum consultum judi-
„cem, si se eidem instituendum trade-
„ret, respondi Cauleto, quod ob præ-
„fatas opiniones, quibus offensus fuis-
„set, sese ejusdem directioni nequaquam
„committeret, nescio autem, an ad-
„diderim, quod nequidem ejus fuere-
„tur commercio: pariter ignoro, quo
„tempore, aut per quem præfatam epi-
„stolam receperim.„

III. „Nunquam San-Cyranus mihi
„aperuit, quid ipsi in nostra Congre-
„gatione displicuerit, aut quosnam de-
„fectus, prout in prædicta sua epistola
„insinuat, deprehenderit.„

IV. „Haud recordor, me unquam
„nostræ Congregationis Sacerdotibus
„inhibuisse, ne cum San-Cyrano ver-
„sarentur.„

Sæc. XVII. A.C. 1639.

V. „Neſcio, quorſum ea ſpectent in „ejus epiſtola; dum noſtræ Congrega„tionis initia, eoquod ſit in eo loco, „ubi nunc eſt, ſtabilita, reprobet, nec „etiam intelligo illam contradictionem „publicam, quam contra nos excita„tam, eamque in cauſſa fuiſſe ſcribit, „quod mentem ſuam merito mutaverit „ille, cui noſtram fundationem in ac„ceptis referre tenemur: niſi forte lo„quatur de lite, quam Monachis ad „S. Victorem intentavimus, in qua lite „San-Cyranus nobis adſtitit. Nec e„tiam ſcio, qualis fuerit illa vexatio, „ſibi intentata, & in qua ſe a me dere„lictum ſcribit, nec qualis fuerit iſte „motus, vel triplex cabala contra „ipſum facta.„

VI. „Pariter mihi incognitum eſt il„lud beneficium, quod noſtræ Congre„gationi impendere voluiſſet, niſi per „me fuiſſet præpeditus, niſi forte per „illud intelligat, quod ego ſuæ ſenten„tiæ circa noſtram Congregationem ac„quieſcere noluerim: Jam autem nul„lum conſilium mihi ſuggeſſit circa „Congregationis directionem.„

VII. „A die, quo San-Cyranus Pa„riſios reverſus eſt, unica vice illum „in ædibus ſuis inviſi, ubi de rebus in „ſua epiſtola contentis nihil collocuti „ſumus, niſi quod eidem grates repen„derim,

„derim, eoquod ſeſe exonerarit erga „me, intellexi autem, quod in præfata „epiſtola indignationem ſuam contra „me depoſuerit: nec memini, quod cui„piam dixerim, me hanc epiſtolam re„cepiſſe, vel illam oſtendiſſe, niſi Domi„no Dozenato.„ Sæc. XVII. A.C. 1639.

VIII. „Ideo eam aſſervavi, ut oſten„dere valeam, quod San-Cyrani opi„nioni, nec ceteris, de quibus poſtula„tur, adhæream, ſi forte in eum fie„ret inquiſitio, quamprimum vero, aut „biduò poſt, poſtquam Lobardemon„tius ex Cardinalis mandato me de hac „epiſtola interrogavit, mox illam ad „eundem Cardinalem attuli: falſum ta„men eſt, quod Barcoſus, aut Singli„nus ad me venerint, ſupplicatum, ne „contra San-Cyranum quid ſiniſtri „deponerem.„

IX. „Nunquam San-Cyranum ap„pellavi Magiſtrum meum: neſcio au„tem, cur prædicta epiſtola non fuerit „ſigillo clauſa, recordor tamen, quod „illa chartæ ſigillatæ fuerit incluſa, nec „tamen ulla alia epiſtola eidem com„pacta.„

„Triduo abhinc a Domino Tardifo „percepi, hujus epiſtolæ exemplum „inter San-Cyrani ſcripta poſt ejus „captivitatem intercepta, fuiſſe reper„tum, atque ab Antiſtite Monialium

Sæc. XVII. A. C. 1639.

„Pictavienſium de Viſitatione B. V. „exaratum, &, ni fallor, idem Tardi„tus dixit, ipſam epiſtolam mihi per „præfatam Sanctimonialem fuiſſe trans„miſſam, ſed de hoc mihi nihil conſtat„.

X. „Ab eadem vero Moniali nullam „aliam recepi epiſtolam circa San-Cy„rani opiniones & praxin vel alias ejus„modi materias, recepi tamen circiter „ante quatuor annos unam vel alteram „circa ipſarum Conventum, ad cujus „fundationem apud Pictavienſem Epi„ſcopum San-Cyrani opera uſus ſum: „& hæc ſunt omnia, quæ mihi circa „hanc epiſtolam conſtant.„

XI. „Circa reliquas quæſtiones mihi „a Leſcoto factas, ſcilicet, an ex ore „San-Cyrani non perceperim, a quinque „aut ſex ſæculis Eccleſiam a Deo fuiſſe „deſtructam, juxta illud Salomonis: „*Tempus eſt deſtruendi*, ac depravatio„nem in ipſum etiam dogma irrepſiſſe, „reſpondeo, me talia ſemel ab eo per„cepiſſe, ſicut & hæc: *videtur, quod „hi, qui eam defendunt, contra Dei men„tem agant:* hæc tamen ab eo prolata „mihi videntur occaſione diſcurſus ha„biti de Dei Judicio & morum corru„ptione: hæc quidem ejus propoſitio „ab initio me offendit; cogitabam ta„men poſtea: fors id dixit in eo ſenſu, „quo dictum fuiſſet de Clemente VIII. „ipſum

„ipsum ploraſſe, eoquod Eccleſiam in „Europa deſolatam crederet, cum illa „interim ad Indos usque ſe extenderet. „reliqua autem ipſius verba, interpre„tanda cenſui per San-Cyrani actio„nes, quarum potiſſimæ per totam „vitam ſuam ſeſe ad Eccleſiæ defen„ſionem extendebant, prout teſtantur „ejus ſcripta, & quæcunque pro ani„marum ſalute fecit, & fieri curavit.„ Sæc. XVII. A. C. 1639.

XII. „Ad quæſtionem, an ipſum non „audiverim dicentem, quod Papa, & „Epiſcoporum potiſſimi . . . . non effi„ciant Eccleſiam, utpote vocatione, & „gratiæ Spiritu orbati: reſpondeo, quod „hæc nunquam ab eo proferri audive„rim, niſi quod ſemel dixerit: *quod plu„res Epiſcopi aulæ favore fuerint procreati, „nullamque vocationem habeant*: nunquam „tamen vidi hominem, qui illo magis „Epiſcopatum coluiſſet; maximi etiam „habuit defunctum Convenenſem Epi„ſcopum, & Franciſcum Saleſium, quem „Beatum appellabat.„

XIII. „An autem nunquam audive„rim dicentem, quod Concilium Tri„dentinum Eccleſiæ doctrinam immu„tarit, nec legitimum ſit Concilium? „reſpondeo non, dixit tamen, in hoc „Concilio fuiſſe contentiones.„

XIV. „Ad quæſtionem, an ipſum di„xiſſe ſciam, quod ſit abuſus, ſi abſo„lutio

Sæc. XVII. A. C. 1639.

„lutio ſtatim juxta uſitatam praxin poſt „confeſſionem detur, ſed prius ſatisfa- „ciendum ſit? reſpondeo; quod non, „ipſum tamen de pœnitentia ante abſo- „lutionem, audivi loquentem, ſub qui- „bus tamen terminis non recordor, ex „experientia tamen deſumi poteſt ho- „rum verborum ſenſus, quia Miſſiones „nobis erexit in ſuis Parochiis, nobis- „que obtulit ſæpius Prioratum, quem „prope Pictavium poſſidet; cuilibet au- „tem notum eſt, quod nos facere ſolea- „mus id, quod in hac quæſtione con- „tinetur. „

XV. „An non dicentem audiverim, „quod Juſtus nullam aliam habeat le- „gem, quam interiores gratiæ motus, „ut vivat in libertate Filiorum Dei, & „quod vota ſint imperfecta, & libertati „Spiritus Divini adverſantia? reſpon- „deo, me hæc ab eo non percepiſſe, „quandoque tamen extulit internas gra- „tiæ motiones, allegando D. Pauli verba: „*juſto lex non eſt poſita*, quare autem ſic „has motiones deprædicarit, & in „quem finem Apoſtoli verba allegarit, „neſcio: quantum ad vota, dubito, an „hæc ipſum dixiſſe audiverim, ſcio au- „tem, quod Nepoti Ordinem Fratrum „Capuccinorum in Provincia Toloſana „profitenti adſtiterit, ipſusque Filium „cu-

„cujusdam Amici sui ad Carmelitas „excalceatos conduxerit.„ Sæc. XVII. A. C. 1639.

XVI. „Utrum dicentem audiverim, „Jesuitas, ceterosque Religiosos recens „exortos, qui sese Clericorum functio„nibus ingerunt, esse extirpandos? re„spondeo, quod quasdam Jesuitarum „opiniones præcipue circa gratiam ab „eo reprehendi perceperim; & ni fal„lor, dicentem audivi, quod si posset „Jesuitas, vel eorum quosdam perdere, „id faceret, licet etiam ipsum de eo„rum ordine magna dicentem elogia „audiverim, insuper mihi videtur, il„lum dixisse, quod Societati malum „non velit, imo pro ea, & pro singu„lis vitam suam prodigere paratus „sit, dum vero dixit, quod eos, si „posset, perderet, credo, quod dun„taxat, illis Theologiam tradendi licen„tiam auferri voluisset.„

„Circa plures alias quæstiones v. g. „an contritio perfecta sit absolute neces„saria ad pœnitentiam, an duntaxat „vere contritis absolutio dari possit, vel „quod absolutio non remittat peccata, „sed duntaxat jam remissa declaret, „scilicet in virtute contritionis, quæ „absolutionem præcessit, & præcedere „debet, quod venialia non sint materia „sufficiens absolutionis Sacramentalis, „nec sit necessarium, confiteri nume-

„rum

Sæc. XVII. A. C. 1639.

„rum peccatorum mortalium nec circumstantias speciem mutantes, quod „vera fides non possit distingui a charitate, quod Ecclesia sexcentis abhinc „annis non sit vera Ecclesia, circa hos „articulos, inquam, pluresque alios ab „Lescoto mihi propositos respondeo, „quod talia a San-Cyrano proferri non „audiverim: Hæc nec plura sunt, quæ „de præfato Abbate scio. Scripsi hæc „cuncta propria manu, & rursus recognita confirmo, & meo sigillo munio.„

Vincentius a Paulo.

Tale erat S. Vincentii testimonium de San-Cyrani Abbatis opinionibus, quas idem Sanctus æque ac Jansenii, Arnaldi, ceterorumque errores vehementer perstrinxit, ac confutavit.

§. CI.

Fabritii Verospii Cardinalis obitus.

Ciacon. in vita Urban. VIII. Vid. supra t. 191. §. 25. p. 97. t. 56.

Ex Purpuratis hoc anno sex supremum obiere diem, quos inter ceteris prior abreptus est Fabritius Verospius, patria Romanus, qui omnibus scientiis Viro Ecclesiastico dignis excultus, per varios dignitatum gradus ad Perusinam & Umbriensem Præfecturam, ac demum ad Purpuram ascendit. Præclara semper præstitit Sedi Apo-

Apostolicæ obsequia, præcipue dum dissidium inter Papam & Magnum Etruriæ Ducem ob Arni fluvii inundationes exortum mira dexteritate composuit: Ejus quoque opera feliciter utebatur Gregorius XV. dum Klesselium Cardinalem captum sibi tradi, a Cæsaris fratribus petebat, misso Viennam Verospio, qui Viennenses Magistratus, intentata, ni protinus Klesselium traderent, anathematis pœna eo perduxit, ut captum Cardinalem eidem restituerent. Tandem obiit Verospius Romæ die vigesima septima Januarii anno ætatis octavo supra sexagesimum, sepultus in SS. Triadis Templo in Monte Pincio. Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. CII.

Dominici Ginnesii Cardinalis mors.

Paulopost eadem legis necessitate vivis valedixit Dominicus Ginnesius itidem patria Romanus, qui utriusque Jurisprudentiæ laurea Bononiæ decoratus, sub Gregorio XIII. Sixto V. & Clemente VIII. Legationibus, aliisque officiis cum summa laude defungebatur. Recusabat sibi a Clemente Papa oblatum Thesaurarii Pontificii munus: Sipontinus tamen Archiepiscopus antea renuntiatus, & postmodum Cardinalium Collegio adscriptus solis virtutibus, meri- *Ciacon. in vita Clem. VIII.*

Sæc. XVII. A. C. 1639.

meritisque Purpuram debuit, quam ut pretiosiorem cælo redderet, omne pauperum genus sublevavit in terris, fuitque in sumptu parcus, atque ab omni luxu alienus, ut eo largiore manu Eleemosynas profundere posset: Aluit assignatis ad hoc reditibus pauperes studiosos numero duodecim, partemque sui Palatii in Monasterium Sacrarum Virginum Carmelitarum Discalceatarum convertit, annuoque reditu dotavit: Postmodum Episcopus Ostiensis nominatus, Divinum cultum Templo & Xenodochio ibidem exstructo, Sacello Veletris ædificato & munificentissime exornato, Ecclesiis in urbe Carpentoractensi, Templo in monte Gargano dotatis, exstructoque ac amplissimis proventibus pro octo puellis fundato Monasterio D. Dominici Bononiæ mirifice ampliavit: Postremo plenus dierum ac meritorum, postquam apertissime, & sine ambage certam mortis suæ diem assignaverat, Romæ die tertia decima Martii octogenario major ad cælestem Patriam demigravit, non sine maximo piorum desiderio, & pauperum luctu; sepultus est in Ecclesia S. Luciæ a se splendide, atque a fundamentis reædificata. Scripsit commentaria in Psalmos, & annotationes in Pentateuchum.

§. CIII.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. CIII.

Beringarius Gypsius Cardinalis mortuus.

Tertius ex Purpuratis hoc anno vita functis erat Beringarius Gypsius Bononiensis Nobilis, qui a Patruo suo Romam evocatus, relicta forensi Curia Sacræ militiæ nomen dedit, atque a Clemente VIII. utriusque, ut vocant Signaturæ Referendarius, Locumtenens Civilis, Vicarius, Apostolicæ Visitationis Præses, Episcoporum Examinator, Sacræ Congregationis Secretarius, Ariminensis Episcopus, & Nuntius Apostolicus apud Venetos renuntiatus est, demum, postquam omnes ferme dignitatum gradus effet emensus, a Paulo V. Urbis Prætor, ab Urbano VIII. Ducatus Urbini Præfectus, & denique Cardinalis nominabatur. Nec tamen otiose Purpuram gesserat; quippe Vir vere prudens, doctus, æque ac pius in omnium fere Congregationum Senatu primas habuit partes, totque publicis, gravibusque negotiis expediendis distentus erat, ut Ariminensi Ecclesiæ suæ nuntium remittere cogeretur, ne ex diuturna sua absentia ovibus suis aliquid detrimenti accederet. Tandem Romæ die sexta Aprilis de-

Ughell. Ital. Sacr. Victorell. in add. ad Ciac.

Sæc. XVII. A.C. 1639. decessit, tumulatus in splendido Sacello a se constructo in Ecclesia Patrum Carmelitarum Discalceatorum sanctæ Mariæ de Victoria, quibus etiam pro perpetuo Missæ Sacrificio bis singulis diebus celebrando annuos proventus reliquit.

§. CIV.

Desiderii de Scalia Cardinalis decessus.

Hunc pari fato sequebatur Desiderius Scalia Cremonensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum. Hic post plures sibi ab Ordine suo delatos honores tandem Romæ Magistratum Commissarii Sacræ Inquisitionis consecutus, a Paulo V. eodem die Melphiensi Episcopatu, & Purpura Romana decoratus est, postea a Gregorio XV. ad Comensem Ecclesiam translatus, ea sponte dimissa totum se virtutum studio, & Romanæ Ecclesiæ obsequio dicabat. Erat in consultationibus acerrimus, vividi ingenii, integræ mentis, in benefactores gratus, in amicos officiosus, moribus comis, adeo tamen splendidus, & munificus, ut ære alieno gravatus demum die vigesima secunda Augusti septuagenarius decederet.

§. CV.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. CV.

Augustini Galaminii Cardinalis extrema.

Die sexta Septembris decessit Augustinus Galaminius in terra Brisighallæ ortus, qui itidem Prædicatorum Ordini adolescens adscriptus, per omnes ejusdem Religionis gradus ad Commissarii munus Sancti officii, ad Magistratum Sacri Palatii, necnon ad supremam Ordinis sui Præfecturam evectus, a Paulo V. dum Parisiis moraretur, Cardinalis titulo S. Mariæ de Ara cæli renuntiatus est, ubi tamen eodem victu & amictu usus, quicquid ex Lauretanæ & postmodum Auximenæ, quas Episcopus rexerat, Ecclesiarum proventibus supererat, semper in pauperes distribuit: Tanta fidelitate verus Pastor Ecclesiam suam administrabat, ut e Diœcesis suæ finibus nunquam exierit, nisi ut Pontificiis comitiis interesset. Annuas coegit Synodos, & tam plebi suæ, quam Clero sanctissimas leges & statuta saluberrima præscripsit, ipsus vero gregis sui exemplum, Ordinis decus, Episcoporum speculum, & Purpuræ ornamentum, sicut magna sanctimoniæ fama vixit, ita & meritis dives, & senio gravis fere nonagenarius Auximi

Pio de viris Ill. Ord. Præd. Eckhard Script. Ord. Præd.

Sæc. XVII. A. C. 1639. obiit, ingenti & ovium & Fratrum luctu apud suos sepultus. Edidit acta Synodalia, Institutiones pro Clero Auximensi, Epistolas Encyclicas ad suos Fratres, necnon testamenti sui tabulas.

§. CVI.

Ludovicus de Nagarets de la Valeta Cardinalis vita functus.

Ferrer. Hist. cont. Hisp. cap. 2. t. 12. pag. 337.

EJusdem Mensis die vigesima octava Septembris in Gallicis castris decessit Ludovicus de la Valeta patria Engolismensis, qui non ex animi indole, qua potius ad bellica propendebat, sed ex Parentis sui voluntate Ecclesiasticum induit, ac pinguissimis beneficiis, ac Abbatiis saginatus, tandem ex Tolosano Archiepiscopo Cardinalis renuntiatus est, quamvis nullo Sacro ordine esset initiatus. Postea dimisso Archiepiscopatu ad militare transiit Gallici exercitus regimen, ubi in inferiori Germania Lendrecium urbem vigesima sexta Julii die occupavit, in Belgio in Hispanos movit, atque in Italia Sabaudiæ Duciſſam contra defuncti Ducis Fratres tutatus est. Demum vero Rivolæ morbo correptus obiit, armis magis, quam rebus Ecclesiasticis natus; quocirca Pontifex comperto illius obitu pro eo, utpote non Cardinale, sed Frau-

Vid. supra §. 9.

Franciæ Mareſcallo conſuetas preces in Purpuratorum Collegio fundi noluit, propterea vero Galliarum Regis indignationem incurrit. Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. CVII.

Arnaldiſtæ ex Abbatia Portus Regii in Campis ejecti.

Cum in Janſenismi Hiſtoria frequens occurrat mentio Portus Regii in Campis, haud injucundum erit, ſuccinctam ſaltem illius ſubjungere relationem. Hoc nomen igitur inditum erat Abbatiæ Ordinis Ciſtercienſium ab Odone Sullio Pariſienſi Epiſcopo circa Annum Domini milleſimum ducenteſimum quartum pro duodecim Monialibus fundatæ, ac ſexto lapide ab urbe Pariſina diſſitæ. Augebantur hujus Abbatiæ reditus liberalitate ipſius S. Ludovici Franciæ Regis, inſuper Honorius III. Papa ampliſſimos eidem contulit favores, conceſſitque, ut Laici tedio hujus ſæculi ad vitæ correctionem permoti in ſegregato ædificio ſalutis portum invenire poſſent: unde accidit, quod plures generis nobilitate, ac ſcientia celebres Viri relicto ſæculo ad ædes, ubi olim S. Theobaldus hujus Abbatiæ Superior habitabat, ſolitudinis ac pietatis amore confugerint: *Racin. Abr. Hiſt. de Port-Royal. Heliot. Hiſt. des Ordr. p. 4. c. 44. tom. 4.*

Sæc. XVII. A. C. 1639. Exeunte autem sæculo decimo sexto regularis disciplinæ fervor aut ætatis vitio, aut civilium bellorum licentia pene extinctus videbatur: Maria autem Angelica Arnaldina, quæ pro consueta illius ævi corruptela ad Patris sui preces ab Henrico IV. Rege nonnisi undecim annos nata in Abbatissam fuerat nominata, lapsam disciplinam ad vetera Ordinis sui instituta revocare aggressa est, superatisque pene innumeris obstaculis & oppositionibus in pluribus aliis Monasteriis SS. Benedicti & Bernardi Spiritum resloresecere fecit, egregiam opem præstantibus S. Francisco Salesio, & Francisca de Chantal. Hisce monialibus sese aggregabat Mater Agnes Arnaldina Angelicæ Soror, quæ San-Cyrana Abbatia Regi restituta, circa annum hujus sæculi decimum nonum in Portus Regii Coadjutricem nominata, Constitutiones a Joanne Francisco Gondio Parisiensi Archiepiscopo approbatas conscripsit. Postquam vero Monialium numerus ultra Monasterii vires, & ambitum accreverat, atque ex ipsius loci angustiis Moniales crebris ægritudinibus infestarentur, anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quinto Mater Angelica omnes Religiosas Virgines ex Portu Regio transtulit ad amplius Asceterium, quod ejus

ejus Mater Catharina Arnaldina in Pa- Sæc. XVII.
riſienſi ſuburbio ad S. Jacobum ſuo ære A. C. 1639.
erexerat. Favebat hiſce Monialibus ſummopere Maria Medicæa Franciæ Regina, ad cujus preces Ludovicus Rex ejus Filius ab expeditione Rupellenſi redux, annuente etiam Urbano VIII. Papa anno hujus ſæculi vigeſimo nono conceſſit, ut deinceps hujus Monaſterii Abbatiſſa haud amplius ex Regis nominatione, ſed Monialium electione quolibet triennio innovanda fieret, ac deinceps non ultra Ciſtercienſium Ordinis Præpoſito, ſed Pariſienſis Epiſcopi jurisdictioni ſubeſſet. Fauſta hæc auſpicia paulopoſt turbabantur diſſidiis ob invectum novum quoddam inſtitutum perpetuæ adorationis SS. Sacramenti exortis, quibus accedebat controverſia de arcana corona SS. Sacramenti, quam precandi formam, ut ſupra meminimus, Pontifex æque ac Facultas Theologica damnaverant: Joannes vero Vergerus, cui Rex anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo San-Cyranam Abbatiam contulerat, pro aris & focis propugnabat, & veroſimilius ipſus pro Religioſis Virginibus Portus Regii compoſuerat. Dein ſimulatæ San-Cyranæ pietatis ſtudio, ac fallaci verborum profluvio infatuata Mater Angelica familiarius de animæ

Sæc. XVII. A. C. 1639.

ſuæ ſtatu cum eodem verſari cæperat, atque improvido prorſus conſilio non modo ſe, ſed cunctas Aſceterii ſui Moniales ejus directioni commiſit: inde vero evenit, ut intra exiguum temporis ſpatium hæ Virgines, quæ prius religioſe & in ſimplicitate cordis ſui Deo deſerviebant, & frequentem Euchariſtiæ & Pœnitentiæ uſum in delitiis habebant, a ſuo Moderatore depravatæ ab utriusque Sacramenti uſu ſub dignioris præparationis ſpecie averterentur, ſuisque erroribus immortuæ perirent. Non deerant ex hiſce Virginibus nonnullæ, quæ hujus novi Moderatoris fallacias ſuſpicatæ, apud Patrem Vigierium Sacerdotum de doctrina Chriſtiana Præfectum quererentur, ſe ſub novo animum exactius ad Pœnitentiæ Sacramentum diſponendi obtentu nonniſi poſt longiſſimas procraſtinationes ab eo abſolvi, earumque potiſſimas ob aſſiduas haſce dilationes ſenſim in tantas conjici anguſtias, animique curas, ut aliæ ad hoc Sacramentum & Euchariſtiam accedere non auderent, aliæ vero ad ſummam morum licentiam, obdurationem animi vel deſperationem inducerentur: nonnullæ etiam S. Synaxin nequidem in Paſchate reciperent, ſed joco exploderent. Harum igitur lamentis, ac impendentis ruinæ periculo excitatus

citatus Richelius Cardinalis, San-Cyranum carceri mancipari jussit, Moniales vero relicto Parisiensi Portu Regio ad pristinum Portus Regii in Campis Conventum reversæ sunt. Eo autem tempore, quo hæ in Parisino Monasterio degebant, Antonius le Maitre Angelicæ Nepos, Arnaldus, Andillyus ejusdem fratres, Sacius pluresque alii, qui se *Solitarios* nominarunt, ad Portum Regium secessserant; nam Mater Angelica, & Agnes Abbatissa in suo Monasterio facultates & locum dederunt Abbati San-Cyrano, ejusque Doctrinæ faventibus, qui tamen postea de Jansenii erroribus suspecti, inde excedere jussi sunt. Sæc. XVII. A. C. 1639.

Eodem hoc anno non deerant quamplurimi, qui apud Richelium Cardinalem pro Abbate San-Cyrano deprecarentur, quibus tamen ipse reposuit, quod Germania & Francia ex integro adhuc Catholicæ forent, si Lutherus & Calvinus in tempore in carceres, ubi haud amplius nocere potuissent, fuissent detrusi.

§. CVIII.

Collectio tractatuum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ a Regio Senatu proscripta.

Sæc. XVII. A.C. 1639

Abregé chron. de l'hiſt. Eccl. Siecl. XVII. Dupin Hiſt. Eccl. tom. 4. p. 195. §. 5.

Jam anno priori ambo Fratres Germani Petrus & Jacobus de Puy non modo tractatus de Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus ſæculo decimo ſexto editos, ſed etiam varia ſcripta, in quibus argumenta in harum libertatum & jurium defenſionem a præfatis Authoribus allata exponebantur, in unum volumen collegerunt, typisque edi curarunt. Adverſus hanc editionem non modo Apoſtolicæ Sedis Nuntius, ſed & viginti duo partim Cardinales partim Archiepiſcopi & Epiſcopi vehementer obſtrepebant: unde eodem anno die vigeſima Decembris regius Senatus hunc librum, utpote ſine Regis licentia editum, promulgato edicto proſcripſit: poſtea idem liber Sorbonæ Doctoribus ab iis, quæ, ſalvis tamen veris Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, univerſali Eccleſiæ adverſarentur, expurgandus tradebatur, quorum judicio præfati Præſules adulterinum hunc partum die nona Februarii hujus anni damnarunt, ejusque editionem ſuppreſſerunt, hancque in rem die decima quarta ejusdem Menſis Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis tunc agentes epiſtolam ad omnes Franciæ Præſules dedere: nec id mirum videri debet; Clerus enim Gallicanus nequaquam inter jura & Eccleſiæ ſuæ libertates numerari

rari voluit illas, quæ ad diſſolvendam cum Eccleſia Romana Matre ſua, & ſummo Pontifice ejus Capite unionem, aut ad infringendum obſequium filiale erga eundem tendunt, cum ergo in præfato libro multa fuerint adducta, quæ veras libertates deſtruerent, & ſchismati occaſionem præberent, Auctorque ſtudioſe varias uſurpationes, quas poteſtas ſæcularis contra Eccleſiam ſæpe ex vindictæ æſtu attentavit, collegerit, atque ex quolibet facto ab ipſis etiam Gallis poſtmodum reprobato jus, uſum & conſuetudinem eruere voluerit, hinc Clerus Gallicanus a Ludovico æquiſſimo Rege petebat, ut unacum Sanctiore ſuo Conſilio & Præſulibus tandem determinaret, quænam ſint illa privilegia & libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ut veri & laudabiles uſus & jura ab uſurpationibus ſecernerentur: Eo fine poſtmodum Ludovicus XIV. anno hujus ſæculi quinquageſimo primo rem diſcuti, hasque libertates imprimi juſſit: ſicut etiam anno ſequenti Pithovei tractatus de libertatibus Gallicanis unacum commentario in Petrum du Puy typis vulgatus eſt: obſervandum tamen, quod tam Præſulum epiſtola, quam Senatus decretum in nova editione commentariorum Cleri Gallicani deſideretur.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. CIX.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

§. CIX.

Scriptores Religione Catholici hoc anno denati.

Dupin Nouv. Bibl. des Aut. Eccles. pag. 134. Abrege chron. Hist. Eccl. tom. 3. Miræ. Script. Sæcul. XVII.

Paucos ex celebrioribus Catholicis Scriptoribus hoc anno vita functis adducere lubet, quos inter primo loco occurrit Joannes Wiggerus Lovaniensis Theologiæ Doctor, qui quamvis æque ac Jansenius Jacobi Jansonii Magisterio & familiaritate usus esset, Baii tamen, ejusque dogmatum labes inde in discipulum minime derivata fuit: reliquit enim commentaria in universam D. Thomæ summam, in quibus nil nisi Orthodoxum, summe elaboratum, solidisque principiis innixum reperitur. II. Ferdinandus Santiago Fratrum de Mercede Generalis, qui considerationes in Evangelia, tractatum de contritione, & apologiam pro usu æreæ Monetæ in Hispania edidit. III. Philippus Caroli, qui ejurata Lutheri secta ad fidem Catholicam reversus, scripsit varias lectiones, Antiquitates Ecclesiasticas, & alia nonnulla opuscula. IV. Berlingarius Vigintimillius typis vulgavit Paraphrasin in Psalterium Davidis, in epistolas ad Romanos, Corinthios, & ad Timotheum præter plura alia V. Laurentius de Ponte ex Ord. FF. Minorum edidit

edidit commentaria in Matthæum, & librum Sapientiæ. VI. Paulus Vitelescus Ord. Capuccinorum scripsit Chronicon Ordinis sui. VII. Jacobus Bidermanus Jesuita, qui præter varia poemata publici juris fecit prolusiones, quibus Romani Pontificis dignitas contra hæresin propugnatur: scripsit etiam libros tres pro miraculis & varia opuscula Theologica decem libris comprehensa. VIII. Octavius de Tuso itidem Jesuita posteris reliquit commentaria in Ecclesiasticum. IX. Nicolaus Riccardius ex Ord. FF. Præd. ex cujus calamo profluxerat Historia Concilii Tridentini a calumniis vindicata, commentaria in omnes S. Scripturæ libros, disputationes in D. Thomam, tractatus de optimo genere interpretandi S. Scripturas, de gratia Christi, & conceptione B. V. præter plura alia sat erudita opuscula. X. Thomas Campanella ex eodem Ordine suo ævo doctissimus, fatorum tamen acerbitate summopere miserandus, edidit plusquam centum quadraginta varii argumenti opuscula, quæ sigillatim Jacobus Gaffarellus, & Jacobus Echard in sua Bibliotheca recensent.

Sæc. XVII. A. C. 1639.

Nic. Erythr. Pinac. I. p. 41. & 43.

§. CX.

Sæc. XVII
A.C. 1639.

§. CX.

Ex Proteſtantibus Scriptores nonnulli mortui.

Freher. Theatr. part. 1. Sect. 3. Bayl. dict. Hiſt. & Critiq.

Obiere pariter hoc anno ex Acatholicis nonnulli ſuis ſcriptis celebres, & quidem primo Guilielmus Ameſius gente Anglus, qui ex odio Epiſcopalis Regiminis patriam ſuam deſeruit, dein Roterodamenſis Profeſſor poſteris reliquit tractatum de conſcientia, & origine Sabbati, lectiones in Pſalmos, Medullam Theologiæ, Puritanismum Anglicanum, explicationem epiſtolarum D. Petri, & caſus conſcientiæ. II. Albertus Weſtphalus ſcripſit relationem neceſſariam de iniquo contemptu Germanicæ verſionis Biblicæ Lutheri & Apologeticum contra errores ſub explicationis duarum poſitionum nomine publicatam. III. Sigismundus Schererzius vulgavit Conſtantiam Evangelicam, manuale communicantium, captivorum, peregrinantium &c. Speculum tentationum ſpiritualium, & alios nullius ferme momenti libellos. IV. Franciſcus Albanus, mordax nugator & Apoſtata, qui, ut convitiis in Catholicos effuſis apud ſuos ſibi victum compararet, anathomiam Papatus, & Romano-Catholicum Monachorum Aſinum con-

consarcinavit. V. Caspar Movius edi- Sæc. XVII.
dit demonstrationem orthodoxam Ber- A. C. 1639.
gio oppositam, Anti-Crocium, disputationem de Baptismo præter alia. VI. Ludovicus Duate scripsit buccinam Evangelii, praxin pietatis, & decisiones casuum conscientiæ. VII. Joannes Salkeldus natione Anglus præter alia typis vulgavit tractatus de Angelis & Paradiso. VIII. Conradus Dietrich conscripsit Mysteriologiam Sacramentorum, Pœnitentiam Davidicam, commentaria in librum Sapientiæ, quæstiones Theologicas de fanatismo Schwenckfeldianorum præter plura alia. IX. Samuel Bohlius edidit commentarium Biblico-Rabbinicum, tractatum contra matrimonia comprovignorum, divisionem Decalogi, & commentaria in Malachiam & Proverbia.

§. CXI.

Namurcensis Diœcesanæ Synodi acta.

Immota, qua Engelbertus Desbois Namurcensis Episcopus flagrabat, pastorali sollicitudine accensus, hoc anno die septima Junii Diœcesanam habebat Synodum, cujus celebriora adducemus decreta. Igitur præter plura alia oppido salubria statuta Synodus hortabatur Concionatores, ut diebus *Hartzh. Conc. Germ tom.* 9.

solem-

Sæc. XVII. A. C. 1639.

solemnioribus ita suas Conciones efforment, ut potius catechismum, quam concionem redoleant, & captui populi, quantum fieri poterit, adaptent: insuper calices stanneos, quos idem Episcopus ob temporum iniquitatem non sine magno dolore suo antea permiserat, ab Altari removeri præcepit, jussitque, ut singuli calices parva habeant cochlearia: inhibuit vero, ne herbæ cæmeteriorum ab ullius, nec etiam Parochi animalibus depascantur, nec ibidem lintea dealbentur, accepta in Ecclesiarum vestibulis grana excutiantur, minus vero arbores frugiferæ deinceps plantentur, simulque vetitum, ne in supplicationibus puellæ Reliquias vel S. Imagines circumferant. Statuit quoque Synodus, ut infantes illegitime nati, ad Ecclesiam sine solemnitate deferantur, illorumque Matres a puerperio non purificentur: præcepit etiam, ut Confessarii non aliter nisi *tecto capite*, & *sedendo* suos pœnitentes absolvant: sustulit quoque corruptelam, qua Ecclesiasticorum nonnulli canes suos ad Ecclesiam deduxerunt, & circa Altaria habuere: monuit etiam Ecclesiasticos, ut puerperarum conviviis nunquam, nuptiarum vero rarissime, & tunc ita modeste interfint, ut præsentibus exemplo & ædificationi esse valeant.

§. CXII.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXII.

Quorumdam Principum & Illuſtrium obitus.

Præter varias calamitates, quibus Imperator iniquiſſimo hoc tempore jactabatur, intimo doloris ſenſu percellebatur mortem Philippi Auguſti Filii ſui; luctum tamen Cæſaris temperabat alter Filius Leopoldus Ignatius Joſephus, quem Auguſta Imperatrix anno ſequenti Viennæ felici puerperio enixa eſt. Eodem ferme tempore obiit Antonius Wolfartus primo Abbas Cremifanenſis, poſtea Viennenſis Archiepiſcopus, Vir doctrina, rerumque uſu longe celeberrimus, qui itidem Abbatiam pluribus donatiis auxerat. Pari fato Joannes Philippus Dux Saxo-Altenburgicus Friderici Guilielmi Saxoniæ Ducis Filius nulla maſcula prole relicta, vivis ereptus eſt. *Brachel. Hiſt. temp. lib. 6.*

§. CXIII.

Sueci per Leopoldum Auſtriæ Archiducem ex Bohemia ejecti.

Nullum non movebat lapidem Ferdinandus III. Imperator, ut Bannerium Suecici exercitus Ducem oblatis duobus Sileſiæ Ducatibus ad pacis con- *Jæger. Hiſt. Eccl. l. 10. cap. 1. Barre hiſt. d' Allemagn. t. 9. p. 722.*

Sæc. XVII. A. C. 1640.

consilia inclinaret; obstiterant tamen Galli, qui Sueciæ Reginam, ne Bannerio pacisçendi facultatem concederet, absterrebant. Spe ergo sua delusus Imperator Leopoldum Archiducem, quem Gallasso a militari Præfectura amoto, copiis Cæsareis præfecerat, in Bohemiam movere jussit, ut Bannerium inde propelleret. Hic ergo cum valido exercitu progressus, recuperato Regio-Græcio, & Colino, aliisque urbibus qua vi, qua deditione subactis decem Suecorum equitum turmas ad internecionem delevit, ac Bannerium, ut a Batavis, incassum tamen, suppetias peteret, coegit: occupato dein Leutmerizio & Brandesio Bannerium e tota Bohemia exegit, cæsis plusquam quatuor Suecorum millibus Fugientem tamen Dux Longevillanus iterum stiterat; hic enim Gallicis, & Vinariensibus, necnon Hassicis & Luneburgicis auctus copiis Salfeldam movit, atque Archiducis prope insequentis castra acriter verberare cæpit, nihil tamen præter velitares conflictus integro pene Mense profecit: cum autem Hatzfeldio & Piccolominæo Ductoribus novem Bavarorum millia Cæsareis accessissent, Leopoldus Suecos ad extremam usque Visurgin rejecit, inde vero promotis castris Wahlium Comitem cum Bavaris copiis

copiis in Haſſiam irrumpere juſſit, qui etiam variis urbibus captis trans Viſurgin victricia arma ſua protendere ſtatuit, paulopoſt tamen ab hoſte repulſus. Haud multo poſt Bredanus Cæſaris Tribunus prope Zwickaviam Wittenbergium Sueciæ Tribunum cum novem legionibus profligavit. Interim vero Rauſchenbergius Guelferbyti Gubernator Steinbrucum nobile firmumque præſidium expugnavit, quod tamen Luneburgicus Dux arcta mox obſidione preſſit. Tanta ibi erat Bavarorum in propugnando pertinax fortitudo, ut tectis pene omnibus vi tormentorum dirutis, ac militum civiumque potiſſimis inedia jamjam conſumptis, de deditione nequidem cogitaſſent, niſi ſuppetiarum ſpe fruſtrati non animo, ſed viribus defeciſſent: hujus quoque urbis jacturam mox Luneburgi deditio, & Guelferbytanæ urbis obſidio ſequebatur.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXIV.

Cæſareo-Bavari adverſus Gallos, & Vinarienſes vario Marte pugnantes.

Interim Vinarienſes, Longavillæo Duce, cunctas ferme urbes ad Rhenum ſitas deprædationibus, incendiis, immodicisque exactionibus miſere devaſtarunt,

Adlzr. Annal. Boic. p. 3. lib. 25. num. 11. Pufend. l. 12. de reb. Suec.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

ſtarunt, Cæſareisque præſidiis in Weteravia ex Fridberga & Braunfelſa ejectis potius armentis, civiumque bonis, quam hoſti bellum intuliſſe videbantur: Nec ad haſce violentias otioſi ſubſtitere Bavari; hi enim occupatis Altzheia, & Baccaro, cuncta ferme oppida Moſellam inter & Rhenum ſita, quæ antea Vinarienſes invaſerant, recuperarunt, Bambergerus quoque Philippopolis Gubernator iterata excurſione ingentem hoſti cladem intulit: magis proſpera ſors arridebat Vinarienſibus, dum ab Hochenvillanæ arcis obſidione Bavaros propellunt, multisque trucidatis, & captis non paucis, atque inter eos ipſo Alberto Fürſtenbergio arcem expugnant. Hanc tamen cladem paulopoſt ulciſcebantur Bavaro-Cæſarei, dum in Weteravia Gallo-Vinarienſes ſemiſopitos inopina vi opprimunt, captaque Urſella urbe, & Epſteinia arce Suecis, quicquid Menſe Maio in Haſſia occupaverant, adimunt, atque Amœneburgum & Fridbergam recuperant, quin tamen hæc ipſa armorum felicitas omnino incruenta eſſet; iterata enim impreſſione prope Zigenheimium Cæſarei fuſi, fugatique fuere. Hanc cladem nonnihil reparabant Bavari, qui Coburgo, Hiltpurghuſio, Meinunga, aliisque oppidis Sueco ereptis,

reptis, Bobenhusii & Eichsfeldiæ quasdam Vinarienſium legiones internecione deleverant, capto etiam Echardo Tribuno, Vigiliarum Præfecto, multisque gregariis: Nec interim Saxones a bellico labore feriabantur; quippe ad Lipſiam prope Pagum Machavium inita pugna Königsmarchium, qui ex Bohemia redux plura Saxoniæ oppida exactionibus exhauſerat, magna clade protriverunt, necnon Mauritianam arcem capto illius Præfecto & præſidiariis cum ingenti præda recuperarunt, ac paulopoſt Cæſareis adjuti, Chemnitzium quoque & Zwickaviam recepere, quadringentis Suecis ad deditionem coactis. Nec magis proſpero Marte Sueci in Sileſia dimicabant, quamvis enim Wolaviam intercepiſſent, Cæſarei tamen Hernſtadium, Jauram & Strigaviam eis eripuere, ipſamque Hirsbergam expugnaſſent, niſi Stalhantſcius opportune ſuppetias tuliſſet.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXV.

Gallici exercitus geſta in Italia & Belgio contra Hiſpanos.

Hoc item anno Hiſpani ad Rhenum die tertia Februarii variis oppidis feliciter expugnatis extremos adhibuere conatus, ut Briſaccum Gallis eriperent: verum

Jæger. Hiſt. Eccl. lib. 10. cap. 2. Nani Hiſt. Venet. l. 11. Buſſier. Hiſt. lib. 24.

Sæc. XVII. A. C. 1640

verum incaſſum omnia, quocirca Galliarum Rex, excluſis Suecis, munitiſſimum hoc Imperii propugnaculum ſibi ſoli vendicabat, ac cum ſuo exercitu in Bavaros, & per Sueviam in ditiones Auſtriacas irrupturus, præprimis armorum ſocietatem cum Suecis usque ad belli exitum prorogare ſtuduit. Interim vero Harcurtium Comitem cum valido agmine in Sabaudiam emiſit, ut Chriſtinæ Sabaudi Ducis Viduæ, GalliqueRegis Sorori contra Hiſpanos, & defuncti Ducis Fratres opem ferret. Hic ergo Leganeſium Mediolanenſem Gubernatorem, qui Caſalem urbem oppugnabat, adoritur, ſed tertio ab Hiſpanis repellitur, tandem vero ipſa Martis fruſtratione accenſus poſt pugnam ad duas horas protractam hoſtem magna clade protritum in fugam agit, & Caſalem urbem vaſtis, altiſſimisque operibus circumſeptam diuturna obſidione liberat: Hoc ſucceſſu animatus Harcurtius rem adoritur temeritati, quam fortitudini propiorem; quamvis enim Leganeſius Marchio cum ingenti exercitu Gallis incubaret, nihilominus Taurinum urbem, quam Thomas Princeps cum Præſidiariis Gallos numero longe excedentibus inſederat, obſidet, eamque, Hiſpanis auxiliatoribus repreſſis aliquoties, cæſisque occupat, ſuoque exem-

Bruſſon. hiſt. Ital. l. 8. Bougeant Hiſt. Bell. tricen. p. 1. lib. 6.

exemplo oſtendit, non ſemper ad magna & ardua opus eſſe copioſis exercitibus, ſed Ducibus & animis. Pari fortuna Dux Caſtillionæus Chalnæi Picardi Prætoris & Melleraii Mareſcalli copiis ſuffultus, in Arteſia Atrebatum arte & natura prævalidum munimentum poſt longam difficilemque obſidionem, Hiſpanis prælio devictis ac ſuccurrere præpeditis, in conſpectu Hiſpani exercitus intercepit. Auxit interim Gallorum lætitiam altera Regis proles maſcula, Philippus dictus, qui die vigeſima prima Septembris luci datus, atque Andegavenſi Ducatu patrimonii loco donatus, in Regii Patris Matrisque ſolatium ad res magnas adolevit. Sæc. XVII. A.C. 1640.

§. CXVI.

Comitia Imperii Ratisbonæ celebrata.

Inter hæc totam ferme Europam depaſcentium bellorum incendia, haud obſcura promicabat reducendæ pacis ſpes; eo fine jamjam S.R. Imperii Electores Norimbergam convenerant, & Daniæ Rex, Neoburgicus, Megapolitanus & Luneburgicus Duces, necnon Ulmenſis & Francofordienſis urbes ſuos eo ablegabant Oratores: Aderat quoque Galli Regis nomine Heſpius, quia tamen idoneam legationis ſuæ fidem *Adlzr. Annal. Boi. lib. 25. Barre Hiſt. d' Allemagn. tom. 9. pag. 732.*

Sæc. XVII. A. C. 1640.

facere non poterat, urbe excedere jussus est. Vidua quoque Hassiæ Landgravia, cum copias suas jamjam Bannerio junxisset, invitis Gallis Legatum mittere non audebat, quamvis postea se ad comitia non fuisse vocatam, questa esset. Sollicitabatur etiam Cæsareis literis Georgius Dux Brunsvico-Luneburgicus, pro quo tamen Friderici & Augusti Ducum Oratores responderunt, privatis Georgii querelis nondum fuisse satisfactum; adhucdum enim Guelferbytum Bavarico præsidio teneri, Ecclesiam Hildesheimensem in privatos usus convertere. Ducibus esse denegatum, & æris alieni a Friderico Ulrico Duce contracti solutionem Luneburgicis imponi haud posse. Brandeburgicus quoque Elector Pomeraniam sibi a Suecis inique ereptam querebatur. Cum vero horum controversiæ solo Electorum judico decidi haud possent, Cæsar omnium Ordinum Comitia Ratisbonæ indixit, urgente præprimis Urbano VIII. Papa, qui datis literis Cæsarem, Principesque Catholicos ad seria pacis consilia vehementer hortabatur: Ipsemet igitur Imperator Mense Junio Ratisbonam profectus, Suecos, Gallosque ad hæc comitia invitabat, cunctisque, prout scriptis etiam, Principibus, nondum reconciliatis ex Regum petito publicæ fi-

Londorp. t. 4. p. 865. tom. 5 p. 1. &c.

dei

dei securitatisque literas expediri curabat, ita tamen, ut Gallis Colonia, Suecis vero Lubeca vel Hamburgum ad instruendas pacis prolusiones assignaretur. Rebus ita dispositis Cæsaris nomine Guilielmus Badensis Marchio in prima Sessione proposuit, hæc comitia potissimum fieri, ut sublatis dissidiorum caussis solida tranquillitas, & animorum unio restituatur, si vero hæc desperata esset, de opportunis belli proferendi mediis consulatur, ac denique justitiæ administratio suo vigori reddatur. Postea afferebantur Luneburgicorum literæ, quibus suam cum Suecis societatem, obtenta ditiones suas amittendi formidine, apud Cæsarem excusabant; cum autem hæc defectio pessimi exempli res esset, hinc Cæsar Saxoniæ inferioris Ordines ad debitæ observantiæ studium hortabatur, simulque Imperii Electores rogabat, ut Luneburgicos & Hassos Duces a Suecorum fœdere revocare niterentur. Hac de re moniti Duces, Cæsari supplicabant, ut ipsi omnes & singuli ad comitia vocarentur, suam ibidem sententiam dicturi: Annuit Imperator, ipsisque ad comitia accedendi & recedendi facultatem, literasque securitatis prono animo concessit: Eandem quoque gratiam Electori Trevirensi adhuc Viennæ detento & Saec. XVII. A. C. 1640.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Carolo Ludovico Palatino Comiti fecit. Philippus pariter Simmeranus Friderici V Palatini Germanus Sedano reſcribens die quinta Septembris, a præteritorum motuum culpa ſe purgare intentus, in integrum reſtitui petiit: pariter Northuſienſes ſuam cum Luneburgicis conjunctionem excuſavere: ita nempe, tum nemo nocens volebat videri, aut quicquam adverſus Cæſarem vel Imperii jura peccaſſe: *Grandis*, ſubjungit Boicorum Annalium Scriptor, *grandis excuſantium confidentia, grandior clementia Cæſaris, qui cum ſubditis ſuis, iisque non ſupplicibus, ſed armatis, & qui cum publicis hoſtibus contra ipſum conſpirabant, paciſci ſuſtineret: Tanti erat ſalus publica, & in generoſiſſimo Imperatoris pectore tranquillitatis cura.*

§. CXVII.

Sinister horum comitiorum ſucceſſus.

Hac Cæſaris indulgentia ad pacis negotiationem plana via ſterni credebatur, ſed in ipſo ſtatim limine, ut inter turbidæ indolis homines fieri amat, tot ſubortæ ſunt cavillationes, jurgia & altercationes, ut ex his comitiis ægre quicquam ſalutare ſperaretur: Præprimis nonnullis diſplicuit ab Electoribus Coloniam pro Gallis, & Lubeccam

beccam pro Suecis fuisse assignatam, eoquod Reges ab Electoribus invitari, non satis ex dignitate esset, hacque ratione ipsi Reges pacem petere viderentur: Ut ergo hic quoque obex tolleretur, decretum est, agendum esse de pace per exteros, & quidem gratum fore, si summus Pontifex & Veneti apud Franciæ Regem, & Daniæ Rex apud Suecos pacis arbitrum agerent, demum vero eos, qui pacis consiliis obsisterent, communibus armis velut publicos hostes esse habendos. Præterea Protestantes hujus congressus successum præpedire moliebantur, falso spargentes, quod Episcopi numero superiores essent, ac per pensiones Hispanicas adlecti, necnon Pontificio anathemate territi Catholicis plus æquo faverent, necnon Catholici, postquam Saxo Cæsari accessisset, suffragiorum numero ceteris prævalerent, & Principum Collegia Austriacus Legatus moderaretur. Sæc. XVII. A. C. 1640.

Postmodum super militis Cæsarei hybernis ac supplendo, alendoque exercitu agebatur; horum tamen militum distributio ab Electoribus Principibusque Cæsaris arbitrio relicta est, alendis autem copiis Austriaci & Bavari Ordines centum quinquaginta, ut vocant, Menses Romanos, alii sexaginta & mi-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

& minus, Ratisbonenſes vero nonniſi duodecim, prætexta civium pauperate, adnuebant. His deliberationibus de bello totum ferme tempus abſumebatur, etſi Cæſar jam die primo Novembris monuiſſet, ut ad primum pacis negotium rediretur, nihilominus proſcriptorum Principum Oratores toti in eo erant, ut generalem amniſtiam ſeu reconciliationem pro omnibus Auſtriacæ Domus hoſtibus a Cæſare extorquerent. Verum nova tum exorta erat contentio Catholicos inter & Proteſtantes, cum hi reconciliationis gratiam ab anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, quo Fridericus Bohemiæ diadema uſurpaverat, Catholici vero a Guſtavi Adolphi irruptione ſeu anno hujus ſæculi trigeſimo inchoandam cenſuiſſent. Aucta demum fuere hæc diſſidia, dum Catholici ſua gravamina contra Proteſtantes, & hi viciſſim contra illos in comitiis propoſuere, quin hac in re quicquam decideretur, ſed hanc pacificationem in annum ſequentem producere, neceſſe eſſet.

§. CXVIII.

Turbæ in Galliis ob editionem libri, cui titulus: Optatus Gallus *exortæ.*

Poſt-

Sæc. XVII. A.C. 1640.

Postquam Richelius Cardinalis indignatione in Papam concepta Regii Senatus, ut supra memoravimus, decretum extorserat, vi cujus Romam trans Alpes aurum mitti prohibitum, atque annatas remitti aut saltem imminui, necnon nationale Concilium, in quo ipse pro Galliis eligeretur Patriarcha, congregari postulabat, ingens inde inter Cleri Gallicani Præsules, cæterosque Doctores contentio exorta est: Auxerunt turbas libelli nuper editi de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, necnon Regia declaratio circa matrimonia, qua ad eorum valorem conditiones ab Ecclesia nunquam præscriptæ requirebantur: Harum novitatum timore adactus Carolus Hersentus Sacerdos Parisiensis sub ementito *Optati Galli* nomine Paræneticum librum *de cavendo schismate ad Ecclesiæ Gallicanæ Primates, Archiepiscopos & Episcopos* hoc anno typis vulgavit, in quo contra Richelium Cardinalem insurgens, postquam necessitatem unionis cum Pontifice supremo capite ostenderat, veterem Gallorum observantiam erga Sedem Apostolicam pluribus encomiis exaggerabat, hanc vero sensim extinctum, Ecclesiamque Gallicanam brevi in schisma Anglicano simile, nisi Clerus tempestive succurrat, prolapsum iri demonstrabat.

Argentre Collect. Jud. t. 3. p. 244. & 248. Dupin Hist. Eccl. tom. 4. §. 5. Baill. tom. 2. Concil. p. 672. Vid. supra hoc libro §. 95. Alegamb. Bibl. Script. S. J. lit. M. p. 616.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

bat. Richelius Cardinalis, cum in Authoris notitiam venire haud posset, nullum non movit lapidem, ut saltem hic ipse libellus a Regio Senatu damnaretur: Id quoque pro sua, qua valebat, auctoritate mox impetravit: quocirca die vigesima tertia Martii hic liber Senatus decreto tanquam in Regem injuriosus, & seditiosus a carnifice laceratus igni adjicitur. Eundem quoque libellum Richelius a Francisco Gondio primo Parisiensi Archiepiscopo die vigesima octava ejusdem *Mensis* tanquam falsum, scandalosum, pacis publicæ destructivum, & aversionem a Rege ejusque Ministris sub obtentu timendi schismatis inspirantem damnari curavit. Huic quoque censuræ ceteri suæ Provinciæ Episcopi subscripsere. Præterea Richelii jussu quatuor Theologi, qui Optatum Gallum refellerent, fuere designati, ex quibus Pater Michael Rabardous Jesuita librum sub titulo: *Optatus Gallus de cavendo schismate, levi manu sectus* anno sequenti edidit, in quo sat inepte contendebat, occasionem schismati haud præberi, si Patriarcha in Galliis crearetur, nec ad id summi Pontificis consensus magis foret necessarius, quam ad erigendum Patriarchatum Constantinopoli aut Jerosolymis: In quo tamen hic Author gra

vite

viter hallucinabatur, cum nequidem in Oriente *legitimus* Patriarchatus ſine Pontificis conſenſu *de jure* erigi poſſet, minus ergo in Occidente, ubi Papa pro minime dubio totius Eccleſiæ Patriarcha & Capite agnoſcitur: Eapropter hujus Authoris confutatio nequidem in Gallia ab omnibus probabatur, Romæ autem anno Chriſti milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo tertio die decima octava Martii a Generali Congregatione Sacræ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis haud immerito condemnata fuit, eoquod *multas propoſitiones temerarias, ſcandaloſas, piarum aurium offenſivas, impias, Seditioſas, poteſtatis Pontificiæ deſtructivas, immunitati & libertati Eccleſiaſticæ contrarias, novatorum hæreſibus proximas, erroneas in fide & manifeſte hæreticas contineret.* Adeo de Sacerdotii & Imperii juribus utrinque ſcribere, & quid ſentiatur, publici juris facere, Viris eruditis periculoſum eſt: Obſervandum tamen, quod Clerus Gallicanus præfatum Inquiſitionis decretum, (licet alias Galli hujus tribunalis decreta parum reſpiciant) anno Domini milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo quinto die decima nona Septembris Pariſiis in Generali ſuo conventu receperit, atque ad acta retulerit.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1640.

§. CXIX.

Quædam propositiones a Sacra Facultate Theologica Parisiis notatæ.

Argentre l. c. p. 86.

Die decima sexta Junii hoc anno Robertus Constantin, patria Andinus, in Sacra Facultate Theologica Licentiatus publicas propugnabat theses, in quibus tamen Doctorum Sorbonicorum non pauci quasdam notarunt propositiones Sedis Apostolicæ auctoritati derogantes: Erant autem hæ:

I. „Ecclesia Sancta, Civitas Dei vi„ventis, mater fidelium, quibus est „suprema fidei regula, & controversia„rum judex, non vero Scriptura, cu„jus Decretis quisquis resistit, haben„dus est ut Ethnicus, & publicanus, „traditiones divinas etiam non scriptas „admittit, quibus ejus veritas solida„tur. Hinc per Scripturas Sacras vo„luntatem suam notam fecit Deus, in „quarum numero Tobiæ, Judith, Est„her, quæ Artaxerxem Longimanum „conjugem habuit, & Machabæorum „Libri sunt reponendi. Nullus fuit Cai„nan inter Arphaxad & Sale, Job in „Idumæa natus Rex fuit. Apostoli, „post conversionem, bonorum suorum „non abdicavere dominium: non licebat „Ju-

„Judæis dare uxoribus pro libitu libel- Sæc. XVII.
„lum repudii: Concilium generale uni- A.C 1640.
„verſam repræſentans Eccleſiam, ha-
„bet immediate authoritatem & infal-
„libilitatem a Deo.

II. „Fundamentum aliud non eſt in „Eccleſia, quam Chriſtus Jeſus, cujus „per hæc verba Joan. 20. paſce oves „meas: ſupra cæteros Apoſtolos firma- „tus eſt Petri Principatus, ideo Petram, „de qua loquebatur, intellige cum S. „Auguſt. fidei confeſſionem. Eccleſiæ „claves a Chriſto accepit, cum dedit „Petro & reliquis Apoſtolis, quibus „Principem eum præficiens, unam ca- „thedram conſtituit, ut Eccleſia una „monſtretur. Romana ergo Sedes, „quam Petrus fundavit, dimiſſa Antio- „chena, origo eſt & centrum Eccleſia- „ſticæ unitatis; nec, qui a Petri Ca- „thedra diſſidet, vivit catholicus. San- „ctus eſt & a Scriptura in actibus apo- „ſtolicis principium accepit, ritus eli- „gendi Epiſcopos, ex cleri ſuffragiis & „populi conſenſu: conſilium Evange- „licæ paupertatis non ſequitur, qui di- „miſſa ſuis hæreditate petit Monaſte- „rium. Marcus ex 70. Diſcipulis non „fuit „

III. „Donatio Conſtantini, & omnes „fere Pontificum Epiſtolæ usque ad „Syricium dubiæ ſunt fidei.„

Sæc. XVII. A. C. 1640.

IV. „Episcopatus fons & plenitudo „totius Hierarchicæ potestatis, in Ec„clesia unus est, & licet a singulis in „solidum pars retineatur, singulis ta„men ex officio incumbit, universæ „providere Ecclesiæ, Τη καθολη εκκ„λησιαν πιστευθηναι. Necessitatem appel„lationum, quas in majoribus & mino„ribus causis, ad Episcopum Romanum „Africana non admittebat Provincia, „ante Sardicense in tota Ecclesia igno„tam, excludebat usus formatarum, „quo fiebat, ut qui semel a proprio Epi„scopo erat excommunicatus, ab alio „recipi non posset? ex hinc vero fre„quens & in occidente, & in oriente „appellationum ad Romanam Sedem „consuetudo viguit.„

V. „Nycæno 6. Canone Decretum „est, ut jus Metropoliticum, quo per „Ægyptum, Libiam, & Pentapolim „Alexandrinus Patriarcha utebatur, a „Meletio turbatum, conservaretur, ad „normam illius, quod Episcopus Roma„nus per Ecclesias suburbicanas, quas „non totum occidentem, nec ab Urbis „Vicario, sed a loci situ sic nuncupa„veris, ut Metropolitanus obtinebat.

VI. „Penes Romanum Pontificem „est sollicitudo omnium Ecclesiarum, & „in conciliis ordinario jure præsidere. „Constantinopolitanum II. cui nec

„per

„per se, nec per Legatos præfuit, vim „tamen generalis obtinet. Provincia- „lia, quos in fide & moribus edunt, „canones obligant, ut de Africanis pa- „tet contra Novatum & Pelagium: mos „antiquus viget in Gallia, Nationalia „non convocari invito Principe. Quod „semel in Spiritu Sancto congregatum „fuit, ulteriorem confirmationem non „expectat. Synodus plenaria, in qua „sopitam Anabaptismi causſam scribit „Beatus Augustinus, Nycæna non fuit, „sed Arelatensis I. coacta Constantino „promovente ad componendum cum „Cæciliano schisma Donatistarum; quo- „rum ad pœnitentiam manus impositio- „nem, Episcopis ad se transeuntibus „adhiberi solitam, rectæ Disciplinæ Ec- „clesiasticæ contrariam Melchiades pro- „nuntiavit.„

VII. „Jure divino tenentur Episcopi „in Paræciis ut curati residere, nec „sine adulterii periculo, relicto, quem „primum habuere, Episcopatu, ad a- „liam possunt tuta conscientia, absque „gravi ratione transvolare: qui jam „præbendatus, aut simili gaudens offi- „cio, pastorale animarum beneficium „superinducere non veretur, in eadem „damnatione est, a qua sine justa causſa „nulla dispensatio poterit expedire. „Pensionum, quas vetus nescivit Ec-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

„cleſia, cauta debet eſſe creatio, nec „alias, quam ob provectam multorum „laborum reſignantis ætatem, aut per „concordiæ viam ſine peccato ab Epi„ſcopis concedi poſſunt. Beneficia ec„cleſiaſtica ambiri non poſtulant, ſed „donari Doctis ac piis, non indignis; „nec compenſationis locum tenere de„bent, ſed officii & oneris. Qui ſpi„ritualibus inhiat, ut metat tempora„lia, damnationem acquirit.„

VIII. „Qui donat, aut qui recipit „beneficium, honoris, aut commodi „cauſſa, uterque reus eſt, ſicut & qui „a peccatorum ſordibus confugit ad „Sacerdotii Dignitatem, tanquam ad „pœnitentiæ ſtatum; proximus poſt „Epiſcopum Archidiaconus, ejus ocu„lus, & aſſiduus comminiſter, plebem „ſibi ſubjectam in conſcientia tenetur „regere, animam pro anima redditurus. „Canonici, quorum inſtitutum ab Ec„cleſiæ canonibus tanquam a regula „nomen accepit, in partem Sollicitudi„nis Epiſcopalis vocati, non ſolum Pſal„modiæ vacare, ſed & verbi prædicatores „eſſe debent, & in Domini Vinea vigi„les operarii. Parochus, quos ex ſuis „ſcandalo Eccleſiam graviter offendere „videt, poſſet excommunicare.„

IX. „Monachi & Regulares, quorum „officium eſt plangere & pœnitere, in „om-

„omnibus debent esse subjecti Episco- Sæc. XVII.
„pis, qui nisi jusserint, iis hierarchica A. C. 1640.
„omnis interdicitur functio, non de-
„bent ut Dominantes in clero a Pasto-
„ris custodia maxime vero a Missis Pa-
„rochialibus, & Sacramentorum per-
„ceptione, ejus subditos avocare, sed
„humilitatem sectari, ut sint veri Ec-
„clesiæ filii, quæ est agni sponsa.„

Quoniam vero Facultas Theologica in suis comitiis Robertum ad retractandas hasce propositiones compelleret, ipse apud Cardinalem Richelium desuper questus, ipsius patrocinium implorabat, data ad eundem hac epistola die vigesima septima Junii.

„Cum summæ & prudentiæ & au-
„thoritati tuæ Ecclesiæ atque ut Regni
„Salus innitatur, ita E. C. dissen-
„sionum, quæ utrinque exoriri possunt
„arbitrum ac disceptatorem agnoscant
„omnes necesse est; quæ mihi causa
„animum dedit, ut te Supremo rerum
„moderamini, atque publicæ paci, per-
„vigili ac indefesso studio incumbentem
„audeam interpellare, præsidium tuum
„in summa, in qua nunc versor agita-
„tione, implorare. Ex more instituto-
„que Facultatis, evulgaveram nuper
„positiones aliquot ex probata recepta-
„que tot retro Sæculis majorum nostro-
„rum Doctrina collectas, quæ in eo

Sæc. XVII. A. C. 1640.

„ſpecimine ventilarentur, quod poſtre-
„mum exhibendum eſt Laureæ Docto-
„ralis Candidatis; quas cum pro mu-
„nere meo clariſſimo Syndico obtuliſ-
„ſem emendandas, ipſe eas ſemel at-
„que iterum examinatas chyrographo
„ſuo firmavit. Verum etſi id nullo
„partium ſtudio, ſed ſolo ediſcendæ ve-
„ritatis amore ductus præſtitiſſem, præ-
„ter opinionem meam factum eſt, ut
„nonnulli externæ ditionis, & exoti-
„corum dogmatum quam gallicæ liber-
„tatis ac ſplendoris ſtudioſiores, me in
„ſuſpicionem affectati erroris trahere
„conati ſint, eoquod nonnulla ad legi-
„timam regiæ poteſtatis defenſionem
„inſerueram, tabellamque meam indi-
„ſcuſſa cauſſa, meque inaudito, in
„comitiis quibusdam per inſolitam fa-
„ctionem non ex ritu ſolemni indictis,
„ſed iis data opera majore numero vo-
„catis, quos turbarum ſuarum fauto-
„res habent, præjudicata ſententia
„damnare tentaverint, quaſi Sedis a-
„poſtolicæ authoritati (cui ita me ad-
„dictum ut catholicum & theologum
„hominem decet, multæ illic conclu-
„ſiones palam profitentur) quicquam
„detractum voluiſſem Hæc rei geſtæ
„ſumma, cujus penes te, Emin. Card.
„integrum arbitrium eſt, cuique ita
„me ſubmitto, ut, ſi ex fide & veri-
„tate

„tate est, quod protuli, tuo oraculo „tuearis, si quid peccatum, censura „tua corrigas; meque in omnibus ut sincerum veritatis amatorem, tuæque dignitatis, ut par est, „obsequentissimum Cultorem ab iniquæ „hominum plus æquo suis, ac peregrinis sensibus addictorum impugnatione defendas. Hoc ab usitata Sapientia, hoc ab incredibili humanitate „tua expectat, omnique animi demissione supplex contendit. Sæc. XVII. A.C. 1640.

Cardinalis Eminentissime,
Tuæ Eminentiæ.

Devotissimus Cliens.

Ad has vero Roberti literas Richelius hæc in responsis dedit:

„Cum tuas literas accepi, jam ad nos „de tuis positionibus ortus rumor pervenerat: gaudeo me in ea, quam de „te concepi opinione, non deceptum: „credidi te nulla ratione adduci posse, „ut quidquam proferre velles, quod legitimam Pontificis authoritatem im„minueret, & Facultatis pacem inter„turbaret, id ad me missa tua Epistola „testatur. Quæ in Thesium tuarum „contextu durius quam par sit, dicta „videntur, adnotavi, in iis quid sen„tias, clarius explicabis, in problema-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

„ticis, ut libet, ſentiendum: in iis ve„ro, quæ ad veritatis definitæ quæ„ſtiones pertinent, ne recte ſentiendo „fidem ludere videamur, cautiſſime lo„quendum. Hanc ut ſerves regulam „precatur.„

Tui amantiſſimus,

Armandus
Card. de Richelieu.

Cum autem Robertus unacum ſuis literis inſuper aliud ſcriptum, in quo theſes ſuas a Facultate notatas explicabat, ad eundem Cardinalem transmiſiſſet, hinc Richelius die duodecima Julii datis ad Facultatem literis eidem ſignificabat, quod Robertum rogarit, ut mentem ſuam circa præfatas theſes aperiret, ipſe vero ſumma ſubmiſſione cunctas propoſitiones in ſenſu Catholico explicarit, proin de hoc negotio haud ultra agendum cenſeret: his expoſitis Richelius Roberti declarationes ſeu interpretationes ad Facultatis Theologicæ Decanum ac Doctores transmiſit: Hujus vero explicationis erat tenor ſequens.

„Cum evulgatis per me decima quin„ta Junii die theſibus accepiſſem, a „nonnullis alienam plane & meo ſenſui „contrariam interpretationem attribui, „hinc

„hinc quædam in his obscuriora maxi- Sæc. XVII.
„me, quæ ad sanctam Sedem apostoli- A. C. 1640.
„cam & Regulares pertinent, palam ac
„sine ambagibus enodare, & animi
„sensa aperire decrevi.„

„Atque hæc mihi primum mens
„fuit, nullam in dubium adducere ea-
„rum quæstionum, de quibus inter Ca-
„tholicos omnes convenit, & quas uni-
„versa Ecclesia amplectitur.„

„Unde & summum Pontificem a-
„gnosco, Ecclesiæ catholicæ caput,
„ejusque potestatis & Authoritatis pri-
„matum, quem in Ecclesia obtinet,
„non modo ecclesiastico, sed divino jure
„fundatum, ac stabilitum esse: confi-
„teor, verbis istis Joan. 20. *pasce oves*
„*meas*, sicut declaratum a me crede-
„bam ea positione, cujus initium est:
„*fundamentum aliud non est in Ecclesia,*
„*quam Christus Jesus:* cujus per hæc
„verba. Joan. 20. *pasce oves meas:* su-
„pra cæteros Apostolos firmatus est
„Petri Principatus.„

„Præterea vim appellationum ad
„S. Sedem apostolicam inviolabiliter,
„& per omne tempus spectasse sentio,
„nec primum introductam, eique attri-
„butam a generali concilio Sardicensi,
„sed tantum harum appellationum usum
„ante Sardicense prædictum in tota
„Ecclesia aut nullum, aut non adeo

Sæc. XVII. A. C. 1640.

„frequentem extitisse dixi, aut dicen„dum duxi.„

„Quod ad regulares spectat, eos nul„latenus vituperare intendo, qui re„licta suis hæreditate petunt Monaste„rium, sed tantum arbitratus sum, illos „non ita exacte ad literam & perfecte „Evangelicæ paupertatis consilium se„qui, quam eos, qui erogato pauperi„bus patrimonio in regularium disciplii„nam se recipiunt propter hæc verba „Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, „vade, vende, quæ habes, & da paupe„ribus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, & sequere me.*

„De cætero, quod in postrema po„sitione scripsi, sic intelligo, ut velim „eos ex regularibus, qui plebem a Pa„rochialibus Missis, & Sacramentorum „in iis perceptione avocant, peccare: „eos denique regulares, si spectentur „jure ordinario, & ex primæva insti„tutione seclusis privilegiis, subjectos „& submissos esse Episcopis.„

Huic expositioni postmodum Robertus addita alia declaratione singulas propositiones ita ad sensum Catholicum reducebat:

Propositio I. *Fundamentum aliud non est in Ecclesia, quam Christus Jesus &c.* ideo Petram, *de qua loquebatur, intelli*ge *Petri confessionem.*

„De-

„Declaro me excludere Perſonam Pe- Sæc. XVII.
„tri a ratione fundamenti & me intelli- A. C. 1640.
„gere confeſſionem ejus fuiſſe motivum,
„propter quod ſuper illo Petro fundavit
„Chriſtus Eccleſiam ſuam; unde & ſum-
„mum Pontificem agnoſco Eccleſiæ ca-
„tholicæ Caput, ejusque poteſtatis &
„authoritatis primatum, quem in Ec-
„cleſia obtinet, non modo eccleſiaſtico,
„ſed divino jure fundatum, & ſtabilitum
„eſſe confiteor verbis iſtis Joan. 20.
„paſce oves meas, per quæ verba ſu-
„pra cæteros Apoſtolos firmatus eſt
„Petri Principatus.„

II. *Eccleſia claves a Chriſto accepit, cum dedit Petro,*

„Declaro Chriſtum dediſſe imme-
„diate Petro claves, non autem Eccle-
„ſiam dediſſe Petro.„

III. *In Eccleſia unus eſt Epiſcopatus, & licet a ſingulis in ſolidum pars teneatur, ſingulis tamen ex officio incumbit univerſæ providere Eccleſiæ.*

„Declaro me ſic hanc theſin intelli-
„gere, quod ſinguli Epiſcopi in neceſſi-
„tate Eccleſiæ debent auxilium ſuum
„conferre ad ſubveniendum Eccleſiæ.
„Utpote cum aliqua hæreſis graſſatur
„in aliqua diæceſi, dormitante proprio
„Epiſcopo, debent vicini Epiſcopi,
„quantum in ipſis eſt, providere huic
„malo.„

IV.

Sæc. XVII. A.C. 1640.

IV. *Necessitatem appellationum, qua in majoribus & minoribus causis ad Episcopum Romanum Africana non admittebat Provincia, ante Sardicense in tota Ecclesia ignotam, excludebat usus formatarum.*

„Declaro jus appellationum ad S. „Sedem apostolicam inviolabiliter & per „omne tempus jure divino spectasse, „nec primum introductum, sive attri„butum a concilio Sardicensi, sed tan„tum harum appellationum usum ante „Sardicense prædictum non adeo fre„quentem extitisse.„

V. *Provincialia, quos in fide & moribus edunt Canones, obligant, ut de Africanis patet.*

„Declaro, quod prædicti Canones „obligant, & communi Ecclesiæ con„sensu & usu recipiantur, si vel a gene„rali concilio, aut a summo Pontifice „approbentur.„

VI. *Quod semel in Spiritu Sancto congregatum fuit, ulteriorem confirmationem non expectat.*

„Declaro, me per voces (semel in „Spiritu Sancto congregatum) intelli„gere celebratum consummative in Spi„ritu Sancto,„

VII. *Consilium Evangelicæ paupertatis non sequitur, qui dimissa suis hæreditate petit Monasterium.*

„De-

„Declaro, me arbitrari illos non „tam exacte ad literam, & perfecte „Evangelicæ paupertatis consilium se„qui, quam eos, qui erogato pauperi„bus patrimonio in Regularium disci„plinam se recipiunt, propter verba „Christi Matth. 19. *si vis perfectus esse, „vade, vende omnia, quæ habes, & da „pauperibus.*

Sæc. XVII. A. C. 1640.

VIII. *Monachi & Regulares debent in omnibus esse subjecti Episcopis, qui nisi justis paruerint, iis hierarchica omnis interdicitur functio.*

„Declaro, me sic intelligere, ut ve„lim eos ex regularibus, qui plebem a „parochialibus Missis, & Sacramento„rum in iis perceptione avocant, pec„care. Eos denique regulares, si spe„ctentur jure ordinario, & ex primæva „institutione, seclusis privilegiis, sub„jectos, & submissos esse Episcopis.„

§. CXX.

Catalonorum rebellio ac defectio.

Erupit tunc temporis in apertum Catalonorum desperata rebellio, cujus infausta auspicia ab Hispana Salsularum obsidione repetenda sunt; cum enim Olivarius Comes supremus Hispani Regis Minister in Richelii Cardinalis odium, hanc urbem expugnandi aviditate

Ferr. Hist. Hisp. cont. tom. 12. p. 353. §. 35. Nani Hist. Venet. l. 11. Rivol. di Catal. da Luca Assarino.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

tate flagraret, Catalonos ad militares labores vinculis ac verberibus urgeri juſſit, impoſitisque tributis, militum contuberniis, ac violatis eorum privilegiis Nobiles æque ac plebæos immaniter vexavit: Enimvero hi duos Capuccinos Bernardinum de Mamleu, & Joannem de Sardagna Madritum ablegabant, ſupplices, ut tandem ab immodicis liberarentur vexationibus: verum ad haſce querelas ſurda erat Aula, & Cataloni inſuperhabito nationis ſuæ privilegio, quo extra patriam ad militaria compelli nequirent, nihilominus contra Gallos ex ſuis popularibus ſex armatorum millia conſcripſere, quorum quamplurimi Salſulanæ obſidionis tempore peſte, cædibus, aliisque miſeriis abſumpti ſunt: Deploranda horum conditione adeo non movebatur Olivarius, ut etiam hanc Provinciam militibus Hiſpanis ad hiemandum concederet, quorum petulantia, rapinis, ſtupris, incendiis, ac cædibus Cataloni, atque ex his præcipue Barcinonenſes demum exaſperati, habito Ordinum conventu decreverunt, immunitates patrias quovis pretio tuendas eſſe. Comperto horum conſilio Olivarius hujus factionis principes capi juſſit, viciſſim vero Helenanus, Orgellenſis, & Gerundanus Epiſcopi milites, qui

qui Eccleſias deprædati fuerant, annuente ipſo Rege, anathemate percu- Sæc. XVII. A. C. 1640.
lerunt: rurſus vero Cataloni Madritum decem Viros oppido conſpicuos ablegarunt, qui captos libertati reſtitui peterent. Verum priusquam hi Madritum venerant, jamjam ſeditioni datum eſt initium; cum enim miles quidam prope arcem, cui nomen, *Dantonia Fluvia*, ab obvio ruſtico frigidam peteret, hic vero illum glande trajiceret, mox ceteri milites in rabiem acti, effractis foribus hujus arcis Dynaſtam in Templo, quo confugerat, trucidarunt. Sacrilega hac cæde velut claſſico excitati ruſtici, Italam legionem, quæ ad oppidum San-Colomnam hybernatum iverat, adoriuntur, multisque interfectis in fugam agunt: milites vero vicem repenſuri duo oppida deprædantur, ac comburunt, necnon in San-Colomnana urbe quadraginta ædes ſolo æquant. Inde vero univerſa Catalonenſis Provincia communi ſeditione exarſit: confluunt plusquam quinque conjuratorum millia, totoque furore Gerundam urbem occupant, Gubernatorem & Regios Miniſtros, quos illuc aufugiſſe noverant, in fruſta concidunt, militesque, quos ipſis caſus infauſtaque ſors in manus dederat, tanquam hæreticos, fideique proditores miſere truci-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

trucidant: Aucto demum furore Sanſolonium progrediuntur, ibidemque Mutinenſis Legionis milites promiſſa vitæ venia deceptos, noctu unaomnes interficiunt, necnon quadringentos equites, cæſis quamplurimis, Barcinonem usque in fugam agunt. Haud leve incrementum periculoſa hæc ſeditio exinde ceperat, quod civium præcipui, imo & nonnulli Provinciæ Proceres præprimis Barcinonenſes ſub Religionis vindicandæ obtentu hoſce ruſticorum auſus approbaſſent, illosque tanquam Templorum a militibus flamma, rapinis & cædibus profanatorum ultores deprædicaſſent. Horum applauſu animati ruſtici nuper a Pro-Rege captos armata vi e carceribus ſuis eripere decernunt, ac falſo perſuaſi, ſe juſtum bellum adverſus patriæ legis transgreſſores, hæreticos, ac Catholicæ Religionis hoſtes gerere, ipſum Chriſtum Dominum tanquam ſuum Belliducem ſibi eligunt, & ſupplicantium more, Chriſti Crucifixi imaginem præferentes, Barcinonenſem urbem armati ingrediuntur, captos effracto carcere liberant, in triumphum ad Cathedralem ducunt, expletoque furore nonniſi Epiſcopis, Conſulibusque impenſe rogantibus, urbe excedunt. Tandem hujus ſeditionis fama ad ipſas Regis

Regis aures pervaſerat, qui in militum licentias æque ac in ruſticorum inſultus ſevere inquiri juſſit. Sæc. XVII. A.C. 1640.

Nec tamen propterea reſedit ſeditioſorum rabies; cum enim die ſeptima Junii in feſto Corporis Chriſti plusquam ruſticorum quingenti clam armis inſtructi Barcinonem venirent, accidit, ut quidam ſatelles ex ruſtico explorans, an occulta geſtaret arma, illum poſt mutuas altercationes pugione vulneraret, mox ad læſi vociferationem concurrunt unaomnes, collectisque undique lignis Palatium Pro-Regis incendere parant, ipſumque Pro-Regem, qui tantam audaciam immiſſis copiis compeſcere nitebatur, urbe expellunt, demum, cum ab ipſo numero creſceret ſeditionis ardor, factioſi in plura diviſi agmina Regios Miniſtros aut interficiunt, aut ſpoliatis eorum ædibus fugam agunt, ipſum etiam Sant-C lomam Proregem denuo reverſum, cu in armamentarium ſuæ ſaluti conſult rus aufugeret, lapidibus obrutum mu tis vulneribus confodiunt, Regiisque a præſidiariis urbe pulſis, Proceres ceter regiarum partium aut necant, aut b nis exutos in exilium ejiciunt, ac R gis ærarium diripiunt, furore ex urb in agros effuſo. Tentabant Urbis S natores motæ ſeditionis calumniam a

Sæc. XVII. A. C. 1640.

amoliri, constituto magnæ pecuniæ præmio præprimis in eum, qui Pro-Regis ficarium proderet: Episcopi quoque & Ecclesiastici seditiosos cives, rusticosque placare satagerunt: Olivarius etiam benignior factus, Cordonæ Ducem natione Catalonum, in Pro-Regem nominabat, qui sua mansuetudine, prudentia, morumque comitate absdubio populares suos ad Regis obsequium revocasset, nisi paulopost præmatura nimis morte reddendæ pacis spem fefellisset. Eo fatis functo Provinciæ Deputati ferme omnes Cataloniam Hispani Regis imperio subducere decreverunt, atque inter eos Clarisius novæ Reipublicæ normam esse invehendam censuit, hancque in rem Franciscum Villaplanam plena agendi facultate instructum in Gallias supplicatum ablegabat, ut Rex liberam hanc Rempublicam suo patrocinio tueri vellet. Annuente Galliarum Rege, ac primo remissius novis tumultibus Victoriæ & Dertosi exortis, resistente Ægidio Garzia Manriquez Barcinonensi Episcopo, novo Pro-Rege, tandem universa Catalonia Hispani Regis jugum excussit. Incassum Papæ Nuntius, Ducissa de Cardona, & Philippus IV. Rex missis eo Legatis, crebris hortationibus, & oblata veniæ gratia seditiosos ad officium revocare satagebant,

gebant, eoquod Cataloni ab Clarisio promissis Gallorum suppetiis firmati omnem reconciliationis viam abhorrerent: interim vero armorum violentiam, quam Valesius Bellidux cum valido milite ad Cataloniæ fines emisso intentabat, simulata obsequendi voluntate, motæque rebellionis dolore perfide eluserunt simulque Ducem Andegavensem Franciæ Regis Filium nonnisi trimestrem Infantulum in Reipublicæ suæ Principem elegerunt, quo facto Ludovicus Galliarum Rex seditiosos Barcinonenses, eorumque exemplo Catalonos omnes in fidem, suumque patrocinium recepit, ac conscripto milite subsidiario Belliduces expertos rebellibus submisit. Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXI.

Lusitani Hispani Imperii jugum excutientes.

Prosperis Catalonorum successibus animati Lusitani Ulyssipone maturatam jam diu defectionem ordiuntur: Ab eo tempore, quo Sebastianus Lusitaniæ Rex in prælio a Mauris trucidatus occubuit, inter competitores ingens fervebat æmulatio, tandem vero neglecto Jacobo Bragantino Duce, Philippus II. Hispaniarum Rex ductore Alba Duce Lusi-

Vertot Hist. des revol. de Portug. pag. 44. Passerelli Bell. Lusit. pag. 364. Birago Hist. dell. rivol. di Portog.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

taniam armorum vi ſubegit, eapropter ipſe necnon Philippus III. & IV. Luſitanos non velut indigenas ſubditos, ſed gentem armis ſubactam habuere: inde vero inveterata eorum in Hiſpanos averſio, quæ indies vel ideo aucta, quod Regni Proceres, ac Nobiles a publicis officiis excluderentur, & populus ad incitas redigeretur. Poſtmodum regnante Philippo IV. Margaritha Sabauda Mantuæ Duciſſa in Luſitania Pro-Reginæ nomen gerebat, rerum autem ſummam pro ſuo arbitrio moderabatur Michael Vaſconcellus a ſolius Olivarii Ducis nutu dependens. Hic juxta Magiſtri ſui præcepta, ut Luſitanis ſeditionis bellique nervum ſuccideret, tanta inhumanitate pecunias ab eis extorſerat, ut potius militares exactiones ab hoſtibus, quam legitima tributa a ſubditis exegiſſe videretur: Solus adhucdum Hiſpanis ſuſpectus videbatur Joannes Bragantiæ Dux, qui primævo naturæ beneficio indolem ad omnes humanitatis leges compoſitam nactus, præter divitias, certumque ſucceſſionis jus in Regnum, inſuper plurimum auctoritate & affectu apud Luſitanos valebat. Hunc ergo a Luſitania evocare, ac Madritum pellicere, in primis curis habebat Olivarius, præcipue cum Eburani novis tributis exaſperati in primo indi-

indignationis ſuæ ardore Bragantinæ Domus imperium publicis votis exoptaſſent: Ut igitur Olivarius tam potentem Hiſpanæ Dominationis æmulum Luſitanis ſubduceret, primo Mediolanenſis Gubernatoris dignitatem, poſtea ſupremam Hiſpani exercitus contra Catalonos educendi Præfecturam eidem obtulit: eo autem hos laqueos vario obtentu cautius eludente, Olivarius Comes Lopezio Oſorio, qui Hiſpanæ claſſi contra Gallos in Cataloniæ opem excurrentes inſtructæ præerat, negotium dedit, ut Joannem Bragantiæ Ducem in Hiſpaniam captum abduceret: Verum Bragantino ſaluti fuit tempeſtas, qua Hiſpana claſſis a maritima Luſitaniæ ora propellebatur: Spe ergo ſua fruſtratus Olivarius alias parabat inſidias; datis igitur literis affectu & fiducia in Ducem plenis, eundem de infauſto Hiſpanæ claſſis fato certiorem reddit, rogatque, ut ipſe, cum Rex novæ claſſi inſtruendæ impar eſſet, cuncta Regni propugnacula, portusque luſtraret, ac ſubmiſſis quadraginta aureorum millibus hæc loca adverſus Gallorum incurſus valide muniret, & Luſitanam juventutem indicto delectu armis inſtrueret: ſecreto autem Olivarius Hiſpanis arcium Præfectis præceperat, ut Ducem in proximo portu caperent,

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

mox in Hiſpanias abſtrahendum. Attamen inſueta hæc Olivarii benevolentia Bragantino latentis doli ſuſpicionem ingerebat: unde Dux plena, quam ei Olivarius dederat, auctoritate contra ipſos Hiſpanos utendum ratus, pecunias ſibi ſubmiſſas ad conciliandos Nobiles, civesque, necnon ad armandos juvenes Luſitanos impendit: Jamjam ſuis conſiliis ſuffragabantur Rodericus de Cugna Ulyſſiponenſis Archiepiſcopus, aliique duodecim primæ Nobilitatis Viri, quos præprimis Joannes Pinto Ribeira, qui Duci a ſecretis erat, jam dudum Hiſpanam dominationem exoſos proxima auſpicatioris imperii ſpe lactabat, juvenibus vero, quod illos Hiſpani ſub ſpecie bellicæ expeditionis contra Catalonos, in exilium extra patriam prolectare tentarent, exponebat, cives autem & Mercatores Commercii ex Indiis ad Gades per nefas translati, damnique immenſi inde redundantis memores eſſe jubebat: denique apud Clerum violatas immunitates & jura, necnon præcipuas dignitates Eccleſiaſticas nonniſi exteris conceſſas exaggerabat. Diſpoſitis ita plurimorum animis, ſecretorum conſcii clam convenerunt habuere, in quo Archiepiſcopus cuncta ſpiritus & eloquentiæ ſuæ frænа laxare, & in Hiſpani Regis ignaviam,

viam, Olivarii & Vaſconcelli crudelitates, impoſita tributa, militumque vexationes, ceterasque patriæ calamitates pleno ſermonis impetu detonare cæpit: cum autem nil Oratore nervoſo potentius ad firmandos in cepto propoſito animos, nilque penetrabilius ad conciliandas diſſonas voluntates, ita vix credibile eſt, quo repentino inter ſe conſenſu tota gens jam dudum a veteris obſequii ſtudio aliena ad res novas inſurrexerit: Ne vero cunctatio, ſolito ſuo vitio, bene conſulta deſtrueret, tanquam in arena capto conſilio confeſtim Michael Almeida, Mendoza & Antonius Almada Joannem Bragantiæ Ducem adeunt, eidemque Luſitanum diadema offerunt. Continuo Dux Hiſpanæ potentiæ metum in populi ſui, Gallicique præſidii fiduciam vertens, applaudente Ludovica Auguſta Conjuge ſua ſceptrum acceptavit: Tum vero conjurati incredibili furore Vaſconcelli Palatium adoriuntur, cæſisque Prætorianis, diſperſisque ſatellitibus eundem multis plagis conficiunt, ac die prima Decembris aut captis aut trucidatis Hiſpanis Proceribus, necnon Margaritha Sabauda ad fines Regni deportata, Joannem IV. in Luſitaniæ Regem proclamant, cui paulopoſt non modo Ulyſſiponenſis arx & Urbs, ſed & uni-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

universa Lusitania obsequii homagium præstitit. Hæc Joanne adhuc absente agebantur: die autem sexta ejusdem Mensis comperto rei successu novus Rex Ulyssiponem ingressus, a cunctis Proceribus & populis ingenti applausu excipitur. Ita paucos intra dies non modo Lusitania ab Austriacis Hispaniæ regibus defecerat, sed etiam, quæ annexæ erant, remotissimæ Regiones, Brasilia in America, Malabaria in Asia, & quæ præterea Lusitani nominis erant, vel in Asia, aut Africa novo Regi fidem jurarunt, sola tamen Septa in Africa Hispanis remansit, aperto regibus documento, Regna levi momento sæpe ob unius Ministri sævitiam a gente in gentem transferri: tantæ enim jacturæ acerbitas omnis, & dolor ab Hispano Rege haud immerito in solum Olivarium, clientem suum in paucis charum, supremumque rerum arbitrum conjecta fuit. Ceterum prodigii loco habebatur, quod in tanta conjuratorum multitudine, quæ plerumque infida secreti custos est, tam diu agitatum consilium occultari, atque perspicacissimos Hispanorum oculos latere potuerit. Ut vero Lusitani novum Regem tueri possent, auxilia ingentemque belli apparatum copiose a Gallis Batavisque inito cum eis fœdere, acceperunt, Hispanorum crudelitatem,

tatem, avaritiam, arrogantiam, uſurpationes, & neſcio, quæ crimina plus æquo tam calamo, quam lingua ubique in primo ſeditionis proſperæ æſtu exaggerantes: ſed ſcilicet is rebellium, & deſperatorum mos priſcus eſt, inſectari ſatyris & contumeliis eos, quibus par eſſe nequeunt ſucceſſibus, omnisque ſemper potentia nimia, quantum æmulis clauſa, tantum maledicis eſſe conſuevit aperta, vociferantibus, violenter eſſe occupatum, quod valenter ſentiunt cuſtoditum. Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXII.

Caroli Regis rationes pro æquitate belli contra Scotos rebelles denuntiati.

Quamvis Puritani in Scotia primi arma contra legitimum Regem ſuum paraſſent, atque ad eorum vota pacis articulos extorſiſſent, nihilominus eo temeritatis devenere, ut ipſas concordiæ tabulas aliis verbis, quam cum Rege conveniſſent, promulgarent, & non pauca Regi injurioſa inſpergerent: quo comperto Carolus Rex depravatas haſce tabulas Londini a carnifice comburi juſſit: Inde vero aucta eſt Puritanorum indignatio, qui etiam rurſus arma capeſſunt, utque Regem ſuum eo validius *Rusworth vol. 3. p. 993. & ſeqq. Clarendon. t. 1. p. 167. Salmon hiſt. Chron. d'Angl. t. 1. pag. 213.*

Sæc. XVII A. C. 1640.

impugnare posſent, Loudenium in Gallias ſuppetias petiturum deſtinarunt, tradito eidem epiſtola, in qua Franciæ Regem Aſylum & Principum, Ordinumque oppreſſorum Sanctuarium appellitabant: attamen forte ita caſus tulit, ut hæc epiſtola a Traquerio intercepta in Regis manus incideret, qui Loudenium Londinenſi Turri includi juſſit, ac perſpecta ſui populi perfidia, cognitoque periculo adverſus hos rebelles in Senatu Anglico bellum decrevit, illiusque æquitatem hiſce *rationibus* fulciri fategit. I. Parlamentum libertate ſibi promiſſa eo usque abutebatur, ut præter Religionis, ſuorumque privilegiorum libertatem, quam *conſone ad civiles Eccleſiaſticasque leges* petiiſſent, plurima ultra leges ſtabilitas ſibi arrogarit. II. Puritani præter Jacobi Regis conventionem anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo octogeſimo initam, & a Carolo Rege approbatam, aliam erexerunt, in qua mutuum inter ſe auxilium jurato polliciti ſunt contra quoscunque, nequidem excepto Rege, cum tamen in priori conventione ejusmodi mutuum ſubſidium fuiſſet promiſſum, *ſi illud Rex præceperit.* III. A tempore inchoati Parlamenti inſcio & invito Rege copias conſcripſere, easque delectu habito ad bellum paratas eſſe

esse jusserunt. IV. Ingentem armorum apparatum contra Regem ab exteris regionibus sibi compararunt. V. Ex subditorum proventibus pro summo imperio tributa imposuere. VI. Famosos libellos contra regium Regimen per Angliam in vulgus sparserunt. VII. Edinensis arcis Gubernatori necessaria ad reparandos muros suppeditare, spreto Regis mandato renuerunt. VIII. Milites Regios pro coemenda annona ex arce in urbem descendentes, variis modis divexarunt. IX. Eandem arcem, ne illa Rex prævaleret, cinctam tenuere, variasque urbes tormentis, aliisque propugnaculis contra Regem munierunt. X. Plures Proceres, quod Regi addicti essent, carceri manciparunt. XI. Edinenses Magistratus non sine perduellionis labe, Regi suo obsequium denegarunt. Cum ergo propter has, pluresque alias causas Carolus Rex adversus rebelles subditos suos bellum denuntiare, compulsus esset, ad diem decimam tertiam Aprilis Parlamentum in Anglia convocare statuit, ut a Regni Ordinibus pecuniarum subsidia impetrare posset.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXIII.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXIII.

Senatus, seu Parlamentum a Carolo Rege in Anglia habitum.

Rapin Thoir Hist. d' Angl. t. 19. p. 631. Nalson t. 1. pag. 306.

Enimvero Thomas Wentworthus Staffordiæ Comes sponte sua ad hoc bellum viginti, & Lenoxius Dux, pluresque alii Proceres ferme quadraginta librarum millia Regi suppeditabant, Hiberni quoque Ordines quatuor, ut vocant, subsidia offerebant: ut vero ceteræ etiam Provinciæ sua quæque tributa penderent, Parlamentum convocari necesse erat: Die igitur præstituta Rex Proceribus, Nobilibus, civibusque Westmonasterii congregatis per eundem Comitem supremum Regii Sigilli Custodem pluribus exposuit, qualiter Jacobus ejus Pater Anglicam nationem ab exterorum insultibus vindicarit, Scotos & Anglos in unam gentem cum ingenti splendore, & Anglici Regni honore conjunxerit, atque in ipsos etiam Scotos beneficia, totiusque Nationis Anglicæ jura & privilegia nullo discrimine extenderit: „nunc vero, „pergebat Comes, Scoti fidei, gratitudinis & obsequii immemores, filii „Belial suis insolentiis & rebellionibus „classicum concinnunt, & cujusdam „Achitophel consilia secuti excusso Regii

„gii Imperii jugo infinitam propemodum Sæc. XVII.
„multitudinem in rebellionis ſocietatem A. C. 1640.
„ſecum rapiunt, & honores, poteſtatem,
„Regiamque auctoritatem uſurpantes,
„arma contra Unctum Domini, legiti-
„mum ac minime dubium Regem ſuum
„capeſſunt: His quidem Rex exercitum
„ſuis expenſis ac fidelium Anglorum
„ope contractum oppoſuit, non ut no-
„ceret, ſed ut eos terrore ad obſequium
„revocaret, hi vero Regio militi inſul-
„tantes audacter gladiis caput objectare
„auſi ſunt: Rex quidem probe perpen-
„dit, Puritanos ex illis eſſe, *quos nec*
„*vincere, nec vinci glorioſum fuerit*, ma-
„luit tamen, facta futuri obſequii
„fideique pollicitatione injuriarum ob-
„liviſci, quam ultionem in ſubditos
„exerrere. Quamprimum vero Rex
„Bervico redierat, luculenter patuit,
„Scotos ſimulato hoc obſequio tum
„nonniſi ad exequenda pernicioſa eo-
„rum conſilia, & ad declinandam tem-
„peſtatem eis impendentem temporis
„inducias quæſiviſſe, nunc vero exte-
„rum quoque hoſtem in rebellionis o-
„pem evocare.„ His dictis Rex præ-
fatam Loudenii epiſtolam ad Galliarum
Regem a Rotheſio, Montroſa, Mon-
gomeryo, Loudeno, Leslæo, Forre-
ſtero, & Marro Scotis Proceribus ſub-
ſcriptam exhibuit, ac prælegi juſſit,
poſtea

Sæc. XVII. A. C. 1640.

postea Windebanckium, quem a Secretis habuit, ad inferioris Curiæ Patres decrevit, ut eis exponeret, Scotorum temeritatem jam eo deveniſſe, ut non amplius controverſia agitaretur de Liturgia, vel de Epiſcopali Regimine, ſed an ipſemet Carolus ultra eorum Rex eſſet futurus, an ſecus: cum ergo, inquiebat Windebanckius, Rex tam pernicioſam rebellionem inultam transmittere non poſſet, maxime cum & illi pacem proterve nuper violaſſent, ſibi eſſe conſilium, illos bello, quando aliæ rationes compertæ fuiſſent inutiles, ad juſtas obſequii metas reducere; quam ad rem ſubſidia neceſſaria a fidelibus & amantiſſimis Angliæ ſuæ Ordinibus ſe petere inſtanter inſtantiſſime, promittens, ſe impetrato, quod ſufficeret, auxilio, Tributum navale remiſſurum, nec ullis poſtea civium deſideriis refragaturum, modo nihil ſubſidiis concedendis anteverteretur.

Attamen inferioris Curiæ Patres, quorum potiſſimi erant Puritani Scotis bene affecti, de Scotiæ turbis ac vindicanda Regis authoritate parum ſolliciti, die vigeſima ſexta Aprilis rebellium querelas de exactionibus, privilegiorum violatione, diſciplinæ Eccleſiaſticæ immutatione, tribunalis pro Anglorum Procerum delictis inquirendis

dis erecti, necnon *ſupremæ Commiſſionis* excessibus exaggerabant, petentes, ut priusquam de pecuniarum ſubſidiis ageretur, populorum querelis ſatisfieret; non enim agnoſcimus, repoſuerunt illi, conditionem, quam Regi placuit adjicere petitioni noſtræ, ſcilicet: quod ſi pecuniæ, quantum ſatis eſſet, daremus, ipſe Tributum navale remiſſurus eſſet: Satis enim conſtat, hoc nullo jure populo impoſitum, ſed per vim injuſtam eſſe extortum. Nec teneri populum Anglicanum ſubſidia contribuere in bellum, quod non bono, ſed exitio Patriæ eſt inchoatum, & quod maxime deteſtatur. Rogamus igitur potius, ut auctores impii illius belli ſupplicio afficiantur. Sæc. XVII. A. C. 1640.

Præterea, cum eis innotuiſſet, quod Rex in Loudenium judicii acta inſtruere vellet, hi Regem jam eo redactum, ut ſupremo jure haud ultra agere poſſet, compulerunt, ut hunc perfidum hominem libertati aſſereret. Ex horum petulantia Rex acerbiora metuens, Laudo Archiepiſcopo, & Thoma Wentworthio Staffordiæ Comite ſuadentibus, die decima ſexta Maij Parlamentum diſſolvit, palam tamen profeſſus, ſe non minus pro patriarum legum obſervantia fore ſollicitum, ac ſi Parlamentum eſſet congregatum. Poſtridie Rex

e Cu-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

e Curia inferiori tres Senatores, qui præcipui erant ſeditionis incentores Hothamum, Crevium, & Belaziſum cuſtodiæ dari, & Nobilis Brockii ſcrinia excuti juſſit: hac ipſa tamen ſeveritate rurſus Parlamenti jura a Rege fuiſſe violata, vociferabantur Puritani: Ediderat quoque Blagshavius libellum, quo demonſtratum ibat, Parlamenti decreta etiam diſſentientibus Epiſcopis valida eſſe, nullamque Clericis profanam competere jurisdictionem: reclamabat Rex, Cancellarius, & Cantuarienſis Archiepiſcopus, Puritani tamen Authorem amplis præmiis, & elogiis celebrabant, qui etiam die decima nona Maij in publico foro Londini ſcriptum quoddam affixerant, quo omnes artium tyronnes Archiepiſcopi Palatium ſolo æquare ſollicitabantur: Interim Clerici in ſuo Conventu ſub Synodi nomine Seſſiones, annuente Rege proſequebantur, & conditis ſeptendecim Canonibus decernebant, ut omnes Eccleſiaſtici, & Univerſitatis Doctores jurato profiterentur, quod Doctrinam „& Diſciplinam in Anglicana Eccleſia „ſtabilitam, utpote quæ cuncta ad ſa„lutem neceſſaria contineat, approba„rent, nulloque pacto ullam doctrinam „Papiſticam invehere, nec in moderno „Eccleſiæ Regimine immutationem ad„mit-

„mittere, vel hoc Regimen ſuperſtitio- Sæc. XVII.
„nibus Romani Epiſcopi ſubjicere vel- A. C. 1640.
„lent.„ Diſplicuit non paucis hæc juramenti formula, eoquod *Eccleſiaſtici* ſubditos ejusmodi juramento adſtringere auſi eſſent, hocque jurejurando Eccleſiæ diſciplinam immutandi libertatem Regi demerent, cui tamen ſoli tanquam *ſupremo Eccleſiæ Capiti* olim egregii Reformatores utramque poteſtatem adjudicarunt: ita nempe pro varia temporis rerumque viciſſitudine de ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica mercari conſuevere.

§. CXXIV.

Ipſimet Angli vario ſub obtentu Regi ſuo infenſi.

Tantus erat Scotorum Regem ſuum opprimendi ardor, ut ipſos etiam Anglos innumeris beneficiis eidem obſtrictos ad rebellionis ſuæ ſocietatem pertrahere, totis viribus adlaborarent, nec etiam animoſis eorum conatibus defuit perverſi conſilii ſucceſſus; quippe ex bellicæ ultionis metu omnem pecuniarii ſubſidii ſpem intercidere intenti, varias Angliæ urbes, ac præcipue Londinenſem ad denegandas in Scoticum bellum ſuppetias impulerunt, populumque contra Regem concitare

Toyras Hiſt. d'Angl. l.19. Clarendon tom. 1. pag. 191. Nalſon l. c. pag. 491.

Sæc. XVII. A.C. 1640.

fatagerunt; quocirca per emissarios suos in vulgus sparsere, quod Rex sua tyrannide in Scotos sibi ad æqualem contra Anglos sævitiam viam sternere, & non tam Episcopalis Ordinis studio, quam plenam Regiminis politici potestatem sibi soli arrogandi cupiditate Hierarchiam in Scotiæ Regnum invehere moliretur: His addebant, quod Rex Papismum in sua Regna revocare niteretur, cum Reginæ suæ Religione Catholicæ, Laudo Archiepiscopo, ceterisque Protestanticæ Religionis hostibus nihil denegare auderet, ac insuper Papistas, qui fidelitatis juramentum deferre recusarunt, non modo toleraret, sed etiam tanquam fidelissimos subditos protegeret, variisque beneficiis cumularet; quinimo palam Rossetо Comiti, qui Londini Papæ negotia procurabat, instigante & favente Regina permiserit, ut sine ulla dissimulatione aulam cum splendido comitatu adiret, atque in suis ædibus tanquam communi asylo Catholicis conveniendi copiam faceret: ac præterea Papistæ horum patrocinio suffulti ad tantam proruperint temeritatem, ut publice & turmatim Londini ad suas Ecclesias, perinde acsi Senatus auctoritate essent munitæ, confluxerint. His aliisque suspicionibus, calumniis & querelis

Scoti

Scoti populo Anglicano averſionem contra Regem ſuum inſtillare, totis viribus nitebantur: exin vero ipſemet Rex haud obſcure cognoſcere poterat, quod ex Anglis nonniſi pauciſſimi in bellicam expeditionem contra Scotos lubenti animo pecuniarum ſubſidia ſuppeditaturi, minus vero arma capeſſere, parati eſſent. Sæc. XVII. A C. 1640.

§. CXXV.

Regis exercitus a rebellibus Scotis profligatus.

Tandem Rex ad eam redigebatur neceſſitatem, ut rebelles Scotos armorum vi ad obſequium revocare cogeretur: die igitur trigeſima Julii viginti armatorum millia, ductore Northumberlando Comite, in aciem eduxit; militabant ſub Regis vexillo potiſſimum Hiberni & Catholici, quos Religionis ſuæ ſanctitas in Regis ſui fide immotos tenebat. Attamen Conwayum Comitem Regii Equitatus Præfectum jamjam prævenerat Leslæus, qui a Batavis Gallisque omni bellico apparatu, pecuniisque largiter inſtructus die vigeſima Auguſti, qua Rex Londino Eboracum contenderat, cum viginti duobus Scotorum millibus in Angliam irrupit, ac die vigeſima ſeptima

Salmon hiſt. d' Angl. l. c. Puſendoff Introd. a l' Hiſt. t. 4. pag. 79.

Sæc. XVII A.C. 1640. ejusdem Menſis Neoburriæ caſtra poſuit, Tynam fluvium trajecturus: nihilominus Conwayius inſtructo milite, & compoſito ad inhibendum tranſitum agmine occurrit, committitur prælium, & ut plerumque in civilibus bellis fieri amat, primum rebellibus fortuna favit, quippe cæſis regiorum ferme quadringentis Conwayius, Dunhelmum usque aufugere, ac Neocaſtrum bellico apparatu & annona inſtructiſſimum hoſti cedere compulſus eſt; Hac ſuorum clade territus Rex, die prima Septembris rebellibus ſubditis ſuis veniam obtulit, dummodo poſitis armis ſeſe ſubjicerent, obſtinatos autem Scotos, eoquod ſub tuendæ Religionis obtentu Regiam auctoritatem abolere molirentur, perduellionis reos ac rebelles, publico edicto declaravit. Verum Scoti nec minis territi, nec Regis clementia placati, Northumberlandiam, & Dunhelmenſem Epiſcopatum exactionibus & rapinis exhauſerunt, ipſumque Regem Eboracum usque aufugere coegerunt: nec his contenti, inſuper duo edicta (*) promulga-

(*) Primi edicti titulus erat: *Sex rationes, quibus Scotorum irruptio in Angliam vindicatur*: alterum ita inſcribebatur: *Scotorum, ſuique exercitus innovationes ſuis in Anglia fratribus expoſitæ.*

mulgarunt, in quibus audacter declarabant, quod Rex pacem violarit, ipsi vero arma nequaquam in Regnum vertere cogitarint, sed unice se suaque contra juratos hostes suos, nominatim Stasordiæ Comitem, & Cantuariensem Archiepiscopum defendere, intenderint, præcipue cum propter commercii libertatem terra marique interciſam, proximam ruinam prævertere cogerentur: hujus vero sinceræ intentionis suæ testem ipsum Deum invocabant, omnia sacra profanaque conteſtati, ac insuper fidem suam jurantes, ac dejerantes, perinde acsi perfidiæ suæ sat ponderis non fuisset, nisi perjurio suo Numen etiam & superos involvissent. Postea Anglos ad parem seditionem sollicitabant, eoquod non minus Anglorum, quam Scotorum libertates a Rege invaderentur. Denique ad ipsum Regem die octava Septembris literas dederunt, in quibus petebant. I. Ut Scotiæ Parlamentum, & Synodi decreta Edini stabilita, rata haberet. II. Edinensi arce, aliisque Scotiæ propugnaculis duntaxat ad Regni defensionem uteretur. III. Scotos ob subscriptam conventionem nulla pœna nec juramentis aut subscriptione Regni legibus contraria gravaret. IV. Regios horum motuum incentores severe puniret.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

niret. V. Navigia Scotis erepta una cum mercibus reſtitueret, illataque damna reſarciret. VI. Edictum, quo Scoti tanquam rebelles declarati fuiſſent, revocaret, ſuosque milites ex finitimis arcibus educeret, necon liberum commercium Anglos inter & Scotos reſtitueret.

§. CXXVI.

Carolus Rex Parlamentum convocare compulſus.

Rusworth. Vol. III. p. 1263. Nalſon t. 1. pag. 435. Calmet Hiſt. Univ. p. 422.

Haud parum ad extremam Regis perniciem conferebant Scotorum ſollicitationes, quibus Anglos, & præcipue Londinenſes ad ſuas partes pertraxere: Hi enim non modo Scotis centies mille Sterlingorum libras ad alendos milites ſuppeditabant, ſed inſuper quosdam Eboracum ad Regem ablegare auſi ſunt, qui de impoſitis tributis, variis in Religione innovationibus, juramentis, Canonibus, Catholicorum Londini agentium frequentia, quorumdam civium incarceratione, repentina Parlamentorum diſſolutione, commercii imminutione, militum præcipue Hibernorum exactionibus aliisque populi oppreſſionibus apud Regem quererentur, ſimulque peterent, ut Rex his malis remedium opponeret, & confeſtim

stim Parlamentum convocaret, in quo harum calamitatum Authores punirentur, bellumque sine sanguinis effusione finiri posset. Ad horum postulata Rex hæc respondit: „Prius quam vos mihi „vestras querelas exposuistis, jam præ„vidi periculum, quod mihi meoque „Sceptro imminet, ac propterea cun„ctos Regni Proceres ad vigesimam „quartam Septembris diem Eboracum „convocare statui, cum illis, quid in „præsenti rerum statu ad honoris mei „conservationem, Regnique securita„tem magis conferat, consulturus: vo„bis quoque, ceterisque suas sententias „desuper edicere, liberrimum erit:„ Porro in hoc Procerum conventu Rex contracti exercitus causas, rationesque exposuit, & Londinensium postulata examinans ostendit, eorum quædam præcipuas Scotici Regni leges evertere, alia Regiis prærogativis adversari, Regisque proventibus damna inferre, ac denique ipsis etiam subditis nociva esse: tandem vero Rex Eboracensis Provinciæ Proceres hortabatur, ut bimestre stipendium regiis militibus solverent; annuere Proceres, supplices tamen, ut Rex cum Scotis pacem iniret, & Parlamentum convocaret. Igitur ad horum preces Carolus ad diem tertiam Novembris Parlamentum Eboraci

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

raci celebrandum indixit, ac ſexdecim Proceres deſignavit, qui die prima Octobris Rhidogoni prævie cum Scotiæ Deputatis de pace agere inciperent, ubi tamen die decima ſexta ejusdem Menſis nonniſi de alendo Scotorum exercitu, nequaquam de induciis, minus vero de pace actum: præterea Scoti Eboracum venire recuſabant, cauſſati, ſuorum ſecuritati ibidem ob Stafordiæ Comitis ac Hiberni Pro-Regis præſentiam haud ſatis conſultum fore: ceſſit eorum importunitati Rex, Angli vero Proceres inſtigantibus Scotis rurſus inſtabant, ut Rex pacis conſultationem Rhidogono Londinum transferret: denuo annuit Rex, quamvis haud ignoraret, quod Londinenſes cunctis, quæ Parlamentum in Regiæ auctoritatis decrementum eſſet decreturum, absdubio ſint ſuffragaturi, & Scoti in ea urbe tam ex civibus, quam Parlamenti Senatoribus præcipuos ſibi oppido propenſos, proin Regi infenſiſſimos haberent: unde etiam accidit, quod Angli Proceres Scotos ad continuandum bellum incitarent, atque ad id ſingulis diebus præter octingenta quinquaginta ſterlini libras, quicquid ad belli uſus erat neceſſarium, eis abunde ſuppeditarent, mallentque rebellibus, quam Regi hæc ſubſidia toties tamque demiſſe

misse petita concedere, ut ad Parlamenti defensionem paratas contra Regem copias haberent. Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXVII.

Anglorum Scotorumque violentiæ contra Carolum Regem suum.

Intempestiva hac Regis indulgentia Angli efferatiores effecti, primas eo curas intenderunt, ut Regiam auctoritatem penitus deprimerent: præprimis igitur die quinta Novembris Carolum Regem adegerunt, ut rebellibus subditis suis recens bello parta tanquam jure vindicata relinqueret, nilque hostile adversus eos ageret, nec Parlamentum Londini inchoatum dissolveret, nisi prius omnes turbarum Auctores puniti, atque irrepentes corruptelæ fuissent sublatæ, verbo, Rex consentire cogebatur, ut hi Parlamentum suum, quamdiu eis libuerit, prorogare valerent: postea aliam Regiminis normam pro summo imperio invehentes, Regis auctoritatem ferme ad nudum nomen restrinxerunt, exauctoratisque Episcopis Catholicos omni calamitatum genere divexarunt, eosque intra decem ab urbe leucas prohibuere, necnon Sacerdotes ad pœnas ab Elisabetha Regina sancitas revocarunt: Insuper Par- *Puffendorff & Salmon l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1640.

lamentum, ut auctoritatis sibi arrogatæ specimen daret, simulque Regis patientiam exerceret, Stafordiæ Comitem, fidelissimum Regis clientem in jus vocat, eumque de perduellione inique accusatum die quinta Decembris Londinensi Turri captum includit, simulque Laudum Cantuariensem Archiepiscopum in carceres conjici jubet. Inde vero Curiæ inferioris Senatores audacia & petulantia crescere cæperunt, ac Londinensi populo in Regem concitato contra novam Ecclesiæ disciplinam ritusque reclamarunt, & Prynneum, Burtonum, & Bostwichum juratos Regis hostes ab eodem in exilium depulsos, velut in triumphum ovantes Londinum revocarunt, eisque plenam suos inimicos insequendi facultatem concessere: die autem decima septima Decembris omnia tributa a Rege imposita tanquam illegitima suppresserunt, eidemque jus vectigalium ademerunt, condito decreto statuentes, quod Clerici deinceps nullos Canones condere valerent ac, nuper conditi utpote ad seditionem tendentes nec a Laicis nec Clericis essent servandi, Clericorum vero Synodus cunctis Regni & Ecclesiæ legibus adversaretur, proin subsidia ibidem Regi promissa omnino essent irrita: demum Catholicis inhibuerunt, ne Reverentiam

rentiam nomini Jesu exhiberent, nec ad lectionem Evangelii surgerent, minus vero imagines Deiparæ in Templis exponerent: quarto autem post die Penningtonus Senator libellum supplicem a quindecim seditiosorum millibus subscriptum Parlamento exhibuit, horumque nomine Episcopatum, & Liturgiam penitus aboleri, ac extirpari petiit: Denique tam superioris quam inferioris Curiæ Senatores, prævalentibus suffragiis eorum, qui Scoticarum partium erant, absque ullo Regiæ dignitatis respectu, in speciem, ne populi opprimerentur, nec Religio læderetur, reipsa autem ut Regem suum auctoritate, Regno, vitaque spoliarent, & Catholicos exscinderent, omnes divinas, humanasque leges pessumdare non erubuerunt. Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXVIII.

Lusitani omnesque Europæi a Japonia in perpetuum excluſi.

Jam ab anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo septimo Catholici in Japonia a Christiani nominis hostibus graves pertulerunt vexationes: nihilominus tamen Viri Apostolici, quos Lusitani Mercatores navibus suis in hoc Regnum sæpe invexerant, tanto proventu *Kæmpfer Hist. du Japon. t. 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1640.

ventu Patrum doctrinam (ita Japones Religionem Romano-Catholicam appellitabant) propagarunt, ut in unico anno, vigeſies mille quingentis ſeptuaginta Martyrio affectis, clauſisque jamjam Chriſtianorum templis, nihilominus plusquam duodecim millia, atque inter eos ipſemet Imperator Fide-Jorius unacum potiſſimis ex ſuis Aulicis, Tribunis & militibus fidem Catholicam amplecterentur. Poſtquam vere Hollandi uberrimo, quem Luſitani ex Japonico commercio hauſerant, proventu pellecti, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo, firmam Sedem primo in Firanda Inſula & poſtea Nagaſaki fixerant, ac demum undecimo poſt anno a Japonum Cæſare plenam negotiandi libertatem obtinuerant, nil intentatum inauſumque reliquere, ut omnibus Luſitanis, Hiſpanisque ex Japonia depulſis ipſi ſoli in hoc Regno mercaturam agere poſſent. Peropportune eis accidit Bonziorum averſio, ac inde in Imperatorem Japonicum derivata in Catholicos indignatio; quam Hollandi ſparſis in Luſitanos calumniis egregie auxerant, cum enim eo tempore, excuſſo Hiſpaniæ & Luſitaniæ Regis jugo, tanquam rebelles armis opprimerentur, vindicandi animo, Luſitanos ſupplantare, eisque omnem commercii copiam per fas

fas nefasque intercidere, decreverunt: Nec calamus est, neque sermo, qui possit omnes illorum dolos, calumnias, insidiasque comprehendere, ut taceam secretas ipsorum machinationes, quibus se cunctas merces, quas hucusque Lusitani in Japoniam intulissent, leviori pretio advecturos, Imperatori pollicebantur, insuper, & quod horrendum dictu, ut cum Christianæ Religionis contemptu, & Christiani sanguinis dispendio Japonicum aurum aucuparentur, comminisci haud dubitarunt, Lusitana navi prope Bonæ spei promontorium intercepta, se epistolam ad Lusitaniæ Regem a quodam Mauro Japone quidem, Catholicis tamen addictissimo scriptam inveniisse, ac per eam Christianorum conspirationem adversus Japoniæ Imperatorem detexisse. Suppositias has literas mox Hollandi Firandinæ Insulæ Principi, conductitio Hollandorum fautori exhibuere, quibus nulla mora ad Nagasaki Gubernatorem transmissis, Maurus, ceterique Lusitani omnes in vincula conjiciuntur, utque crimen, quod nunquam cogitarunt, faterentur, omni tormentorum genere torquentur, & quamvis ipse Gubernator de captivorum innocentia testaretur, prævalente tamen odio contra Catholicos concepto, Maurus palo alligatus, vivus

Sæc. XVII. A.C. 1640.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

vivus comburitur, omnibusque Christianis (exceptis Hollandis) Japoniæ Regnum occlusum, & Japonibus Regno exire interdictum est, promulgato hanc in rem edicto, cujus præcipui articuli erant sequentes.

I. Nec ullum navigium, nec ullus ex Japonibus indicta mortis pœna Regno exeat, pariter Japones ad Regnum reversi morte plectantur.

II. Quicunque Sacerdotem vel Christianum manifestarit, quinquenta Sterlingicorum nummum libras in præmium accipiat.

III. Omnes, qui Christianorum Religionem propagaverint, aut infame hoc nomen portaverint, in carceres conjiciantur.

IV. Tota gens Lusitana, Matres, nutrices, eisque adhærentes exilio mulctentur, Amacoumum deportandi.

V. Quicunque literas ex regionibus exteris inferre, aut post exilium in Regnum reverti ausi fuerint, unacum tota familia sua omnibusque illis, qui pro ejus vita deprecari præsumpserint, morte afficiantur.

VI. Nec Nobilis, nec miles quicquam ab extero emere permittatur &c. Datum anno Regni nostri decimo tertio Quanie decimæ nonæ in quinto Mense.

Pro-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Promulgato hoc edicto Hollandi, ne pro Christianis habiti, jacturam sui commercii facerent, nec orationibus vacabant, nec Psalmos pro more suo cantabant, omnibusque Christianæ Religionis actibus abstinebant; dum vero eisdem Japones exprobrabant, quod æque ac Lusitani in Christum Dominum crederent, se Hollandos, non vero ejusdem Religionis cum Lusitanis esse responderunt: (*) quinimo, ut Christiani nominis hostes crederentur, proin ex aurifero hoc Regno non ejicerentur, anno hujus sæculi trigesimo octavo ad obsidendam Simabaram urbem, necnon ad trucidanda multa millia Christianorum, qui desperatione, ac tormentorum metu ad hanc urbem confugerant, Japonibus operam, vires & arma junxerunt. Nondum tamen Lusitani omnem commercii, Religionisque profitendæ spem abjecerant; quocirca hoc anno duos Oratores unacum septuaginta tribus Nobilibus supplicatum ad Imperatorem ablegarunt: verum

(*) Dum Michael Sandwortus, Hollandus, facto naufragio cum suis sociis Nagasakium veniffet, a Japonum Inquisitoribus interrogatus, an Christianus esset, vel non? audaciter respondit: *quid Christiani, Christiani? nos Hollandi sumus.*

Sæc. XVII. A.C. 1640.

rum hi in Nagasakiensi portu in vincula conjecti, violato gentium jure, ex Imperatoris mandato capite plexi sunt, exceptis duodecim eorum famulis, quos, ut suis popularibus funestum hujus legationis successum enarrarent, Imperator Amacoumum deduci, ac sacrilega temeritate Hispanis nuntiari jussit, quod si ipsemet Lusitaniæ Rex, imo ipse etiam Christianorum Deus in Japoniam pedem inferre præsumeret, parem cum Lusitanis Oratoribus sortem subiturus esset, Ita demum hoc anno omnibus Europæis perpetuum exilium, plusquam bis centies mille Catholicis acerbissima mors, simulque ultimum Religioni Christianæ exterminium in Japonia per Hollandorum invidiam, avaritiam, & infidelitatem fuit irrogatum: Eodem quoque anno Hollandiæ Ordines Philippum Rovenium Ultrajectinum Archiepiscopum patria exulare jusserunt.

§. CXXIX.

Josuæ Placæi hæresis de Peccato originali.

Jæger. hist. Eccl. l. 9. cap. 5.

Haud leves tumultus in Calviniana Synagoga excitavit Josua Placæus Salmurienſis Præco, dum hoc anno publicæ disputationi exposuerat Theses de

de ſtatu hominis lapſi ante gratiam; in his enim de peccato originali agens, illud negata imputatione primi peccati Adæ, duntaxat in habituali, ſubjecta, & inhærente corruptione conſtituit: Præterfluxerat integrum quinquennium, quin Academiæ Senatus, aut naſutiſſimi Præcones, ſeu, ut vocant, *Presbyterium*, vel ulla alia Synodus Provincialis, hujus doctrinæ fœtorem paſſim diffuſum ſubodorati fuiſſent: tandem vero Antonius Gariſſolius, Andreas Rivetus, Carolus Daubuz, aliique Prædicantes Galli & Hollandi tanta animorum contentione inſurrexerunt, ut ad componendam hanc controverſiam Pſeudo-Synodus Nationalis Carentonii in Galliis quinto poſt anno fuerit convocata, in qua Placæi doctrina damnata eſt edito decreto ſequenti: „Cum relatum fuiſſet ad Synodum, „Scripta quædam, alia typis evulgata, „alia manu exarata prodiiſſe, quæ to„tam rationem peccati originalis ſola „corruptione hæreditaria in omnibus „hominibus inhærente definiunt, & „primi peccati Adæ imputationem ne„gant; damnavit Synodus doctrinam „hujusmodi, quatenus peccati Origina„lis naturam ad corruptionem hæredi„tariam poſterorum Adæ ita reſtringit, „ut imputationem excludat primi illius

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Apolog. in expl. & defenſ. decret. Carent. Boſſuet. Hiſt. var. tom. 2. p. mihi 284. Aymon Synod. Nat. t. 2. p. 680. & 750.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

„peccati, quo lapsus est Adam; adeo„que censuris omnibus subjiciendos cen„suit Pastores, Professores, & quos„cunque alios, qui in hujus Quæstio„nis disceptatione a communi Senten„tia recesserint Ecclesiarum Protestan„tium, quæ omnes hactenus & corru„ptionem illam & imputationem hanc „in omnes Adami posteros descenden„tem agnoverunt. Sed & illud eadem „Synodus omnibus colloquiis & Syno„dis Provincialibus injungit, ut quos „Theologiæ candidatos ad Sacrum Mi„nisterium evehendos curaverint, ii „jubeantur huic decreto chirographum „suum subscribere.„

Non modo hoc decretum, sed ipsa etiam agendi ratio, quam Calviniana hæc Pseudo - Synodus tenuit, variis censuris mox perstringebatur, ac præprimis inter plures alios nævos vitio vertebatur, quod hæc Synodus Nationalis hanc doctrinam damnare sit ausa, cum tamen in ipsis Calvinistarum Synodis immota lege cautum fuisset, ne Synodus *Nationalis* doctrinales accusationes in *Provincialibus* Synodis nondum examinatas admitteret: Præterea hæc Synodus de partium studio, præcipiti judicio, falsaque prudentia arguebatur, eoquod Placæum nec citatum nec auditum damnasset, totumque negotium

gotium tam arduum in unica expedi- Sæc. XVII.
visset sessione, in qua Gariffolius capi- A.C. 1640.
talis Placæi hostis simul Præsidis & accusatoris vices obibat: nec etiam defuere Prædicantes, qui hoc decretum tanquam novum, non necessarium, nimis festinanter, re haud satis pensata Synodisque Provincialibus inconsultis editum, imo Verbo Dei minus consonum rejecerunt: necnon ipsa Pseudo-Synodus Juliodunensis postea An. 1659. hoc ipsum decretum immutavit. Inde autem elucet, quam apta sint ad definiendos *fidei* articulos damnandosque errores Calvinianæ Synodi suprema judicia, quibus salva Ecclesiæ communione, quivis pro suo genio impune ac libere obluctari potest: sicut etiam Calvinistarum non pauci post Carentonense decretum, imputationem primi peccati tanquam erroneam libere & impune damnarunt, & quamvis Genevenses, quod *imputatio peccati Adami antecedat corruptionem*, anno hujus sæculi septuagesimo quinto tanquam novum articulum suæ fidei decreto sub annum ejusdem sæculi quadragesimum nonum additum definierint, eundemque ab omnibus docentibus & discentibus, nisi Ministerio omnique functione Ecclesiastica privari velint, subscribi petierint, nihilominus quidam Calviniani Præco-

Sæc. XVII. A. C. 1640.

nes, atque inter eos præcipue Joannes Claudius maximæ inter ſuos auctoritatis Præco adverſus hanc definitionem acriter declamavit, eoquod *non eſſet permiſſum adjungere Confeſſionibus novos fidei articulos*, cum non ageretur de ſola diſciplina, quæ mutari poſſet, *ſed de punctis doctrinæ ex natura ſua immutabilibus*, proin ejusmodi fidei novæ fabricatores *ſeipſos Deum conſtituerent, & unitatem ſcinderent cum Eccleſiis Galliæ, Angliæ, Germaniæ, Poloniæ &c.* Poſtea idem Claudius de Genevenſibus hiſce Papis graviter queſtus, quod hujus articuli ſubſcriptionem *inaudita ſeveritate exegerint, atque etiam illos, qui alibi miniſtraturi, vocationis duntaxat recipiendæ gratia Genevam veniſſent, imo & Paſtores dudum in Miniſterio conſtitutos ad ſubſcribendum coegerint*, tandem concludit: *hac ratione Genevenſes damnant ſeipſos, ai ſi hactenus pacem injuſtam coluiſſent cum iis, quibus bellum declarare oportuiſſet.* Egregia ſane fidei unitas, puritas, ac Calviniani Judicis ſupremi auctoritas! Verum Calviniſtæ, juxta Juriei Magiſtri ſui edictum, *Eccleſias ſuas Corpori Eccleſiæ Chriſtianæ jamjam unitas* credunt, *eo ipſo, quod IN ALIQUIBUS dogmatibus conveniant, etſi inter ſe ſchismata habeant usque ad nudatos acinaces.*

§. CXXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1640.

§. CXXX.

Principum, aliorumque Illuſtrium obitus.

Hoc item anno Amurates IV. Turcarum Imperator in medio victoriarum curſu, ætatis flore, ſummoque crudelitatis furore Conſtantinopoli ſubitanea morte interceptus eſt. Hic ſub primis Regiminis ſui auſpiciis continuos Janiſſarorum ſeditiones integro ſanguinis diluvio reſtrinxerat, domitisque Perſis, ac trucidatis ſuorum quamplurimis Chriſtianum nomen exterminare paraverat: cum vero apud neo-electum Vizirium intemperantius veneri litaſſet, ſeque vino & aqua viva ingurgitaſſet, ex crapula die octava Februarii periit. Succeſſit eidem Frater ſuus Ibraimus annos natus duodetriginta, qui ſolus ex tribus Fratribus ſuis, quos Amurathes hoc adhuc anno, ut totam ſtirpem Ottomanicam exſcinderet, ſtrangulari juſſit, non quidem carcerem, truculentas tamen fratris ſui manus evaſerat, eoquod illum mente captum, ac conjugii impotentem credidiſſet. Obiit eodem ferme tempore Schah-Sophi Perſarum Rex duobus relictis Filiis, alio ſeptenni, qui Patri ſucceſſit, altero quadrimo. Mors ejus tam læta

Sagredo Mem. Iſtor. l. 13. p. 731.

Sæc. XVII. A.C 1640.

Turcis, quam Perſis luctuoſa exſtitit; animi enim fortitudine, bellique experientia parem Perſæ cernere deſperabant. Magis adhuc funeſtus fluxerat Bavaris idem annus; poſtquam enim die decima ſeptima Aprilis annuente ſummo Pontifice, & ſuffragantibus cunctis Canonicis Albertus Sigismundus Bavariæ Dux ac Maximiliani Electoris Nepos in Friſingenſem Coadjutorem electus fuerat, in medio geſtientis lætitiæ curſu mox ſucceſſit ingens luctus non modo ex periculoſo Maximiliani morbo, ſed præcipue ex nimis præmaturo funere Caroli item Bavariæ Ducis, Alberti Fratris natu majoris, qui die vigeſima Maij Monachii vivere deſiit. Erat is optimæ ſpei Princeps, totque virtutibus inſignis, ut dubium relinqueret, an natalium ſplendorem probitas, vel natales probitatem magis exornarint. Præterea die vigeſima prima Novembris anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto apud Regio-montem in Boruſſia deceſſit Georgius Guilielmus Elector Brandeburgicus, qui ſucceſſorem habuit Filium ſuum Fridericum Guilielmum.

§. CXXXI.

Sæc. XVII.
A.C. 1640.

§. CXXXI.

Variæ Urbani VIII. Pontificis Maximi Conſtitutiones.

Inter varias Conſtitutiones, quas Urbanus VIII. Papa hoc anno edidit, præcipuæ ſunt ſequentes: ſtatuit primo die octava Februarii, quod Fratres Minores Conventuales, cum vere Mendicantes ſint, ab Ordinariis locorum, ſeu aliis Regularibus prohiberi nequeant, quominus per ſe ipſos in locis, ubi Conventus habent, eleemoſynas quærant. Quoniam vero quidam Religioſi ex Congregatione Scholarum piarum contra ſuam profeſſionem eo obtentu reclamarint, quod norma a præfatæ Congregationis Conſtitutionibus præſcripta non fuerit obſervata, hinc Papa die vigeſima ſecunda Octobris declaravit, ejusmodi Religioſos non eſſe audiendos, maxime poſt quinquennium, ac inſuper omnes Religioſos reclamantes, qui Profeſſionem ante vigeſimum primum annum emiſerunt, veros eſſe Clericos. Die autem decima tertia Martii idem Pontifex vetuit, ne nova loca ſub titulo *de Propaganda fide* impoſterum ubique temere, & inconſulta Sede Apoſtolica erigerentur. Præterea die vigeſima tertia Auguſti electionem

Bull. Magn. Urb. VIII. Conſt. 256.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

S. Dominici in civitatis Regnique Neapolitani Patronum confirmabat, ratamque habebat declarationem Constitutionis Clementis VIII. Papæ de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta.

§. CXXXII.

Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.

Decis. Rot. S. Congr. Ind. Episc. & rit.

Motis subinde variis dubiis circa Ecclesiæ ritus vel Sacramentorum administrationem Sacræ Congregationes Romanæ varias etiam edidere decisiones, & primo quidem die vigesima Aprilis declaratum, quod absolutio concessa cum conditione, *refectis expensis*, impediri non valeat illarum obtentu, si de expensis non constat: ejusdem vero Mensis die vigesima octava S. Rituum Congregatio rursus decidit, quod Regularibus non liceat instituere supplicationes extra claustra, vel publice Sacramentum sine expressa Ordinarii licentia exponere. Sacra autem Concilii Congregatio die vigesima sexta Maij declaravit, quod Episcopi etiam inconsultis Superioribus possint visitare Monialium Monasteria Regularibus subjecta, etiam assumpto Vicario Generali, & Confessario earumdem Monialium.

lium. Die autem decima septima Augusti Congregatio Episcoporum decrevit, quod Prælatus nullius Diœcesis, & Vicarius Apostolicus, si non sint Episcopi consecrati, advocare debeant Episcopum vicinum pro administrando Confirmationis Sacramento: Declaravit quoque die decima Julii Sacra Congregatio, quod Commissarius Nuntii Apostolici a censuris absolvere nequeat: moto autem dubio, an illi, qui in privatis Episcoporum Oratoriis Sacrificio Missæ intersunt, etsi sint extranei, quando in eis Episcopi celebrant, Ecclesiæ præcepto satisfaciant? Sacra Concilii Congregatio die vigesima secunda Septembris affirmando respondit. Insuper Sacra Rituum Congregatio die sexta Octobris præcepit, ut solemnes functiones, quas per seipsum, si præsens esset, Episcopus obiret, eo absente vel impedito, prima dignitas, quocunque demum nomine appelletur, obeat. Denique trigesima ejusdem Mensis die Episcoporum & Regularium Congregatio decidit, quod Episcopus Curato inhibere nequeat, ne administret Viaticum infirmis sine sua licentia.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXXIII.

Pretiosa mors S. Petri Forerii.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Bedel. vita Petr. Forer. Heliot. Hist. des Ord. Reg. tom. 2. pag. 419. Calmet Hist. de Lorrain. tom. 3. l. 33. pag 150.

Haud immerito inter Viros sanctitate ac Religionis studio conspicuos præcipuum sibi locum vendicat Petrus Forerius, qui Mirecuriæ in Lotharingia die trigesima Novembris anno prioris sæculi sexagesimo quinto potius cælo, quam mundo natus videbatur, quippe ab ipso ortus sui momento indolem ad virtutum exercitia docilem exhibuit, Numenque neque puer vel leviter irritare, neque adolescens in vindictam provocare ausus est, demum latino, græcoque idiomate in Academia Mussipontana instructus, tanta morum gravitate eminuit, ut ejus Magistri obstupescerent, in hoc parvulo Tobia nil puerilis levitatis reperiri. Numerabat annos ætatis viginti, quando emenso Philosophiæ stadio in Abbatia *Chamousey* appellata, Canonicorum Regularium Ordini sese associabat, & Mussipontum reversus, maximo cum profectu Theologiæ operam navabat. Nec tamen deerant Petro graves admodum vexationes virtutum pedissequæ; tres enim moribus depravati juvenes, cum vitia sua virtutum ejus splendore perstringi dolerent, contumeliis, cavillationibus, ac subinde verberibus immixtoque leguminibus veneno, atque omnis generis injuriis Petrum afficere certabant, quibus tamen omnibus ferrea

rea patientia superatis, tandem Petrus trigesimo ætatis anno Matincurienſem Parochiam adeptus eſt, ubi ardentiſſimo animarum Zelo gregem ſuum Divini Verbi pabulo indefeſſe reficiens, cum mentes pertinaciter invitas nonniſi difficulter nudis verbis molliri cognoſceret, pietatis exempla ſuperaddidit, ſermone & opere potens: Nondum tamen Apoſtolicis ſuis laboribus optatam meſſem reſpondere cernebat, eoquod non pauci provectioris ætatis juvenes non modo nihil ab ebrietate, laſciviæque conſuetudine remitterent, ſed inſuper ad eadem prave facta a parentum exemplo ac ſermone pueri puellæque incitarentur; ſemper enim promptus in deteriora lapſibus lubrica inventis trahitur, quoties nefarium a Senioribus magiſterium adipiſcitur: hinc Petrus, ut huic malo remedium oppoueret, pueritiæ e cunis egreſſæ curam in ſe ſuſcipere, eamque a peccato ablactare, cordiumque teneritudini virtutis amorem, ac vitii horrorem inſtillare ſtatuit. Eo conſilio Congregationem Marianam ſeu *Notre Dame* erexit, cui ſtatim nonnullæ Virgines mundi faſtidio, & Petri monitis pellectæ nomen dederunt, quæ ad puellas in Dei amore & timore, necnon diſciplinis ſexus ſui accommodis inſtituendas ſeſe voti

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Sæc. XVII A. C. 1640.

voti Religione obſtrinxerant, ipſo Carolo de Lotharingia Cardinale Legato die octava Decembris anno hujus ſæculi tertio, ac demum Paulo V. Papa ſeptimo poſt anno hoc inſtitutum approbantibus: Parem quoque Congregationem pro puerorum inſtitutione erexerat Petrus, ſimulque Congregationem Canonicorum Regularium Salvatoris noſtri primo in Lunevillana Abbatia ad S. Remigium die ſecunda Februarii anno hujus ſæculi vigeſimo tertio ad priſtinam Sanctimoniam revocavit. Novam hanc Congregationem anno ſequenti Urbanus VIII. Papa confirmavit, quæ etiam poſtea plurimum aucta in hanc usque diem pietate ac doctrina celebratur. Bello autem Lotharingiæ Ducatum devaſtante, cum Matincurienſe oppidum ab hoſtibus invaderetur, Forrerius inde profugere compulſus, Grajacum Burgundiæ Comitatus urbem contendit, ubi ſenex parvulis literaria elementa, & Catholicæ fidei præcepta tradebat, reliquum vero tempus divinarum rerum commentationibus, necnon elaborandis Religioſarum Conſtitutionibus impendit: tandem vero die duodecima Octobris febri correptus, die nona Decembris anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto mortis ſuæ præſcius inter ſuaviſſima cum Deo colloquia

loquia placidiſſime animam Deo reddidit. Publicæ luci dare conſtituerat librum de Praxi Parochorum, quod opus a manu adeo probata elaboratum apud omnes maximum inveniſſet applauſum, ſi completum fuiſſet relictum. Relatus eſt Petrus a Benedicto XIII. in Beatorum numerum die decima Januarii Anno Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo, ſolemnia vero Beatificationis Romæ idem Pontifex ad vigeſimam nonam Januarii ejusdem Menſis indixerat. Sæc. XVII. A. C. 1640.

§. CXXXIV.

Scriptores Eccleſiaſtici hoc anno defuncti.

Nec hoc anno invida mors Viris doctrina conſpicuis pepercit; plures enim non ſine Eccleſiæ, ac literariæ Reipublicæ damno nimis præmaturo fato abrepti ſunt, quos inter primus occurrit Stanislaus Lubienskius Epiſcopus primo Lucæorienſis, poſtea Plocenſis, qui Religionis Catholicæ propugnator acerrimus, eloquentiæ vi, rerumque gerendarum dexteritate tam Eccleſiæ quam Poloniæ Regno utiliſſima præſtitit obſequia. Ex ejusdem poſthumis operibus Antverpiæ editis celebrantur ejus monita de recte gerendo *Miræus Script. Sæcul. XVII. Alegambe Bibl. Script. S. J.*

Sæc. XVII. A. C. 1640.

rendo Episcopatu, discursus de rebus Silesiacis, responsio ad septuaginta rationes, quibus ficti nominis Eques Regem & Polonos ad Bohemicos motus concitare nitebatur: Exstant quoque illius libri quatuor de motu civili in Polonia, necnon narratio de bello Turcico apud Chocimum gesto ad Gregorium XV. & Ferdinandum II. Cæsarem missa, præter querelam ob militare fœdus anno hujus sæculi vigesimo secundo initum: Scripsit plura alia, ac præcipue responsum ad Procerum protestationem contra Statum Ecclesiasticum. II. Andreas du Chene seu alio nomine Quercetanus natione Gallus, & Historiographus Regius, qui incomparabili prorsus industria, vastissima Scriptura, eousque ignotorum ac delitescentium volumina in apricum felicissime produxit; editis quinque Scriptorum Gallicorum tomis, quorum tres postremos ejusdem Filius Franciscus ad posthumam lucem promovit. Collegit præterea Scriptores rerum Normanicarum, atque omnia opera B Alcuini seu Albini Flacci: commendatur quoque ejus Historia Pontificum a B. Petro usque ad Innocentium IX. necnon Bibliotheca Authorum, qui Historiam & Topographiam Franciæ conscripserunt. Edidit insuper Historiam Hispaniæ, Angliæ &c. & li

& librum de Antiquitatibus urbium Franciæ, præter novam editionem Chronici Prosperi ex antiquissimo & genuino exemplari jam circa annum sexcentesimum trigesimum secundum exarrato, atque a recentioribus editionibus longe diversissimo concinnatam. III. Felicianus de Vega Mexicanus Archipræsul edidit relectiones Canonicas, tractatum de censuris, pluraque alia. IV. Josephus Balcus Bariensis Canonicus, qui tractatus de fæcunditate Dei, de transsubstantione, & de motu corporis naturalis posteritati reliquit. V. Facundus de Torres Ord. S. Benedicti Insulæ S. Dominici Archipræsul scripsit Philosophiam moralem Ecclesiasticorum. VI. Georgius de Connei Pontificius ad Mariam Henrietam Angliæ Reginam Legatus edidit vitam Mariæ Stuartæ, demonstrationem Religionis, tractatus de institutione Principis, & de duplici statu Religionis apud Scotos præter plura alia. VII. Joannes Antonius Reitanus scripsit de adventu D. Pauli Messinam, & de Bacilo eis ab eodem Apostolo in Episcopum dato. VIII. Alphonsus Vagnonius Jesuita edidit tractatus de incarnatione & Passione Christi, de optima Regni administratione, de quatuor novissimis, de vitis Sanctorum, & de Philosophia morali.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

IX.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

IX. Stephanus Luzvicus ex eadem Societate vulgavit libros, quibus titulus: *Fel pœnitentiæ & colloquium Divini amoris, cor devotum, Jesu Christi Regnum, & pacifici Salomonis thronus.* X. Dositheus ab Angelis Carmelita Excalceatus Concionator egregius scripsit commentaria in Apocalypsin, & in cantica canticorum, præter renovatæ urbis & Templi ab Ezechiele delineati allegoricam & moralem descriptionem. XI. Elias a S. Theresia ex eodem Ordine edidit legationem Ecclesiæ triumphantis ad militantem pro liberandis animabus in Purgatorio, necnon Palatium spirituale Beguinariorum, & epigrammata de Viris illustribus Ord. Præmonstrat. Lovanii Typis Joannis Masii 1615. excusa, præter Vitas S. Theresiæ & V. Annæ a S. Bartholomæo. XII. Didacus de Cea Franciscanus elucubravit Archilogiam Petri & Pauli, & Thesaurum terræ sanctæ.

§. CXXXV.

Protestantium Scriptorum obitus.

Freher Theatr. Erud. p. 1. sect. 3.

Paucos ex Scriptoribus Acatholicis hoc anno denatis subjungere lubet, quos inter primus Joannes Polyander edidit Concertationes Antisocinianas, Syntagma exercitationum Theologicarum,

rum, tractatum de exiſtentia eſſentiali Jeſu Chriſti, diſputationem adverſus invocationem Sanctorum, & S. Reliquias, Harmoniam locorum S. Scripturæ, de Theologiæ revelatæ præſtantia, pluraque alia. II. Joannes Boiſius Anglus ſcripſit notas in Chryſoſtomum, collationem in quatuor Evangelia & acta. III. Andreas Merckius ſcripſit contra Weigelii deliria. IV. Thomas Jackſonius publici juris fecit commentaria in Symbolum Apoſtolorum, & Pentateuchum, necnon tractatum de Providentia Dei & creatione. V. Joannes Ballas edidit tractatus de teſtamento gratiæ, de fide, de pietatis virtute, catechismum, & formam Eccleſiæ novam in Anglia ad examen revocatam. VI. Mathias Berneggerus ſcripſit idolum Lauretanum, tubam pacis Anti-Scioppianam, tractatum de Scripturæ teſtimoniis in concluſionibus mere naturalibus non uſurpandis, & ſpeculum boni Principis. VII. Balthaſar Gualterus vulgavit Diatribam de Conſtantini baptismo, & donatione contra Baronium, problemata Hebraica, Chaldaica, Syriaca & Græca, tractatum de Papæ Primatu & Antichriſto, præter Lutherum vindicatum. VIII. Joannes Meelfürer ſcripſit poſtillam Davidicam, vindicias

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Freher Theatr. Erud. part. 1. ſect. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1640.

Evangelicas, unacum auctuario, vindicias Apoſtolicas, & commentaria in epiſtolam D. Pauli ad Philippenſes. IX. Joannes Davenantius typis vulgavit prælectiones de ſupremo Judice, & de juſtit a habituali, præter libros de ſponſalibus & matrimonio.

§. CXXXVI.

Synodi Audomarenſis Statuta.

Hartzh. Concil. Germ. t. 10.

Hoc item anno Chriſtophorus de France Audomarenſis Epiſcopus Synodum celebrabat, in qua præter ea, quæ jam in alio Concilio Diæceſano ibidem ante quinquaginta ſeptem annos celebrato decreta fuerant, præcipue ſtatutum eſt, ut Sacerdos nonniſi tecto capite ſacramentalem abſolutionem impertiretur, nec Parochus Eremitas in ſua Parochia toleret ſine Epiſcopi licentia. Hortabatur inſuper Synodus, ut populus ſingulis Menſibus ad S. Synaxin accedat, & Ludimagiſtri bis in hebdomada pueros circa cantum Gregorianum, & modum Sacerdotibus in Altari inſerviendi inſtituant.

HISTO-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

LIBER CC.

URBAN. VIII. PONTIF. MAXIMUS. ET FERDIN. III. OCCID. IMP.

§. I.

Palatinatus Superior a Bannerio devaſtatus.

Vix Cæſarei in hyberna receſſerant, cum Bannerius Sueci exercitus Ductor reparatis apud Luneburgicos viribus, ac Turingiæ & Misniæ ſpoliis ditatus, adoleſcente Januario per Voitlandiam in Palatinatum Superiorem inopina vi irrumperet. Præmiſerat in Franconiam Tubadelium, qui Bamberga, & Hersbruco potitus, prædas & terrorem undique circumtulit: Prima hæc adſpirantis fortunæ auſpicia Bannerium accenderant, ut latius in Palatinatum arma protenderet, atque expilato Waldſaſſo, direptisque Nobilium ac Religioſorum

Epit. Rer. Germ. Pap. pag. 137. Annal. Boic. l. 26. part. 3. le Blanc. Hiſt. de Bav. t. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

domiciliis multos in captivitatem abduceret; promotis postea castris Chambum, Furthum & Glatoviam & fines Bohemiæ, Neoburgum ad Sylvam, aliaque loca minus custodita subegit. Haud parum promoverat rapidum victoriæ cursum Danubius densa glacie constrictus; hujus enim beneficio Bannerio copias suas in adversam ripam trajicere, indeque in citimam Bavariam, necnon in Bohemiam excurrere, integrum erat: Præterea Cæsarei, Bavarique militis absentia, & pacis consilia cum Suecis agitata Bannerium ab hostilis motus formidine adeo liberum tenebant, ut impune omnia cædibus, rapinis & direptionibus misceret, terroremque longe lateque ad ipsa usque Ratisbonensis Urbis mœnia grassabundus effunderet, eo fine, ut Imperatorem, omnemque Aulam & Imperii Ordines ibidem in comitiis congregatos aut cum dedecore illinc exturbaret, aut diutius morari ausos, inermesque, audito nullis sæculis exemplo captivos in triumphum abstraheret. Verum Piccolomineus Dux Cæsarei exercitus Polemarchus accitis Bavaris Caspari Mercii copiis Slangium Suecici Equitatus Præfectum non procul Neoburgo ad Sylvam Bohemicam adortus, cum fugam pararet, undique cinctum ad dedi-

deditionem coegit; unde Marchio Durlacensis, ipse Slangius, Birckenfeldius unacum uxore & liberis, Kinskius pluresque alii Tribuni & octingenti Equites, peditesque ducenti die vigesima prima Martii a Cæsareis capti velut in triumphum Ratisbonam ad Cæsarem, Ptincipesque, quibus antea insultabant, missi sunt; eodem vero tempore Gelenus cum copiis suis e Silesia & Bohemia eductis Suecorum tergo imminens, Chambium petebat: unde Bannerius haud dubie cum toto exercitu deleri potuisset, nisi aut itinerum difficultas, aut Ductorum cunctatio hosti in Misniam elabendi spatium concessisset. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. II.

Variæ Suecorum clades in Saxonia.

Quantumvis Bannerius exercitum suum nupera clade obtritum adjunctis sibi Vinarienſibus, aliisque copiis reparare intentus esset, Cæsarei tamen Bavarique, ductore Leopoldo Archiduce, fugientis vestigia tanta celeritate presserunt, ut per undecim dies hostilis Equitatus ne ullum quidem respirandi spatium haberet: inde vero accidit, ut Bannerius amissis jumentorum, militumque non paucis ægre ad

Loccen. Hist. Suec. l. 9. pag. 714. Pufendorff. rer. Suec. lib. 13. Brachel. l. 6. pag. 290.

Sæc. XVII. A.C. 1641. Salam fluvium inter continuas velitationes pertingeret: trajecto autem hoc flumine, cujus pontes in hostium potestate erant, Galli Vinarienſibus juncti Cæſareos adoriuntur, ruptoque ponte quosdam demergunt, alios vero trucidant: Sinister hic ſucceſſus Cæſareos minime deterruit, quominus ſuperato ad Berneburgum amne Bannerianos partim Halam, partim Merſeburgum retunderent, multisque Suecorum trucidatis, captisque Bannerium Merſeburgo ejectum, Halberſtadium usque propellerent, ubi etiam morbo ex vinolentia contracto die vigeſima Maij, ſucceſſore ſibi electo Leonardo Torſtenſonio, vivere & furere deſiit: ita Suecicum hunc Heroem vinum Hungaricum in menſa perdidit, cui toties Mars in caſtris pepercerat. Eodem die Cæſarei non ſine luculenta Suecorum clade, & opima præda Quedlinburgum occuparunt, & Gallo-Vinarienſes, Suecosque prope Halberſtadium iterata ſtrage protriverunt. Cum igitur Suecorum exercitus crebris ejusmodi cladibus rareſcere inciperet, Saxoniæ Elector animo erectus eosdem e variis Saxoniæ locis exturbavit, Leopoldus vero Archidux Zwickaviam urbem ad deditionem compulit. Minus fauſta erat Hotenvillanæ urbis, ac Guelpher-

byta-

bytanæ arcis obsidio, quarum utramque Cæsareo-Bavari partim ob invictam obsessorum repugnantiam, partim ob tempestatis injurias post anceps prælium, & Suecorum copias iterato fusas solvere cogebantur: Profuit tamen Leopoldo Archiduci discordia Suecos inter & Luneburgicos exorta; inde enim occasionem nactus, Ostervicum, Horneburgam, Scladam, Lebenburgum, Dorstenam, aliasque Westphaliæ urbes Suecis eripuit, parique felicitate Hatzfeldius Comes cæso Gallo-Vinariensi Præfecto nomine Rosa, Duderstadium & Mulhusium in Cæsaris obsequium reduxit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. III.

Fœdus Gallos inter & Suecos firmatum.

Seditio contra Hispaniæ Regem a Catalonis & Lusitanis mota, ingens Franciæ Regi calcar addidit, ut collapsas Suecorum res totis viribus restauraret, spe fretus, quod Cæsare trans Rhenum a Suecis oppresso, & Hispaniarum Rege subditorum defectionibus debilitato Imperium sibi vectigal reddere, Regnum vero suum Hispanæ Provinciæ accessione protendere posset. Hunc in finem die prima Junii

Bougeant Hist. bell. p. 1. l. 6. Hist. du Card. Richel. l. 6. cap. 64. Recueil des Trait. p. 93.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

erecto fœdere Lusitanis viginti belli navigia, & Catalonis validum agmen submiserat, cum Suecis vero armorum societatem tam diu agitatam tandem ad finem perducere, totis viribus adlaborabat. Nec artibus, nec labori parcebat Avoxius Comes Franciæ Regis Orator, ut Salvium Sueciæ Oratorem ad firmandum fœdus induceret: negotii tamen successum retardabant varia subinde exorta dissidia: nec parum oberat injuria a Sueciæ Senatu Rorteo Franciæ Legato Holmiæ illata; cum enim hic in suo Palatio Sacellum, ad quod Catholici confluerent, haberet, Sueciæ Administratores hoc jure Legatum privare ausi sunt, cauſſati, quod hoc privilegio excidisset, eoquod ipsius Confessarius Schmalcium, quem Sueciæ Regina ante triennium in Gallias ablegaverat, a Lutheri secta ad Catholicam fidem reduxisset. Tam enorme erat apud Suecos hoc crimen, ut illud ipsemet Legatus amisso jure omnium Nationum Legatis communi, Schmalcius vero adempta conscientiæ corporisque libertate eluere cogerentur, quamvis hic idem postea e carcere in Germaniam feliciter delatus sua Cæsari obsequia addixerit. Inde vero crebræ Suecorum querelæ contra Gallos, & retardandi fœderis obtentus,

tus, donec tandem pacta anno hujus sæculi trigesimo octavo inter Franciæ Regem, & Sueciæ Reginam Hamburgi inita, ibidem die trigesima Junii hoc anno utrinque fuissent firmata, his concepta Articulis. I. Catholici per Germaniam imprimis Ecclesiastici suæ Religionis Exercitio, suisque bonis ac reditibus ex constanti priorum fœderum tenore absque impedimento, aut perturbatione fruantur; quod idem quoque de Protestantibus dictum esto. Sæc. XVII. A. C. 1641.

II. Auxiliares pecuniæ imposterum ad millenas libras duodecies centies a christianissimo Rege quotannis durante bello Reginæ Sueciæ repræsententur, sed in moneta imperiali, solvendo pro dicta summa quadringenta & octoginta millia imperialium Thalerorum, idque Hamburgi in banco; ducenta nempe & quadraginta millia Thalerorum imperialium, ad diem ultimum Junii, pro tribus exactis mensibus, & tribus secuturis, totidemque ad diem ultimam Decembris cujuslibet anni, anticipata semper mensium trium solutione.

III. Si de universalibus plurium annorum induciis cum hoste transigi poterit, æquis & commodis conditionibus transigatur: iis durantibus, fœdus hoc quidem vigeat valeatque, cesset

Sæc. XVII. A. C. 1641.

tamen promiſſum ad levanda belli onera ſubſidium, & ſuſtentandis præſidiis copiisque, quas Regina Sueciæ interim retinuerit; Rex ei ſuum gratificandi animum nullis non temporibus teſtaturus trecenta Thalerorum imperialium millia quotannis Amſterodami in Banco numerari curabit: Hujus vero induciarii ſubſidii ſolutio, ſicut bellici, bipartita eſto, iisdemque terminis ac diebus, ultima ſcilicet Junii, atque ultima Decembris fiat.

IV. Quod ſi dictæ induciæ vel ab adverſa parte ſub quocunque prætextu ita violentur, ut compellata nolit damnum injuriamve ſarcire, vel præter vota fœderatorum infecta pace exeant, tum utroque caſu ſumptis denuo armis ſua vis huic fœderi omni ex parte & auctoritas conſtet, ac ſi nullæ interceſſiſſent induciæ, donec per Tractatum Pacis univerſalis tranquillitati publicæ rite proſpectum ſit.

V. In Pactione induciarum utrinque collaboretur, ut Illuſtriſſimi Duces Brunsvico - Luneburgici, Illuſtriſſima Landgravii Haſſiæ Vidua, & quicunque porro Principes aut Status Imperii ad fœdus acceſſerint, commodas ſibi quoque conditiones obtineant.

VI. Cum per hoſtes demum licuerit pacem vel inducias conjunctim tractare,

ſtare, ne tam optandæ rei moram af- Sæc. XVII.
ferat longior locorum diſtantia, talia A. C. 1641.
eligantur loca, quæ paucis ab invicem milliaribus diſſita, commoditatem præbeant ſine mora, periculo aut difficultate communicandi. Qualia ſunt Monaſterium & Osnabruga, aut ejusdem ſere intercapedinis alia.

VII. Pro expeditiore tanti negotii exitu, utriusque partis Præſidia durante congreſſu, ex omnibus tractatuum locis amoveantur, illis tamen rurſus, ni Pax ſucceſſerit, ſtatim inducenda.

VIII. Pacta hæc, pro credita nobis auctoritate concluſimus, recipimusque fore, ad quem modum ſe habent, ut eodem plane firmata a Regibus noſtris, & ratihabita intra menſes duos utrinque commutemus.

Firmatis his articulis Franciæ Rex Joannem de Werth Bavarici exercitus Ductorem libertate donavit, eumque Briſaccum conduci juſſit, ut ibidem cum Hornio Sueco nuper capto permutaretur.

§. IV.

Domeſticæ in Galliis turbæ.

Amplas promptæ felicisque expeditionis ſpes, quas Ludovicus XIII. Franciæ Rex ſibi ex Sueco fœdere pollice- *Calmet Hiſt. Eccl. de Lorrain. tom. 3. lib. 35.*

Sæc. XVII A. C. 1641.

licebatur, retardabant inteſtini motus tam a Carolo Lotharingiæ Duce, quam aliis Franciæ Proceribus ſuſcitati: Occaſio tumultus erat immodica Richelii Cardinalis auctoritas, indeque exorta Regiorum Principum æmulatio: Hos inter præcipue Ludovicus Sueſſionenſis Comes Regio oriundus ſanguine ægerrime ferebat, quod ferme ſemper primas præfato Cardinali cedere cogeretur, ſeque ab eodem vilipendi crederet, eoquod Richelius Vignerofam Cardinalis quidem cognatam, infimo tamen nobilitatis gradu progenitam Comiti in Sponſam obtrudere niteretur: inde accidit, ut Comes famulum, qui nomine Cardinalis ingentem auri vim, & præcipua Regni munia offerebat, impacto colapho domum remitteret: hinc novæ indignationis argumentum: Ut igitur Sueſſionenſis Comes Richelii iram, jugumque a ſuis humeris excuteret, clam Aula ſeceſſit, & cum Aurelianenſi Duce, Bullionio, Guiſio, aliisque Principibus, quos par in Richelium averſio in defectionis ſocietatem traxerat, adverſus Regem arma junxit. His inſuper Cardinalis Infans Lamboium cum copiis in opem e Belgio ſubmiſit, Carolus vero Lotharingiæ Dux clam cum præfatis Principibus fœdus iniit: Igitur tot ſuppetiis auctus Sueſſionenſis,

Dupleix hiſt. de Louis XIII. Mem. de Montreſor Hiſt. du Card. Richel.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

sis, Sedani castra posuit: Rex vero comperta horum secessione mox cum valido agmine Castillionеum Mareschallum eo contendere jussit, Richelius quoque Carolum Ducem, ut juxta nuperi fœderis leges, suas copias Regiis jungeret, sollicitavit: cum vero Carolus morosa tergiversatione conceptam Cardinalis spem eluderet, Castillionæus haud ultra cunctandum ratus, fœderatos Principes Sedani toto impetu aggreditur, attamen, ut ferme semper contingit in domesticis tumultibus, primum rebellibus fortuna favit, & Mareschallus non exigua suorum clade devictus retrocedere coactus est. Ubi vero victoriæ reliquias avidius colligit Sueſſionensis, vel a semetipso, vel suorum vel hostium aliquo (id enim incertum est) sclopeti glande trajectus, inter mortuos reperiebatur: Præcipuo Duce sublato dissipatæ sunt factionis partes, & quidem Aurelianensis sponte secessus Belgici pertæsus aliquamdiu in Sabaudiam secessit, Guisius vero in Flandriam, & Bullionius in Franciam contendit, in Regis gratiam die quinta Augusti receptus, ea lege, ut Regi Sedanæ urbis dominium cederet, ut infra memorabimus.

§. V.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

§. V.

Caroli Lotharingiæ Ducis fata circa ſui matrimonii valorem.

Hoc item anno Carolus IV. Lotharingiæ Dux relictis Auſtriacorum Hiſpanorumque partibus, quibus hactenus immota fide inhæſerat, Gallis acceſſit, ac die vigeſima nona Martii Pariſiis cum Richelio Cardinale, qui Regis vices obibat, fœdus iniit, vi cujus, excepta Metropoli Nanzeio & Comitatu Claremontano Lotharingiam recuperaret, rejectis tamen Auſtriacorum partibus copias ſuas Regiis aſſociaret. Has conditiones, ſicut Cantacruciæ Duciſſæ ſollicitationibus acceptabat, ita ejusdem mulieris importunitate paulopoſt reſpuebat: Hujus vero ſubitaneæ mutationis cauſſam, narrationemque ab ovo accerſam, & ad mala, quam veriſſime fas erit, perducam. Sic autem ea res, quemadmodum ſubjiciam, habet.

Jam anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo Carolus Lotharingiæ Dux cum Nicolina Henrici Ducis Filia matrimonium iniit, poſtquam vero decimo tertio poſt anno Biſantium feceſſerat, Beatricem de Cuſanca poſtea *Cantacruciam Principem* dictam

Sæc. XVII. A. C. 1641.

dictam deperire cæpit, eamque sibi in uxorem dari, ab ejus Matre petiit. Obstitit quidem prius matrimonium cum Nicolina initum, Dux tamen illud omnino nullum esse reposuit, eoquod sine mutuo utriusque partis consensu contractum, Patrisque sui minis extortum fuisset. Interea vero temporis, quo Carolus Cæsari suppetias laturus, in Germaniam contenderat, procurante Phalzburgia Principe Eugenius Cantæ-Crucis Princeps Beatricem duxit, quo tamen paulopost peste extincto, Carolus serio de priori suo matrimonio irritando cogitavit. Non deerant, qui suam Theologiam Principum votis accommodare assueti, Ducem in suo proposito firmarent, atque inter eos præcipue Pater Desiderius Cheminotus Jesuita, qui Beatrici, ejusque Matri a confessionibus erat, edito libro propugnabat, quod ad alias nuptias transire, Carolo Duci integrum esset. Alii vero Viri eruditi connubium Ducis cum Nicolina contractum omnino validum, legitimumque esse decidebant: ipse etiam summus Pontifex Ducem ad servandam legitimæ uxori fidem gravibus oppido verbis & rationibus urgebat: nihilominus Carolus Dux Bisantii Mense Aprili anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo trigesimo septimo cum Bea-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Beatrice connubio junctus est, assistentibus testibus, & Vicario Ecclesiæ ad S. Petrum. Anno sequenti Dux Patrem Cheminotum, quem sibi a confessionibus selegerat, Romam decrevit, ut suum cum Nicolina matrimonium irritum declarari, a summo Pontifice impetraret: Numerabat hic idem Jesuita Romæ duodecim Societatis suæ Theologos, qui ejus opinioni suffragantes, libertatis mutuique consensus defectum exaggerarent, quinimo scriptis divulgarent, Nicolinam a Lechanteo Henrici Ducis Eleemosynario, qui ob Magiæ crimen combustus esset, fuisse Baptizatam, proin Nicolinam nec Christianam, nec legitime desponsatam esse: Ita nempe adulandi servitus non raro sanæ rationis veritatisque depravationem inducit. Hæc dum interea Romæ & Bisantii ultro citroque circa Ducis matrimonium agebantur, Carolus concepta contra Viennensem aulam indignatione literas querelis plenas exarabat, quibus interceptis Richelius Cardinalis totus in eo erat, ut Ducem ab Austriacis Hispanisque partibus abstractum Galliarum Regis obsequio ac servituti manciparet. Hanc in rem præter amplas pollicitationes Beatrici quoque insinuari curabat, quod si Ducem ad Gallorum studia pertraheret, Franciæ Rex

Rex pro irritando Nicolinæ matrimonio validam impensurus esset operam: insuper Richelius, ut Beatricem eo certius in casses suas duceret, Regi auctor exstitit, ut sese erga Nicolinam remissius ac unquam gereret, eamque variis molestiis eo adigeret, ut ipsa ex Galliis in Hispaniam secedere quæreret. Enimvero subditorum calamitates & gemitus, adversa belli fortuna, ditiones suas recuperandi, & connubii sui dissolvendi spes haud parum Caroli animum ad expetendam Regis Galli amicitiam impellebat: His accessit indignatio in Hispanos concepta, eoquod Cardinalis Infans, necnon Mechlinien-sis Archiepiscopus Carolum interminata etiam anathematis pœna ad repudiandam Beatricem tam potenter urgerent, ut spondere cogeretur, quod Papæ monitis obtemperare, atque ab eodem Pontifice tres Judices, scilicet Metensem, Tullensem & Verdunensem Episcopos petere, interim vero Beatricem in quamdam Catholicam Helvetiorum urbem transmittere vellet. Verebatur etiam, ne, si diutius Gallici Regis patrocinio destitutus remaneret, Nicolai Francisci Fratris sui proles pro legitimis hæredibus, Beatricis vero Filii pro spuriis a Gallis haberentur: Absterrebat tamen e contrario Carolum

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

concepta erga Richelium averſio, & ſimulatæ amicitiæ, indeque orituræ ſervitutis formido: Tandem inter tot arcta, & bivia prehenſum Ducem Beatrix aliunde moleſtiarum pertæſa eo impulit, ut unacum illa nonniſi regiis liberi tranſitus literis munitus, die ſeptima Martii hoc anno Pariſios veniret; ſpe concepta, quod evoluto jam depoſiti tempore ſaltem Nanceium, & Barenſem Ducatum recuperaturus eſſet. Verum ſe deluſum mox ſenſerat Carolus, poſtquam non modo Rex Beatricem pro Duciſſa haberi, aut quicquam in Nicolinæ præjudicium agi prohibuerat, ſed inſuper Richelius Cardinalis eidem inſinuabat, „quod Rex Lotharingicas ditiones utpote jure belli „partas, & præcipue Barenſem Ducatum ob feloniæ crimen retinere poſſet, „ſique Dux reluctari cogitaret, facili „negotio ad officium redigi valeret: „de cetero circa novum cum Beatrice „matrimonium Rex declararet, hoc „negotium nihil ad ſe pertinere, tota „cauſſa jamjam ad Pontificem devoluta.„ Fremuit equidem Carolus Dux, pejora tamen veritus a ſuis hoſtibus, quorum ſeſe improvidus tradiderat, reconciliationis articulos a Richelio pro ſuo arbitrio propoſitos non modo chirographo ſuo, ſed & juramento

mento firmavit, prout ſupra memora- Sæc. XVII.
vimus. Vix Barium reverſus, die vi- A. C. 1641.
geſima octava Aprilis, advocatis teſti-
bus, & Tabellariis palam profitebatur,
quod duntaxat vitam, libertatemque
ſervandi ſtudio adactus tam fœderi,
quam ſecretis articulis ſibi a Richelio
obtruſis ſubſcripſiſſet. Præterea nun-
tium ad Cardinalem Richelium able-
gabat, qui eidem ſignificaret, quod
Dux nequaquam fœdus violandi, ſed
paratam captivitatem effugiendi animo
feceſſiſſet, cum ex literis, quas Hal-
liera Nanceienſis Gubernatoris conjux
ad Angelicam Congregationis Religio-
ſæ Præfectam dediſſet, perſpexerit,
quod Richelius illum cuſtodiæ tradere
machinaretur: Exacerbatnm Ducis a-
nimum acrius inflammabat Beatrix,
quæDuci liberius exprobrabat, quod ini-
to fœdere eam omni injuriarum genere
afficiendam Gallis expoſuiſſet, ipſe ve-
ro Dux in opprobrium Domus ſuæ in
Gallorum mancipium degeneraſſet. His
objurgationibus permotus Dux, rurſus
rupto fœdere, ſeſe totum Auſtriacis
addixit. Hinc vero Regis Francici
juſſu, Grancæus, & Hallierius Mare-
ſcalli arma Lotharingis intulere, in-
fauſto tamen Gallis ſucceſſu; Carolus
enim profligato Hallierio Mottam urbem
non ſine magna Gallorum clade recu-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

perabat: Tum vero Richelius vindictam ſuam haud acrius exerere poterat, quam ut Nicolinam, necnon Franciſcum Ducis Fratrem continuis ſtimulis incitaret, quatenus matrimonium Carolum inter & Beatricem nullum Romæ declarari urgerent. Tam exiguæ molis id erat negotium, ut Urbanus VIII. aliunde de petitionis æquitate convictus, die vigeſima tertia Aprilis anno ſequenti Carolum diris devoveret, ni illico Beatricem dimitteret. Adverſus hanc Pontificis ſententiam præcipuus inter illos Advocatos, qui Ducis cauſſæ patrocinabantur, reclamabat, ſimulque a Papa male edocto ad melius edocendum provocabat. Carolus vero, ut factæ provocationi inſtere poſſet, ab anathematis ſibi per Mechlinienſem Archiepiſcopum denuntiati vinculo prius ſolvi petiit, obtinuitque, ea lege, ut thoro & domicilio ſeſe a Beatrice ſepararet, primique matrimonii nullitatem teſtibus idoneis comprobatam redderet: Conditionis difficultate abſterritus Dux, Apoſtolico Bruxellenſis Urbis Nuntio declarabat, quod juſtitia ſibi denegata, juxta Virorum probitate & doctrina inſignium ſententiam Beatricis conſortio frui, absque Pontificis venia ſibi integrum eſſet, eoquod ipſemet Jeſuita Conjugi ſuæ, cui

cui a confeſſionibus erat, declaraſſet, quod ipſa ſine lethalis criminis labe, debitum conjugale petenti Duci denegare haud poſſet. Interim vero Lotharingicæ Domus Principes toti in eo erant, ut Beatricis matrimonium Sedis Apoſtolicæ judicio nullum declarari, & Nicolinæ de ſecuro ad Ducem Maritum ſuum reditu idonee caveri impetrarent. Nec ad utrumque difficilem ſeſe exhibuit Dux, qui Vincentium, quem a ſecretis habuit, ad Nicolinam decrevit, ut eidem ſignificaret, ſe ad nuptias cum Beatrice tranſiiſſe, eoquod ipſa non modo in primum matrimonium non conſenſiſſet, ſed etiam plures Viros fide dignos, qui ejus diſſenſum declararent, ablegaſſet. Id vero conſtanter pernegante Nicolina, Carolus ſe falſo rumore deceptum agnoſcens declarabat, quod eam denuo in conjugem ſuum recipere ac permittere velit, ut primum matrimonium Rotæ Romanæ judicio validum fuiſſe decideretur, dummodo ipſa innovato mutuo conſenſu ſtatim ante pronuntiatam ſententiam ex Franciæ Aula Duci infenſa excederet. Renuit tamen Nicolina novum adhibere conſenſum, ne unquam de matrimonii ſui valore dubitaſſe videretur: pollicebatur autem, quod Galliarum Rege ultro annuente

Sæc. XVII. A.C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

poſt Sedis Apoſtolicæ judicium ad Maritum ſuum reverſura ſit. Die tertia Maij anno hujus ſæculi quadrageſimo ſeptimo Lotharingici Principes habito conventu concluſere, rogandum eſſe Carolum, ut Sanctitatis ſuæ judicio ſtare, & Franciæ Reginæ, necnon Aurelianenſis Duciſſæ arbitrio ſecuri reditus conditiones permittere velit, ita tamen, ut conſenſus tam in matrimonii firmitatem, quam in conditionum acceptationem per Nuntium Apoſtolicum Romam ad ſummum Pontificem remitteretur: Ipſa etiam Nicolina coram præfato Nuntio die vigeſima ſexta Maij teſtabatur, quod nonniſi poſt latam ſummi Pontificis ſententiam coram Regina, ſuo Marito, & Aurelianenſi Duciſſa declarare velit, qualiter de ſua ſecuritate ſibi cautum eſſe peteret. Has quidem conditiones acceptabat Carolus, qui tum Bruxellis agebat, quoniam vero Nicolina Franciæ Regis protectioni nuntium mittere, ac Pariſiis excedere recuſaret, inſuper etiam ſub idem tempus ſcriptum quoddam, quod Carolus libellum famoſum, opprobriis calumniisque refertum appellabat, typis vulgaſſet, hinc Carolus in rabiem actus Vincentio negotium dedit, ut reſciſſis omnibus pro reconciliatione geſtis declararet, quod Nicolina ſuis ſubterfu-

terfugiis clare teſtaretur, eam in connubium ſuum nunquam conſenſiſſe. Interim Innocentius X. Papa denuo Caroli nuptias cum Nicolina fuiſſe validas die decima quinta Januarii anno hujus ſæculi quinquageſimo tertio pronuntiabat, addito interdicto, ne ultra cum Beatrice habitaret; anno ſequenti autem die vigeſima tertia Martii Rota Romana decidebat, quod connubium Ducis cum Beatrice omnino irritum eſſet. Huic ſententiæ eo libentius ſtabat Carolus, quo majorem averſionem contra Beatricem conceperat, ex quo illam Antverpiæ illicitis amoribus indulſiſſe comperit: Nicolina tamen latæ ſententiæ adhuc inſcia ad Maritum ſuum redire cunctabatur, Beatrix vero, cum ab Archiducis Auſtriaci Senatu ſuis bonis & reditibus, relicta eidem duntaxat prolium ſuarum tutella, privata eſſet, in Monaſterium Religioſarum Virginum Viſitationis apud Montes ſeceſſit, adjudicatis eidem annuis triginta librarum millibus: Carolus autem ab Hiſpanis captus Toletum abducebatur, hunc vero Nicolina ardenter libertati, incaſſum licet, reddere ſatagebat, tandem vero die vigeſima tertia Februarii Pariſiis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo deceſſit, qua defuncta

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Beatrix matrimonium ſuum ratum haberi, impenſe a Carolo Duce petebat, qui neceſſariæ diſpenſationis ægre a Papa obtinendæ prætextu Beatricis vota diu eluſit, demum vero cum eadem abſens die decima ſexta Maij anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto Biſantii novo matrimonio ſe junxit, nunquam tamen cum illa vitæ ſocietatem habuit; die enim decima octava Septembris anno hujus ſæculi ſeptuageſimo quinto ſeptuaginta duos annos natus Alembaci in inferiore Palatinatu obiit.

§. VI.

Pater Cellotius librum ſuum de Hierarchia *retractare compulſus.*

Argentre Collect. Jud. t. 3. p. 40.

Eodem anno, quo Petrus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus contra Optati Galli librum, inſtigante Cardinale Richelio, ſuum tractatum *de concordia Sacerdotii & Imperii ſive de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* ediderat, apud Facultatem Pariſinam denuntiabatur liber *de Hierarchia & Hierarchis* a Ludovico Cellotio Jeſuita Rothomagi hoc anno typis vulgatus. Excerpebantur ex eodem libro, variæ propoſitiones, quas hic idem Pater declarare ac demum Pariſiis die vigeſima nona Maij revo-

revocare cogebatur: erant autem potiſſimum hæ ex tractatu de Hierarchia depromptæ. Sæc. XVII. A.C. 1641.

I. Univerſalem Eccleſiæ Hierarchiam in ſtrictiore ſignificato ſumptam, in tres partes, ſeu partiales Hierarchias diſtribuo, earumque ſingulis tres gradus aſſigno. Primam & ſupremam Charismatum, ſeu gratiarum gratuitarum; mediam Ordinis; infimam Jurisdictionis appello. In prima Sanctitas eſt: in ſecunda, Conſecratio: in tertia, Miſſio. Prima dat auctoritatem Excellentiæ; altera ſimpliciter Poteſtatem, aut (ut D.Thomas) officium; ultima Jurisdictionem.

Hanc propoſitionem ita declarabat Cellotius:

Quod ſpectat ad Hierarchiæ diviſionem, declaro eam Hierarchiam, quam Charismatum appellavi: Non eſſe firmam & ſupremam Hierarchiam, *in ratione Hierarchiæ, imo etiam, quamvis in Hierarchia ſoleant eſſe charismata, tamen in charismatibus, aut ex charismatibus per ſe & præciſe ſumptis, (hoc eſt, ſi is, qui habet charismata, non habet Ordinem aliquem ex ſeptem vulgo dictis, vel Jurisdictionem) non eſſe Hierarchiam, niſi prout Hierarchiæ nomen late & æquivoce ſumitur,*

Sæc. XVII. A. C. 1641. Scripsit etiam Cellotius *de Angelico in conficiendis Sacramentis, & pascendis hominibus ministerio*, ex quo tractatu binæ fuerunt excerptæ propositiones.

I. Ut Angeli comministri sint nostri, operum Duces, & perpetui in Sanctissimis illis Mysteriis adjutores, ut sequenti libro videbimus: in quam Hierarchiæ Sanctitatis partem, assumptos ex hominibus, cæleſtis Hierarcha non vocat. Quare actionibus Hierarchicis hominem Angelus antecellit. II. Confirmata Angelis Episcoporum & Sacerdotum nuncupatione quid apertius postulas, ut rem ipsam, & pro modo, munus & officium asseram?

Utramque vero hanc propositionem ita explicabat Cellotius:

Ubi Angelos appello Episcopos & Sacerdotes, non sumo Episcoporum aut Sacerdotum nomen stricte ac proprie, sed tantum late & improprie, quod eo loco satis expressum putavi, his verbis: confirmata Angelis Episcoporum & Sacerdotum nuncupatione, quid apertius postulas, Lector, ut rem ipsam, & pro modo munus & officium asseram.

Hæc autem verba, Actionibus Hierarchicis hominem Angelus antecellit, *nolim simpliciter intelligi, quasi Sacramentorum administratio sit magis ab Angelo, quam ab homine, sed tantum, secundum quid,*

quid, quia Angeli in Sanctiſſimis Myſteriis homines adjuvant, faciuntque præſidiis ſuis, ut ea illi recte adminiſtrent, ut expreſſius dixi.

III. In libri tertii capite tertio Cellotius legem Moſaicam cum Evangelica contulit his verbis: Vides, quam honorifice de lege loquatur cum Apoſtolo S. Auguſtinus, eamque non ſuo, ſed concupiſcentiæ vitio improbis obeſſe dicat, tantum ex accidenti, non per ſe & quantum in ſe eſt. Perfici autem Dei gratia, non ab ipſa lege aliena, ex alia quadam lege mutuo ſumpta, ſed ipſi non minus quam Evangelio intrinſeca.

Hæc autem verba Cellotius ita interpretabatur: *cum dico, Dei gratiam legi Moſaicæ, non minus quam Evangelio intrinſecam: Per intrinſecam, intellige neceſſario adjunctam, ſive neceſſariam, adeo ut ſicut lex nova ſine Dei gratia impleri non poteſt, ita nec ſine ea impleri potuerit lex Moſaica, ut fuſe diſputavi eodem Lib. & cap. §. 1. pag. 106. & 107. Alioqui enim agnoſco, & Catholicam Doctrinam eſſe dixi pag. 105. totam gratiam, quæ in Moſaica lege conceſſa fuit, profectam eſſe a Chriſti futuris in nova lege meritis, & ampliorem multo, potentioremque gratiam hominibus tribui in lege nova, quam olim data fuerit in lege Moſaica.*

Poſt-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Postmodum libro quarto *de Conciliorum Oecumenicorum convocatione* hanc protulit propositionem:

Ceterum quod alias decreverat Constantiense Concilium, ut quovis decennio Synodus generalis convocaretur, ad reformationem Ecclesiæ, tam in Capite, quam in membris, posteritas malo suo experta omisit exequi, memor Ariminensis, Ephesinæ utriusque, quintæ, octavæ Synodorum antiquarum. Et in margine habet, Conciliorum Generalium periculosa convocatio,

Hanc propositionem explicabat Cellotius his verbis: *Conciliorum generalium convocationem dixi periculosam, intellige aliquando, neque vero mihi mens unquam fuit, convocationem istam non esse sæpe numero utilissimam ac saluberrimam Ecclesiæ Dei, aut etiam non esse quandoque necessariam. Quin potius utrumque plane affirmo & profiteor. Nam, si Conciliorum Provincialium maximam in Ecclesia utilitatem esse dixi, postea eodem Libro Cap. 11. pag. 201. Quanto potiori jure de generalibus illud affirmandum est?*

Circa auctoritatem Conciliorum & Pontificum sequens notabatur propositio: Supra vidimus publicam reclamantis Ecclesiæ vocem Pontificum & Conciliorum Decretis robur detraxisse, quæ

quæ paſſivæ infallibilitatis pars eſt, & ſpecies. Sæc. XVII. A. C. 1641.

Hanc vero propoſitionem ita interpretabatur: *quod dixi publicam reclamantis Eccleſiæ vocem conciliorum, & Pontificum Decretis robur detraxiſſe, ſic accipiendum eſt, ut primo per Eccleſiam intelligam fidelium multitudinem per orbem diſperſam. 2. Per Decreta nolim ea intelligi Decreta, quæ ſunt de rebus fidei, ſed ea tantum, quæ ſpectant ad mores, & Diſciplinam, atque omnino ad res eas, quæ pro diverſis temporibus ac locis ſolent, & poſſunt eſſe aliæ atque aliæ.* 3. Per Decretorum Robur, *nolim conciliorum, aut ſummorum Pontificum autoritatem, & poteſtatem a fidelium per Orbem diſperſorum arbitrio, aut voluntate pendere, ſed tantum quandoque fieri, ut Conciliorum & Pontificum ſummorum Decreta, ſicut vulgo dici ſolet, non obligent* in actu ſecundo, *ſive quia fideles tandem deſierint ea obſervare, uſusque contrarius paulatim introductus, ac receptus fuerit, ſive etiam quod fideles juſtis & gravibus de cauſis ea nonnunquam rejecerint.*

De auctoritate & Jurisdictione Superiorum Regularium binas haſce propoſitiones protulit Cellotius. I. Quoad Epiſcopos ſpectat, ſeu potius *Hierarchas* (alios enim aliquos ipſis hac in prærogativa conjungi dicturi ſumus infe-

Sæc. XVII. A.C. 1641. inferius) *eos ſolos cum Pontifice jus ſuffragii, & definiendi autoritatem habere.*

II. Tertium argumentum deduco ex actibus Hierarchicis, quos in Conciliis Provincialibus, generalibusque exercent ab antiquo Abbates, & ex quo Religioſi Mendicantes exorti ſunt, eorum Ordinum Generales. Nam ſi eos judicaſſe, decreviſſe, ſubſcripſiſſe monſtravero, licet aliquando ad Sacerdotii Dignitatem evecti non eſſent, *eo tantum nomine quod Abbates, ſeu Archimandritæ Monaſteriis præeſſent, nonne confecero Hierarchas eſſe, & quidem eximio poſt Epiſcopos gradu? &c.* Quid amplius habent in Synodo Epiſcopi, quam ut ſedeant, & ordinent?

Utramque hanc propoſitionem hic Author explicabat ſequentibus verbis: *Abbates & alii Regularium Superiores, non per ſe præciſe, & ex eo quod Regulari præſunt Ordini, jus habent aſſiſtendi Conciliis, atque in iisdem deliberandi. Sed iis aſſiſtunt, atque in iis decernunt tantum ex privilegio.*

Circa Regularium Privilegia Cellotius cenſuit, iis ablatis ipſam Religioſi Status eſſentiam tolli: hanc tamen doctrinam revocabat, aſſerens, quod *Ordinum Regularium* Privilegia, *quibus ſunt a poteſtate & jurisdictione Epiſcoporum exempti, revocari & tolli poſſint, & ita qui-*

quidem ut iis revocatis & ſublatis adhuc remaneret eſſentia Ordinum Regularium, etiam Mendicantium, & aliorum, qui per Sacrorum miniſterium alienæ Saluti ſerviunt. Non tamen id fieret ſine aliqua ejusmodi Ordinum imminutione, & alteratione. Sæc. XVII. A. C. 1641.

In libro quinto agens de approbatione ad Confeſſiones hæc docuit: Non mihi a vero aberrare videntur ii, qui arbitrantur, ſi quis bona fide in Confeſſarium eligat virum publice notum, & pro ſufficiente habitum, quemque putet ad id muneris expoſitum eſſe, valide abſolvi. Quia communi arbitrio, & errore vulgi reputatur idoneus. Tunc enim Pontifex in favorem fidelium tacite Jurisdictionem concedere judicatur.

Hanc vero doctrinam ita temperabat: Hæc intelligo *de eo confeſſario, quem pœnitens putet ad id muneris legitime expoſitum eſſe, quod hic Confeſſiones audire ſoleat, Ordinario ſciente & non repugnante. Tunc enim Confeſſarius habet ab Ordinario tacitam & virtualem approbationem, etſi non expreſſam, & formalem.*

Porro in eodem libro improvide ſcripſit, quod Regulares ſine Epiſcopi approbatione ſæcularium Confeſſiones excipere poſſint, & deberent: Hanc tamen ſuam hallucinationem his verbis excu-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

excusabat: *Non debent, nec possunt Regulares Sæcularium Confessiones audire, nisi approbationem ab Episcopo obtinuerint. Aliud quidem dixi, autores aliquos secutus, nunc autem volens ac lubens probo, & amplector scriptum illud, quod Anno 1633. die 19. Febr. tum ex Ordinibus aliis, tum e Societate nostra Superiores aliqui Eminentissimo Cardinali Duci Richelio dederunt, nominibus Syngraphisque suis consignatum, atque inferius expressum, quod quidem scriptum nondum mihi innotuerat, cum meos de Hierarchia libros scripsi.*

In libro autem octavo Cellotius de Charismatibus ad Episcopatum prærequisitis, hæc scripsit: „Sunt hæc igi„tur tum contemplationis, tum actio„nis Hierarchicæ membra, quorum „meminisse debemus hoc loco, quod „est alibi adnotatum, fundamentum, „vim omnem, atque efficientiam in „Dei vocatione, & charismatum com„municatione consistere.„

Huic tamen propositioni hunc sensum accommodavit: *Hierarchiæ Ordinis & Jurisdictionis fundamentum, vim, & efficientiam, in Dei vocatione, & charismatum communicatione repono: non quod non possit aliquis sine divina vocatione & gratia ad Ordinis & Jurisdictionis Hierarchiam validè admitti, sacrosque Ordi-*

Ordines valide ſuſcipere & exercere, ſed tantum, quod non poſſit licite & debite. Sæc. XVII. A. C. 1641.

Ex eodem libro ſequens notabatur propoſitio: „Ex iis, qui recentiſſime „ſcripſerunt, Valerius Reginaldus vi„ginti annos & amplius ſe illam ſcien„tiam profeſſum, non tamen ſuam in „multis, ſed potius aliorum Senten„tiam ſequi gloriatur: & quidem re„centiorum, quoniam inquit, quæ circa „fidem emergunt difficultates, eæ ſunt „a Veteribus hauriendæ: quæ vero „circa mores homine Chriſtiano dignos, „a novitiis Scriptoribus, qui tempo„rum noſtrorum naturam, & ſtudia „penitus introſpexerunt,„ & in margine ſcribit *Doctrina morum a recentioribus ſumenda.*

Hanc propoſitionem ita declarabat: *Ex Valerio Reginaldo refero, difficultates eas, quæ circa mores homine Chriſtiano dignos emergunt, non tam a veteribus Scriptoribus hauriendas eſſe, quam a novitiis, qui temporum noſtrorum naturam, & ſtudia penitus introſpexerunt: Verum id imprimis Reginaldi eſt, & a me refertur tanquam Reginaldi. Deinde poteſt Reginaldus recte ita intelligi, ut loquatur quidem de moribus honeſtis, laudabilibus, & homine Chriſtiano dignis, verum non eſſe de omnibus in univerſum, ſed tantum de iis, qui pro diverſis temporibus & locis mutari poſ-*

Sæc. XVII. A.C. 1641.

sunt, sicut etiam satis ipse indicat his verbis, qui temporum nostrorum, &c.

Circa Baptismum hæc perstringebatur propositio. Verba: *abrenuncio, volo, credo*, promissionem strictam non important: *quod susceptor* voto suo *nescientem puerum illigare non possit.*

Cellotii autem declaratio erat sequens: *Dixi in Baptismo; verba, abrenuncio, volo, credo*, promissionem strictam *non importare: Id vero intelligo de promissione votiva, ut tertia post linea loquor, id est, quæ sit per votum stricte & proprie dictum, quod præcedente linea nominavi; alioqui enim agnosco in Baptismo, susceptores pro infante vere promittere, & infantem ubi rationis usum habuerit, teneri ea præstare, quæ Susceptores ejus nomine promiserunt.*

In libro nono Cellotius asseruit: „Clerum ad magnam obligari perfectio„nem, *cujus media ex se non obtinet sæcularis.*

Hanc propositionem ita temperabat: *Clerum dixi ad magnam obligari perfectionem, cujus media ex se non obtinet sæcularis. Id autem dixi comparate solum, non absolute, prout instituta Disputatio requirebat, aliudque nihil volui, quam Sæculares ex se, pauciora & minus efficacia habere media, quam Regulares, propter vota Regularium, & quod horum status*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

ſtatus ſit ab impedimentis remotior, ut patet locum totum perlegenti pag. 919. Nam ſi abſolute & non per comparationem loquendum eſt, agnoſco nullum eſſe ſtatum, cui non ſuppetant media neceſſaria & ſufficientia, ad obtinendam eam perfectionem, ad quam obligatur.

Varias etiam contra dignitatem Epiſcopalem enuntiabat propoſitiones, quarum ſenſum his verbis explicabat: *Dixi in diſpoſitione ſufficienti ad capeſſendum Epiſcopatum, hominem criminibus nonnullis infamem. Excidit ea vox, infamem, incogitanti, quam deleri volo, & reponi (criminum quorumdam occultorum reum) ab Epiſcopatu removeri: non vi ſtatus, ſed Eccleſiæ inſtituto. Quod nolim ſic intelligi, quaſi ſpectata Status Epiſcopalis Dignitate, ſumma comparari non debeat innocentia & perfectio, ut quis rite decenterque conſecretur; ut oſtendi eodem C. pag. præcedenti. 946. Verum id ſcripſi, ne quis arbitretur, illum neceſſario ad Epiſcopatum afferre debere innocentiam, ut ſine illa criminis alicujus etiam occulti reus valide conſecrari non poſſit, quod veritati repugnat & fidei.*

Tantum porro abeſt, ut depreſſam ulla ex parte in mea doctrina velim Epiſcopalem dignitatem, poteſtatem, & Sanctitatem, ut ſancte poſſim affirmare, eam mihi ſemper mentem fuiſſe, eorum poteſtatem

Sæc. XVII. A. C. 1641.

& amplitudinem demonſtrare, & quam ipſe veneror, aliis venerandam proponere: quem ſenſum in eo ordine, cui Deo autore deſervio, religioſe conſervari, & commendari admonui Lib. 5. cap. 25, pag. 444. Idem ſuo modo de Clero ſæculari judicium ferri cupio, quem ex animo ſemper colui & honoravi; quodque in commendationem Status Regularis attuli, id in Clericorum ſæcularium depreſſionem referri nolo, cum ſua utrique Statui, ſine alterius contemptu, conſtet in Eccleſia dignitas, & coram Deo meritum.

Quare Lectorem in præfatione, atque iterum in libri concluſione precatus ſum, & rogare nunquam deſinam, ne contentionis & æmulationis, ſed Charitatis ſtudio ad hoc opus accedat. Et ſi quæ nonnunquam occurrent, verbis potius quam ſenſu & animo meo duriora, quod in illo Scriptionis contentioſæ genere difficile eſt penitus evitare, charitas, quæ non cogitat malum, toleret interim, donec ipſe aliquando, ſi Deus dederit, in ſecunda editione recenſeam & mitigem.

Idem P. Ludovicus Cellotius Jeſuita anno hujus ſæculi quadrageſimo octavo alium edidit librum, ſub titulo: *liber ſingularis horarum ſubſecivarum*, in quo propriam declarationem, qua antea ſuum *de Hierarchia* librum correxit, nunc ludicra & artificioſa narratione detor-

detorsit in doctrinæ revocatæ patrocinium, persuadere conatus, eam alia prorsus de caussa editam a se fuisse, quam eorum, quæ in illo libro continentur, castigandorum necessitate: eapropter censuit Facultas ex suis scriniis genuinam hujus caussæ historiam publici juris facere, unacum illa ipsa, cui Cellotius Superioris sui consensu & consilio subscripsit, priore declaratione, ne prava & semel reprobata sua dogmata rursus pro sanis obtrudere audeat. Sæc. XVII. A.C. 1641.

Erat autem hujus narrationis tenor sequens: Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo primo Nicolaus Ysambertus in Facultatis Theologicæ comitiis die decima quinta Julii circa Ludovicum Cellotium Jesuitam, Authorem librorum de *Hierarchia* retulit, quod cum illius Superiores animadverterent, multos conqueri de variis capitibus istius operis, & facultatem serio cogitare de illius censura evulganda, Eminentissimum Dominum Cardinalem Ducem de Richelieu adierint, ab eoque supplices postularint, ut, quia author esset Catholicus & Religiosus Societatis, ac paratus corrigere, quæ mererentur emendationem, & explicare, quæ parerent ambiguitatem, Eminentia sua dignaretur aliquos seligere, coram

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„quibus author ſeipſum ſiſteret, proprio „ore mentem ſuam circa propoſitiones „illas, quæ vel hæreſis, vel erroris aut „falſitatis arguuntur, aperiret. An„nuit etiam Eminentiſſimus Cardinalis „eorum votis, & nonnullos ex Facul„tate deſignavit, videlicet Magiſtros „noſtros Chaſtelain, Peregret, Char„lon, Leſcot, Morel, Cornet, de Pe„refixe, & de Sainte Beuve ſecum, „præſente etiam Reverendiſſimo Do„mino de la Mothe de Houdencour „Rhedonenſi Epiſcopo nominato; co„ram quibus prædictus author cum a„liquot ex ſuo ordine Profeſſoribus „Theologiæ, videlicet Patribus Hai„neuſue, Petavio, & Bouchero, com„paruit: pluribus tandem diebus hi „convenerint, & inſigniores aliquas „propoſitiones ſelegerint, quarum falſi„tas fuerat diſceptata, ac eo deventum, „ut author ex conſenſu ſuorum alias „propoſitiones plane retractaverit, a„lias adhibitis quibusdam particulis „emolierit, alias per collationem ad „ea, quæ aliis locis ejusdem operis „fuſius tradiderat, ad ſenſum catholi„cum reduxerit, alias denique ſibi in„cogitanter excidiſſe ſit profeſſus, hoc „totum ſcripto exaratum propria au„thoris manu & Syngrapha ſubſigna„tum, ad Eminentiſſimum Cardinalem „fue-

„fuerit transmissum; atque eidem fa- Sæc. XVII.
„cultati oblatum, ut lectione ejus prius A.C. 1641.
„facta, in præsentibus Comitiis, in
„Archivis publicis reconderetur. Au-
„thor quoque significarit, eandem Fa-
„cultatem debere hac una censura esse
„contentam; cum propositiones hic ab
„eo revocatæ & damnatæ, sint funda-
„mentum totius sui operis, totum opus
„simul in illis censeri condemnatum;
„intentum namque totius operis esse,
„Religiosos, præcise ut tales, collo-
„care in Hierarchia Ecclesiastica juxta
„strictam significationem sumpta: quod
„ut stabiliret, novam effinxisse Hierar-
„chiam, quam speciali nomine appel-
„lasset charismatum, censuissetque pri-
„mam esse & nobilissimam omnium.
„Idem vero author præsenti sua expo-
„sitione hoc utrumque retractarit. Idem
„pateret de singularibus prærogativis
„Religiosorum, & id genus aliis, quas
„idem author contendebat esse illorum
„statui quasi essentiales, & intrinsecas,
„& tamen sua propositionum sequen-
„tium explicatione fatetur eas tantum
„competere ex libera concessione, &
„posse revocari.„

Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. VII.

Ratisbonenſium comitiorum ſucceſſus.

Brachel. Hiſt. lib 6. Annal. Boic. par. 3. l 26. Barre Hiſt d' Allemagn. t. 9. p. 733.

Quamvis Cæſar Ratisbonæ ſedulam daret operam pacandæ Germaniæ, tot tamen a Proteſtantibus, necnon a Gallis Suecisque opponebantur obſtacula, ut de proſpero ſucceſſu deſperatum crederetur: Cenſebant quorumdam Principum Catholicorum Oratores, ad evitandas cavillationes peropportunum fore, ſi exteris regibus, & Principibus publicæ ſecuritatis literæ ſubmitterentur: Annuit Cæſar, ac Franciæ, Angliæ, & Daniæ Regibus imo & Principibus Palatinis, Luneburgicis & Caſtellenſibus, etſi eos novo fœdere Suecis junctos noſſet, ejusmodi literas expediri juſſit, vi quarum fide publica cuilibet de plena itinerum atque in comitiis habitandi, agendique libertate ſecuritateque cautum eſſet: Verum nonnulli Principes, eorumque Legati modum in ſcirpo quærentes, alii circa titulos, nonnulli circa modum, formamque harum literarum cavillari cæperant: querebantur quidam, quod non ſcriptis libellis, ut alii Principes, ſed quaſi precario ad comitia admiſſi eſſent: tot denique movebantur difficultates, ut quacunque demum forma

forma hæ literæ inſtruerentur, nunquam pacis hoſtibus fieret ſatis. His tamen omnibus inſuperhabitis Cæſar a reddendæ pacis ſtudio nihil remiſit, ſed Lutzovium Conſiliarium Aulicum Hamburgum ablegavit, ut cum Avellio ſeu Avauſio Franciæ & Salvio Sueciæ Legatis de præviis futuræ pacis articulis ageret, ubi etiam ſublatis quibusdam obſtaculis utrinque die vigeſima quinta Decembris conventum, ut Galli Monaſterii & Sueci Osnabrugæ de generali pace tractarent, ita tamen ut ambo hi conventus pro uno ſolo haberentur, & in utraque urbe, dimiſſis præſidiariis, cives vigilias agerent, necnon Cæſar, Hiſpaniæ, Franciæ & Sueciæ Reges eorumque fœderati ſibi invicem intra bimeſtre per totam Germaniam & extra Imperium liberi tranſitus ſecuritatisque literas traderent; Hæc tamen pacta diſplicuere Cæſari, ſi enim Franciæ & Sueciæ pacificationes pro una haberentur, Cæſar utriusque hujus coronæ fœdus approbaſſe videretur, aliunde Cæſareæ auctoritati derogaretur, ſi præter Cæſareas ſecuritatis literas, quæ ſolæ ſufficerent, inſuper alii Principes & Reges ceteris, imo & ipſi Cæſari ejusmodi literas concedere permitterentur. Eapropter Ferdinandus Imperator revocato Lut-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

zovio Auerſpergium Comitem eo ablegabat, ut Gallis Suecisque proponeret, quatenus novum haberent conventum: Hi vero inde offenſi cum Cæſaris Oratore ultra agere recuſarunt.

Interim ſumma animi contentione Ratisbonæ in comitiis agebatur de Amneſtia: Proteſtantes enim & præcipue Brunsvicenſes, & Caſſellani Oratores generalem anteactorum oblivionem promiſcue omnibus, nullo delicto, perſona, actione vel pœna exceptis, dari poſtulabant, ita, ut omnes Imperii Ordines ac ſubditi tam in civilibus quam Eccleſiaſticis ad eundem ſtatum, in quo ante ultimum hoc bellum erant, reducendi forent: Verum cum inter reſtituendos nonnulli eſſent Imperii Ordines, qui aperte ejurato Imperii obſequio ſeſe alienis Dominis devinxiſſent, & quædam jura, actiones & bona ejus eſſent conditionis, ut reſtitutionem excluderent, hinc Cæſar ſingulos in præfatæ oblivionis gratia comprehendi noluit: quinimo ipſemet Saxoniæ Electori Brunsvicenſes Duces datis iterato literis ab hujus poſtulati iniquitate dehortabatur, eisdem exponens „indi„gnum eſſe, quod una ex parte exte„ris hoſtibus juncti, in integrum reſti„tui peterent, ex altera vero nollent adver„ſus

„ſus Cæſaris hoſtes reſtitui, nec Cæſareis armis ſua jungere, ſed potius oppreſſa „Catholicorum parte, per vim, pacis „conditiones extorquere vellent, imo „usque deque haberent, an Catholici, „quorum res ab hoſte occupatæ eſſent, „forent in integrum reſtituti: hanc ve„ro non eſſe nec pacandæ Germaniæ „nec libertatis reddendæ rationem; ne„que enim Catholicos usque adeo eſſe „exhauſtos ſcirent, ut tam iniquis pa„cis conditionibus pro Proteſtantium „arbitrio ſibi perpetuum jugum imponi „paterentur: Catholicos æque eſſe Im„perii membra & cives, quos ſalvis „Imperii ſanctionibus, & humanæ ſo„cietatis legibus, illæſo jure gentium „opprimere non liceret, nec libera ſo„ret Germania, ſi contempto ſupre„mo Imperii Capite, externo domina„tui eam ſubjicere molirentur, nec car„pendum eſſe Cæſarem, quod implo„rata exterorum ope, inconſultis Im„perii Ordinibus arma ſumpſerit, & „Bohemiam Friderico eripuerit; id e„nim ab eo ex neceſſaria ſui juris de„fenſione, & nonniſi poſtquam plures „Imperii Ordines exterum militem „contra ipſum Cæſarem evocaſſent, „factum fuiſſe: eos vero nec Cæſarem „pro amico nec ſupremo Imperii Ca„pite habere, ſi Cæſaris hoſtem in Ger-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

maniam

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„maniam reciperent, & cum eo arma „sociarent.„ Ad hæc quidem Saxoni responderunt Duces, postulatis tamen suis pertinaciter inhærentes, ac ceterorum Protestantium suffragiis firmati, propositis variis gravaminibus ac querelis pacis negotium præpedierunt. Aderant quoque Daniæ, & Angliæ Regum Legati, quorum posterior, nomine Thomas Rowæus, pro Palatino iniquiora, intentatis etiam minis postulabat, ac propterea Ratisbona facessere jussus est: ejus tamen precibus datum, ut Rupertus Palatinus hucusque Viennæ captivus libertate donaretur, necnon Palatina causa, finitis comitiis, Viennæ dirimenda decerneretur.

His peractis die vigesima Augusti Universalis Amnestia fuit promulgata, editoque publico diplomate octava post die ad valvas Curiæ Ratisbonensis affixa; quia tamen illa nonnihil quoad hæreditarias Cæsaris ditiones, Magdeburgicum Archiepiscopatum, caussam Palatinam, nomina onerosa &c. fuit restricta, ideo non omnibus est probata: Sancitum præterea, ut restitutionis terminus in rebus profanis ab anno hujus sæculi trigesimo, in Ecclesiasticis a vigesimo septimo die duodecima Novembris incipiat: gravamina vero Religionis per utriusque Religionis Deputa-

putatos amice componantur: cauſſa Palatina ſeparatim agitetur & poſtquam fuerit deciſa, receſſibus Imperii inferatur, & Provinciæ ab hibernis liberæ ſuccurrant illis, quæ his gravantur. Quoniam vero comitia jam ad integrum annum excurrerent, & Cæſar eorum exitum urgeret, hinc tribunalium Imperialium reformatio ad anni ſequentis Menſem Majum vel Spiræ aut Francofordiæ pertractanda rejiciebatur: Denique Belgii Hiſpani Ordinibus de Bruxellenſi Curia querentibus Cæſar reſpondit, effecturum ſe apud Hiſpaniæ Regem, ejusque Fratrem, nequid deinceps Imperii privilegiis derogaretur. Creabantur inſuper in hiſce comitiis in Sacri Romani Imperii Principes, Itelius Hochenzollern, Antonius Cromavius Eggenbergi Princeps, & Wenceslaus Lobkovitius. Ita demum cum exigua firmæ pacis ſpe peracto hoc conventu Cæſar die decima tertia Octobris Ratisbona Straubingam, & inde Viennam reverſus eſt: ubi Angliæ Regis & Palatinorum Principum Legati ineunte Menſe Decembri utrumque Palatinatum, dignitatem Electoralem, cuncta annexa jura, fructus perceptos, exactiones, ſuppellectilem, archiva, annonam ceteraque omnia in eo ſtatu, in quo anno hujus ſæculi decimo octavo fuiſſent,

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

fuiſſent, reſtitui petierunt. Quantumvis hæc petitio præcipue Maximiliano Electori Bavaro admodum gravis accideret, annuit tamen, ut juniori Comiti Palatinatus inferior redderetur, Superiorem quoque reſtituere paratus, ſi tredecim milliones in Belli Bohemici ſumptus expenſi ſibi reſtituerentur: ea enim de cauſſa Cæſar Maximiliano cum evictionis obligatione Superiorem Palatinatum, & Inferioris partem aliquam Ciſrhenanam vendiderat. Cum autem hujus ſummæ reſtitutionem Palatinorum viribus imparem eſſe reponeret Angliæ Legatus, & Palatini Oratores a ſuis poſtulatis nihil omnino remittere vellent, re infecta in aliud tempus hæc cauſſa differebatur. Hiſpani quoque urbes in Palatinatu inferiori occupatas, absque compenſatione reddere tergiverſabantur, necnon Claudia Archiducilla Germersheimianam Præfecturam ad ſuos filios Auſtriæ Archiduces pertinere contendebat, eoquod eam Palatini Principes nonniſi oppignorationis jure poſſediſſent, illamque Cæſar ad Leopoldum Archiducem in præſtiti obſequii mercedem tranſtuliſſet: eapropter Cæſar pronuntiabat, quod, Palatino omnibus fœderibus contra Domum Auſtriacam initis nuntium mittente, ipſe Palatinis

Pufendorff. rer. Succ. l. 14. n. 71.

latinis Principibus Palatinatum inferiorem integre restituere, ac numerata pecunia, quam eorum Majores Austriacis mutuo dedissent, Germershemium reluere velit; in qua promissione Cæsar exacte æquitatis leges servavit, cum supremo Principi feuda oppignorata, restituto pretio reluere, semper integrum sit, aliunde vero ex tabulis de Anno 1335. & 1356. sine controversia constet, quod hæc Præfectura ab Austriacis fuerit Palatinis oppignorata, proin nunquam ad Palatinatum inferiorem jure Dominii pertinuerit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. VIII.

Horrendæ Anglici Senatus vexationes contra Regem & Episcopos.

Sub idem tempus in Anglia Parlamentum seu Superior & Inferior Curia Regem suum omni auctoritate spoliare, palam nitebatur; quamvis enim Carolus Rex in prima Sessione animum suum nonnisi ad promovendam Regni securitatem, tollendaque onera propensum gravibus oppido verbis testatus esset, nilque aliud ab Anglis peteret, quam ut ad alendas copias pro coercendis rebellibus necessaria conferrent subsidia, nihilominus inferioris Curiæ Senato- *Clarendon t. 1. p. 234. Rusworth Vol. IV. pag. 19. Thoiras hist. d'Angl. l. 20.*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

natores, quorum potiſſimi Puritani Scotis favebant, hiſce petitis adeo non deferebant, ut etiam Scotis ter centies mille libras Sterlingicas promitterent, totoque conatu Regem ſuo populo infenſum reddere certarent. Hunc in finem Pymus præcipuus rebellionis incentor ſubditorum querelas conductitia, aculeisque armata eloquentia coram Senatu exaggerans, Privilegia Parlamenti, ſubditorum libertatem, ipſamque Religionem per Regem fuiſſe labefactatam expoſuit, cumque ſat compertum haberet, quod Religionis depreſſæ obtentus plurimum apud vulgus valeret, hinc verbis ad motus animorum, vulgique ſenſum accommodis enarrabat, Papiſtas invaluiſſe, eoquod edicta adverſus eos lata, fuiſſent abolita, imo nec legum rigore nec juramentorum religione contra illos publicæ Regni tranquillitati ſatis cautum eſſet, cum Papa tam in his, quam illis diſpenſet, ſuamque poteſtatem in Sacra & profana exerceat, atque Henricus III. & IV. Franciæ Reges, etſi non fuerint Proteſtantes, ideo trucidati fuiſſent, eoquod Catholicos in Regno ſuo toleraſſent. Poſtea maledicus hic Orator Anglicanam Religionem ſubverti querebatur, eoquod Catholicis publica Regni munia commit-

teren

terentur, eisque tam Londini quam in Aula agendi libertas, proin etiam sua consilia exequendi facultas concessa fuisset, ac præterea Romæ ad Pontificis auctoritatem in Anglia stabiliendam Congregatio Cardinalium, Londini vero ad exequendas præfatæ Congregationis machinationes Rossetus Comes Papæ Nuntius esset stabilitus. Insuper vehementius declamabat Pymus contra sectæ suæ innovationes, eoquod per eas dogmata, ritus Papistici, Altaria, SS. Trinitatis, Christi cruci affixi & B. V. Imagines, quas scandalosas vocabat, necnon genuflexiones &c. invaluissent, & Protestantes severissimis pœnis castigati fuissent, eoquod hosce ritus non observarint, librum *de recreationibus in die Dominico licitis* non prælegerint, Cænæ mensam non immutarint, novum Catechismum non acceptarint, Ecclesiasticorum jurisdictionem esse Ecclesiæ jure Divino annexam non crediderint, novosque Canones ab Episcopis inventos rejecerint. Hunc sermonem Anglorum potissimi summo applausu, Rex vero & Episcopi, in quorum injuriam, odiumque hæc prolata fuere, maximo mœrore excepe-runt: Verum læsa exin Regis auctoritas, violata Episcoporum reverentia adeo non commoverat factiosorum animos,

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Thoiras l. c. pag. 113.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

ut mox alius Orator nomine Benjamin Rudyardus in ſua oratione ſine ambage Regem incuſaret, quod ſub novæ liturgiæ obtentu Papismum invehere, & ſub odioſo *Puritani* nomine veræ Religionis Sectatores tanquam homines in Regno ſuſpectos traducere intenderit. Hujus declamationem biduo poſt alia excepit oratio, in qua Digbyus Comes Curiam inferiorem incitabat, ut ſcriptum ederet, in quo populum de urgente gravamina tollendi neceſſitate, ſeu verius de Regis auctoritate penitus evertenda edoceret.

§. IX.

Plures Regi addicti ab Inferiore Curia ſuppliciis affecti.

Salmon hiſt. d'Angl. t. 1. pag. 220. Nalſon t. 1. pag. 520.

Haud parum intempeſtiva Regis indulgentia ad extremam ſui ſuorumque perniciem contulit; poſtquam enim Puritanorum violentia territus conſenſerat, ut Parlamentum, quod initio nonniſi triennale eſſe voluit, tam diu permaneret, donec turbæ, quas tamen inter turbulentos hoſce Viros nunquam defuturas noverat, penitus ſedatæ eſſent, inde Curiæ inferioris Senatores audaciores effecti, peſſumdata Regis auctoritate Parlamentum ita ſtabiliverunt, ut etiam Regis mandato

dato diſſolvi non poſſet: quocirca mox Regius quidam Miniſter exclamabat, *hoc die Rex coronam & ſceptrum Parlamento tradidit, totque erunt Reges, quot Parlamentarii.* Enimvero hi ſuorum numero & potentia freti, præprimis cunctos, quos Regi devotos noverant, ſub diverſorum criminum obtentu e medio tollere conſtituunt, ut his primo ſublatis ipſum quoque Regem omni amico & defenſore deſtitutum eo facilius Regno & vita privare poſſent. Inter illos, quos morti deſtinarunt, erant præcipui. I. Laudus Cantuarienſis Archiepiſcopus, quem Eccleſiaſticarum innovationum Authorem, belli contra Scotos incentorem, Puritanorum hoſtem, & Arminianorum Caput eſſe criminabantur. II. Straffordius Comes Hiberniæ Prorex, cui crimini datum, quod Regi addictiſſimus eſſet, eumque ad evocandos Hibernos contra rebelles Anglos incitaſſet, proin perfidiæ reus foret. III. Finckius Regii Sigilli cuſtos, quem pernicioſum Conſultorem, Regisque clientem, atque ad invehendum deſpoticum Regimen paratiſſimum fuiſſe dicebant. IV. Franciſcus Windebanckius, quem accuſabant, quod Catholicos protexerit, Sacerdotibus & Jeſuitis morti deſtinatis, aliisque Catholicis elabendi opportunitatem pro-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

curarit: denique Regni judices injuſtitiæ poſtulabantur: Pariter in plures alios, quos vel Regi addictos, vel ejus conſiliis ſuffragantes crediderant, tanta ſeveritate inquiſitum, ut ferme omnes, qui adhuc Regi adhærebant, potius ſua in eum ſtudia abdicare, quam accuſationis ſeveritati, contra quam Rex illos defendendo impar eſſet, ſeſe exponere mallent: inde vero factum, ut Curia inferiore in omnes ſubditos terrorem incutiente, Rex uno ferme momento ſe ab omnibus derelictum, atque ad eam neceſſitatem redactum cerneret, ut omnibus, quæcunque Parlamentum ei præſcriberet, conſentire cogeretur. Eapropter invito Rege Epiſcopos, ne Regi auxilio eſſe poſſent, jure ſuffragii in Parlamentis & Curiis ferendi, omnique jurisdictione temporali privarunt, jactato obtentu, quod ejusmodi munia Sacris eorum functionibus obſtarent, inſuper die prima Maij Straffordiæ Comitem ac Hiberniæ Proregem non alia ex culpa, niſi quod Regis auctoritatem contra rebelles tueri niteretur, pronuntiata mortis ſententia damnarunt. Reclamabat vehementer Rex, palam profeſſus, quod nec mortis metus, nec vitæ amor adeo unquam in ſe prævaliturus eſſet, ut contra ſuam conſcientiam adeo iniquo judicio

dicio subscribere vellet: Verum incassum omnia; Puritani enim jam dudum in hujus Viri perniciem conjuraverant: huncin finem viginti octo accusationum capita producunt, accersunt testes, qui conductitia testarentur consensione, Comitem fundamentales Regni leges evertendi *animum* habuisse: Spargunt conflatæ conjurationis rumorem, perinde acsi Regis amici copiis Londinum accersitis Parlamentum coercere, Comitemque ex Londinensi Turri armata vi eripere machinati essent: Ejusmodi suspicionibus populum contra Strafforddium tantopere exacerbarunt, ut factiosorum quamplurimi Comitem tanquam urbis Londinensis hostem proclamarent, & fustibus, & quæ furor ministraverat, armis instructi Curiæ Ministris insultarent, vociferantes: *Justitia, Justitia!* ipse etiam Cornellius Burgessus Præco Puritanus magnam virorum, mulierumque multitudinem concitabat, ut inconditis clamoribus sententiæ in Comitem latæ executionem urgerent; nec his contenti, Whitehallam contenderunt, ubi Regiæ Majestati insultantes, extremam violentiam adhibuissent, nisi Deputati, quantumvis ipsimet præcipui hujus seditionis auctores essent, Regicidii tamen calumniam a se amoturi, vim cohibuissent. Tandem vero

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641. depressa Regis auctoritate, & populo in eundem concitato Curiæ inferioris Senatores Comitem indicta plane caussa, & denegata Advocatorum defensione die decima nona Aprilis capite plecti jusserunt, tantæque immanitati Carolum Regem subscribere compulerunt, quamvis Comes cuncta accusationum capita plene diluissset, ac ipsemet Rex eodem adhuc die coram utriusque Curiæ Senatoribus palam professus esset, quod licet omnibus judicii actis contra eum habitis præsens fuisset, salva tamen conscientia ipsum damnare non posset, eoquod Hibernas copias in Angliam deducere, vel leges Regni immutare, nunquam Comiti in mentem veniisset, nec talia Regi consuluisset: Hunc autem fideliſſimum Regis Ministrum immerito tortoris manu vitam amisisse, sat luculenter probant tot fraudes, & artificia, quæ a Puritanis ad promovendam illius necem fuere adhibita: quod autem trucidato hoc Ministro demum in ipsam quoque Regis vitam conspirarint, adhuc apertius testatur eorum pertinacia, qua nequidem amplissimis favoribus demulceri poterant; quamvis enim Rex incredibili prorsus indulgentia, Anglis cuncta, quæ postulaverant concessisset, imo cum ipsis Scotis rebellibus suis subditis facto in Sco-

Scotiam itinere concordiæ pacta iniisset, & præcipua regni munia ac beneficia juratis suis hostibus contulisset, his tamen omnibus insuperhabitis Curia inferior sepositа omni Regiæ dignitatis reverentia iniquum fœdus Scoticum approbavit: ita nempe mentes letifera rebellione depravatas nulla benevolentia ex tempore sanat, tunc præsertim, ubi profundius aversio in Sectariorum animos jam antehac Religionis oppositæ odio præconsumptos descendit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. X.

Puritanorum immanitas contra Catholicos.

Inter tot, tamque acerbas vexationes Carolo Regi unica auxilii spes reposita erat in fidelitate Catholicorum, præcipue Hibernorum; quamvis enim hi Regem tanquam *supremum Ecclesiæ caput* agnoscere recusarent, fidem tamen suam eidem juramenti Religione obstrinxerunt, quocirca Rex Catholicorum fidelitatem compensaturus, illos singulari patrocinio dignabatur, necnon ad Patris sui exemplum severissimas leges contra illos latas exequi negligebat, atque ad Puritanorum invidiam illos in Aula benigne excipiebat: Post- *Rusworth tom. 4. p. 73. & seqq. Nalson t. 1. pag. 660.*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

quam vero Curiæ inferioris impudentia & violentiis Rex non jam Rex, sed vix Regis larva, seu verius suorum subditorum mancipium evaserat, proin haud ultra Catholicos protegere poterat, tum vero hæretici indomitis furiis in Catholicos debacchari cæperant, & primo quidem ipsum Regem incusarunt, quod insuperhabitis variis edictis Catholicos præsertim recusantes ex Londinensi urbe non ejecerit, illos armis non spoliarit, plures ob Religionem captos, mortique destinatos in libertatem asseruerit, & leges contra eos latas ad executionem deduci prohibuerit: postea omnes Catholicos militiæ Tribunos exauctorarunt, ceteros vero intra decem ab urbe Londinensi leucas prohibuerunt, in recusantes sine omni clementia inquiri. Goodmanum jesuitam aliosque sex Sacerdotes spreta Regis & Gallici Oratoris deprecatione, ea duntaxat ex culpa, quod Catholici essent, capite damnari, omnesque Sacerdotes ad pœnas ab Elisabetha Regina sancitas revocari præceperunt. Præterea severe inquisiverunt in Catholicos, qui ad Scoticum bellum Regi pecuniarum subsidia contulerunt: insuper Patrem Philippum, qui Reginæ a confessionibus erat, & PP. Capuccinorum Vicarium jusserunt, ut aperte & sine restrictione men-

mentali ad librum Evangelii Puritani & Calviniſtici jurarent, an non conati fuerint Regem ad fidem Catholicam reducere, quod dum conſtanter renuerent, turri Londinenſi includebantur: Inhibent quoque Catholicis, ne ad Reginæ Sacellum, aut Legatorum Oratoria confluerent: nec ipſi etiam Reginæ pepercerunt, ſed in eam, quod a Catholicis pro Rege Marito ſuo ſubſidium pecuniarium collegiſſet, quæſtionem inſtitui decernunt, tum ad ejus cuſtodiam armatum ſatellitium, cujus antea nullum extabat exemplum, conſtituunt, acerbiora adhuc in eam tentaturi, niſi ſub quæſito Filiam ſuam Mariam Guilielmo Orangii Principi deſponſatam in Hollandiam deducendi obtentu, Londino excedens, ſecuritati ſuæ conſuluiſſet: Denique Hibernos tanquam rebelles ferro, flammisque inſectati ſunt, eoquod Regem ſuum contra Anglorum Proteſtantium violentias defendere, ſeque, necnon Religionem Catholicam, quam ibidem Parlamentum Anglicum abolere decreverat, tueri moliti eſſent, inde vero Angli novam Regem ſuum vexandi, illumque populo ſuo exoſum reddendi occaſionem ſumpſere, in vulgus ſpargentes, quod ipſe plusquam decem Anglorum millium ab Hibernis interfectorum cædem procuraſſet,

Sæc. XVII. A.C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

curaſſet; nunquam enim, addebant ad majorem huic calumniæ fidem conciliandam, Hiberni Papiſtæ hanc ſævitiam exercere præſumpſiſſent, niſi a Rege ipſis addictiſſimo inſtigati fuiſſent. Poſtea Weſtonum Vectis Inſulæ Gubernatorem, eoquod religione Catholicus eſſe crederetur, ſua Præfectura ſpoliarunt, præcipuos Angliæ Catholicos comprehendi, PP. Capuccinorum Monaſterium deſtrui, hosque Religioſos Regno expelli, ceterosque Sacerdotes, & Domeſticos, qui Reginæ a ſervitiis erant, conſcribi juſſerant, denique a Principum exterorum Legatis, ut Sacerdotes in eorum Palatiis commorantes extraderent, petierunt, omnesque exteros, niſi Proteſtantes eſſent, Regno exulare juſſerunt: ipſum quoque Regem a Scotia in Angliam reverſum populus Whitehalliæ tot injuriis laceſſivit, ut Hamptoncuriam profugere cogeretur, quin ibidem a continuis vexationibus & moleſtiis tutus eſſet: die enim prima Decembris Curiæ inferioris Senatores prolixam admodum declarationem, in qua acerbiſſimis verbis Regis geſta & regimen carpſerunt, in vulgus eo fine ſparſere, ut populum acrius adhuc in Regem exacerbarent.

§. XI.

Sæc. XVII.
A. C. 1641.

§. XI.

Anglorum vexatio contra Roſſetum Sedis Apoſtolicæ Nuntium.

Nullum eo tempore acerbius fodicabant quotidianæ Puritanorum injuriæ, ac Carolum Roſſetum Sedis Apoſtolicæ Nuntium; cum enim hic nec Regi nec Aulicorum præcipuis exoſus, inſuper Angliæ Reginæ ejusque Matri Galliarum Reginæ toto, quo apud Filiam ſuam morabatur, tempore acceptiſſimus eſſet, Catholicis in hoc regno degentibus quietem, atque ab inſolitis vexationibus immunitatem ſedulo procurabat, pluresque ex Anglicanis Proceribus ſua eloquentia ad Catholicam fidem propenſos reddebat, imo ipſi Regi, ac Miniſtrorum nonnullis, quam proficuum Angliæ Regno eſſet, Catholicam Religionem revocare, voce primum, dein & ſcriptis, Apoſtolica firmitate oſtendebat. Hæc cum Puritani, fæviſſimi Catholicorum hoſtes, perciperent, impotenti ira perciti, ut hunc Religionis Catholicæ Promotorem e medio tollerent, domum illius armati invadunt, eumque ſummo ſtudio ad necem exquirunt. Verum hic mutata veſte ad Reginæ Matris ædes confugit, in quibus tamen nulla habita Regiæ

Ciacon. vit. Pontif. t. 4. pag. 623. Vid. ſupra l. 199. §. 198. t. 60. p. 321.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Regiæ Majestatis ratione, unius duntaxat diei ac noctis spatio septies ex Curiæ mandato ad mortem quæsitus est, jamque Puritani de morte Carolo inferenda certi, in publico foro ferale pegma erexerunt. Tandem vero Carolus aliquamdiu inter assiduas mortis angustias in Aula delitescens, hostium rabiem effugit, ac Joannis Justiniani Veneti Oratoris beneficio ex Anglia discessit, Pontificis jussu in Belgium profectus.

§. XII.

Anglorum & Scotorum Præconum epistola ad Franciæ, Belgii, & Helvetiæ Calvinistas.

Hist. Eccl. Jæger. l. 1. cap. 6.

Cum vero Puritani Præcones in Anglia & Scotia vererentur, ne ob detestandam eorum in Regem suum rebellionem a ceteris Calvinistis carperentur, ideo hanc labem a se amoturi instigantibus Curiæ inferioris Senatoribus ad Calvinianas, Franciæ, Belgii, & Helvetiæ Ecclesias literas dederunt, in quibus suam innocentiam, belli in Regem moti æquitatem, necnon suum pro tuenda reformata Religione studium, proximumque periculum, in quo sub Liturgiæ novæ obtentu eadem Religio in Anglia & Scotia versaretur, fusius

fusius exaggerabant: Ita nempe cunctis rebellibus Calviniſtis ſemper familiare fuit, ſuam in Reges ſeditionem tuendæ Religionis prætextu & calumniis in Papam, Catholicosque adinventis honeſtare. Erat autem ſequens hujus infamis, & injurioſæ epiſtolæ tenor: Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Haud dubitamus, quin calamitates, ſub quarum onere non tantum „ingemiſcunt, ſed & pene obruuntur „Eccleſia & regnum Angliæ, ad veſtras „aures jam pridem pervenerint; nam „proculdubio Antichriſti Negotiatores „pari ſedulitate apud vos artifices exſtitere ferendæ in nos invidiæ, qua „alibi locorum detorquent in grande „crimen opus reformationis, quod ſecundum Dei verbum aggredimur, & „arma, quibus vitam hanc precariam „tuemur, contra molientes exciſionem „Proteſtantium Religionis, & ruinam „Reipublicæ, atque ſævientes ferro & „flamma in ultima Regni viſcera. Quo „magis eſt, quod deſideremus in noſtra „innocentia ſaltem excuſationem tam „diuturni ſilentii, quo hactenus rerum „noſtrarum deplorandam conditionem „vobis non expoſuimus.„

„Verum a fratribus veniam poſci„mus & exſpectamus, ubi reſciverint, „magnitudine doloris nos præpeditos „fuiſſe; & ex quo in cætum coivimus,

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„usque adeo tremoris poculo, quod bi-
„bendum exhibuit Deus, attonitos fuiſ-
„ſe, ut plane noſtri officii neſcii fueri-
„mus: jam cum non tam ſpatium ſpi-
„randi, quam penitus cognoſcendi mor-
„bum, qui nos affligit, detur facultas,
„liceat familiari compellatione exone-
„rare in ſinum veſtrum dolorem, qui
„nos urit, vobisque exponere calami-
„tates, quas perpeſſi ſumus ab Antich-
„riſti ſectatoribus, quorum hic labor,
„hocque opus fuit, ſanctum reforma-
„tionis opus retardare, & in ejus lo-
„cum Papismi craſſiores fæces reponere.
„In quo quidem conatu tantum profe-
„cerunt, ut, niſi Deus, cujus judicia
„ſunt inſcrutabilia, & miſericordiæ non
„eſt terminus, opem præſentiſſimam
„afferat, funditus pereundum nobis ſit.„

„Non vos latet, quantum hæc vi-
„perina progenies contulerit ad ruinam
„parandam Eccleſiis reformatis extra
„Angliam: quam promptis animis ac-
„cincta fuerit in excidium Palatinatus,
„& jacturam Rupellæ perfide proditæ;
„quantumcunque ſub ſpecioſo prætextu
„legationum & negotiationum pacem
„obtenderit, obſeſſisque & ad incitas
„redactis, ſubſidium ſpoponderit; cum
„tamen reipſa calamitates eorum fove-
„rit, auxeritque. Tanto magis odium,
„quo id genus hominum vos proſequi-
„tur

„tur, conſpectius eſt; quod eorum ple- Sæc. XVII.
„rique calumnioſe exagitent veſtras A. C. 1641.
„Eccleſias, eoquod Præſulem non ad-
„mittant, ſine quo, ſi illis fides, or-
„dinationem quamcunque irritam eſſe
„temerarie affirmant.„

„Tenenda nobis eſſet longior com-
„mentatio, non Epiſtola, ſi ſingulos
„actus artesque percurreremus, quibus
„male ingenioſi homines uſi ſunt, cum
„in Magna Britannia, tum in Hibernia
„in tentanda everſione doctrinæ Prote-
„ſtantium ſtabilitæ, & ſubſtitutione in
„ejus locum Pontificiæ Religionis. Hi
„enim nihil tam intentatum, nihil non
„expertum reliquerunt; quin in pluri-
„mis voti compotes fuerunt: Utque
„rem gnaviter ſatagerent, nec quid-
„quam ullibi obſtaret nefando operi
„promovendo, ſedulam operam nava-
„runt, ut Pontificii legibus ſancitis,
„quibus in arctum cogebantur, ſolve-
„rentur; caverunt, ne Judices in dam-
„natos lege patria ſacrificulos Jeſuitas-
„que ſententiam ſeu exilii ſeu mortis
„ferrent, liberarent potius.„

„Nec leves fuerunt artes in Anglia
„Hiberniaque, ut cœnobia fundaren-
„tur, & Juventus, quæ Pontificia re-
„ligione excoleretur, ad Collegia trans-
„marina ablegaretur: Sub iisdem au-
„ſpiciis Papiſtarum Coryphæi, quan-

„tum-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„tumvis non permittat lex, in Aulam „admissi, visique in curia officia capes„sere. Plurimi eorum soluti sunt dam„nis a legibus denuntiatis; cautumque „ne in delictis præteritis pœna statue„retur, neque in futuris culpa censu„retur. Inviti, qui contra hiscebant: „at repugnabant fidi purioris religionis „Professores, seu verbi Divini Ministri, „sed alii male mulctati, & persecutio„nibus afflicti. Quæ quidem usque „adeo manifesta erant, ut Præsules, „eisque addicti Curiones pro suggestu „animos plebis inficerent Papismi fer„mento, omnia propemodum Papalia „dogmata, nisi forsan illud de Primatu „Papæ in temporalibus, docerent, Di„vinumque cultum mixtura sartaginis „novorum rituum commacularent, ple„bem adigentes ad eorum observatio„nem, reluctantes vero fulmine cen„surarum ferientes: Hinc factum, ut „multi Religionem lucro æstimantes, „rebus suis grande compendium credi„derint, non ultra fucum facere, sed „sine circuitu se ad Religionem Roma„nam aggregare. Multis vero fideli„bus verbi Divini Ministris ora obtu„rata sunt, quod eis religio esset, su„perstitiosas constitutiones amplecti, & „pro concione ad plebem recitare pes„simi exempli pejorisque moris librum,

„Supe-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Superiorum permiſſu editum, quo da„batur licentia, die Dominica in eos „luſus exſpatiari, quos ne quidem pro„feſtis diebus ullæ reformatæ Eccleſiæ „admittunt. Ex eo multa millia ho„minum alio abiere; pars in Ameri„cam delata, pars inter vos ſedem po„ſuit. Grave eſt, quanquam irrito co„natu, quod homines male feriati nu„per tentaverint, novum rituale novum„que librum Canonum obtrudere fra„tribus Scotis: Quos ubi reſpuiſſet gens „domus Dei Zelo calens, & ab omni„bus Papalibus reliquiis maxime aver„ſa, Regis Sereniſſimi animum perpu„lerunt, ut tanquam in perduelles & „hoſtes animadverteret, armis com„pelleret ad recipiendum, quod admit„tere ex conſcientiæ dictamine præpe„diebantur. Poſt hæc numeroſus exer„citus adverſus Scotos tanquam rebel„les contra Regem ducitur, ſuppedi„tantibus inprimis Papismo faventibus „pecuniam ſatis largiter. Sed ante„quam ad manus veniretur, placuit „Deo, Regi inſpirare hanc bonam „mentem, ut Comitia Regni Angliæ „ediceret; quibus interceſſoribus factum „eſt, ut conſtiterit de fratrum innocen„tia, & de injuria illata ab hoſtibus „Veritatis, paxque inter duo Regna „conſtabiliretur; alioquin invicem ſe„cum

Sæc. XVII. A. C. 1641. „cum commiſſura, & in mutuas cædes „exarſura. Quin ex occaſione diſcor„diæ facta eſt firmior animorum conſo„ciatio, & concordiæ inter fratres redin„tegratio; usque adeo, ut, Deo aſpi„rante, conſultationibus Delegatorum „utriusque Regni, & concurrentibus votis „bonorum per univerſam inſulam, qui„bus idem Deus dederat lugere peccata „præterita, & ſerio ad ſe reverti, atque „deſiderio purioris Religionis flagrare, „affulſerat ſpes repurgandi Domum Dei, „nemine contradicente, ſaltem obſtan„te, liberatosque nos crediderimus, „ac diebus afflictionis deinceps ſucceſ„ſuros dies refrigerii.„

„Sed rem longe aliter ſe habere „com erimus; nempe Deus, qui Se„cretis tantum plagis hactenus nos of„ficii monuerat, nunc Leonis inſtar ru„gientis bellum peccatis noſtris aper„tum indicit. Sit nomen ejus bene„dictum: gravia patimur, ſed graviora „nos commeritos ultro fatemur; atta„men in ejus amore & ope, quam af„futuram tempore opportuno confidi„mus, conquieſcemus. Hoſtes ergo „noſtri a ſpe res innovandi in Scotia „depulſi, ferocius tanto invecti ſunt in „Parlamentum, totum circa reforma„tionem in religionis negotio intentum: „intenti in primis fuerunt in omnes

„occa-

„occaſiones. ut Regis animum avoca- Sæc. XVII.
„rent a Parlamento: Regia facilitate A.C. 1641.
„confiſi, crimina in ſe intentata elude-
„rent, & in Hibernia excitarent rebel-
„lionem, in qua, ſi fides eſt ipſis Pon-
„tificiis, qui ejusmodi clades, tanquam
„opima ſpolia, jactant, centum Pro-
„teſtantium millia ad necem data ſunt.
„Quin ipſis authoribus, Rex ſelectos
„aliquos Senatores ex utraque Camera
„poſtulavit reos criminis Majeſtatis, &
„armata manu comprehendere tentavit;
„nec inſtare deſierunt, quin perpulerint,
„ut, deſerto Parlamento, alio ſe-
„cederet, & conſcriberet exercitum,
„extrema quæque minaturus. Qui qui-
„dem exercitus ad fucum faciendum,
„edicto ad id promulgato, circa initia
„conflatus fuit, aut potius conflari cre-
„ditus, pro ſolis Proteſtantibus & in cauſ-
„ſam Proteſtantium; ad cujus exercitus
„ſigna nihil ſubdoli latere timentes Pro-
„teſtantes, alioqui Regiarum partium
„ſequaces, agminatim confluerent:
„nam mox fraus patuit, Pontificiis
„tam, qui in Anglia, quam qui extra
„Angliam, aſſiduis precibus & votis
„ſupplicantibus, ut cauſſæ Catholicæ
„in Anglia agitatæ felix ſucceſſus re-
„ſponderet, & quandoque jactabundis,
„in hæc erumpentibus: brevi poſtea
„non amplius locum futurum diſſimu-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„lationi, se statim affuturos in armis „a Regiis partibus, quam primum Pro„testantes in easdem partes tracti fue„rint magno numero, & eis haud tu„tum, nec specie honorificum referre „pedem, fuerit: quod & eventus com„probavit. Nam ingens multitudo „Protestantium, quorum pars sub ob„tentu conservandæ religionis lege as„sertæ, tuendæ regalis prærogativæ „illibatæ & privilegiorum Parlamenti „intra præscriptos cancellos continen„dorum: Pars vero perduellioni, pecu„latui obnoxia, eoque nomine a su„prema Senatus curia in crimen vo„cata, aliique sibi male conscii, cum „tota colluvie ganeonum, erronum, a„leatorum, & ejusmodi farinæ homi„num, quibus ex rapto dulce est vi„vere, nec Religio curæ est, in partes „Regias ex æquo concessere; quos pro„xime excepere, si non armis, saltem „voto & pecunia, Episcopi illisque ad„juncti Decani, Archidiaconi, totaque „cohors Novatorum, quibus fæces Pa„pales cordi sunt. Tum demum om„nes Pontificii, quos capit hæc insula, „quibus ad benevolentiæ indicium nulla „hactenus injuria illata; quin & non „nullibi gratia facta, missaticos cœtus „publice frequentandi: Protestantibus „interim, etiam minus faventibus Par„lamen-

„lamento, dura paſſis; prodiere in a- Sæc. XVII.
„renam muniti Regio Diplomate, & A.C. 1641.
„promiſſis deliniti, fore, ut pro armis,
„ſi quæ deperderent, pretium exſolve-
„retur, eorumque primarii ad Præſe-
„cturas acciti. Et ne quid cauſſæ ca-
„tholicæ promovendæ deeſſet, largum
„auctarium militum, pecuniæ & com-
„meatus acceſſit ex Nationibus trans-
„marinis, quibus æquitatem cauſſæ
„ſuæ fuco mentiti fuerant. Hac ho-
„minum immenſa manu, hisque ſub-
„ſidiis, horrendum dictu, quantam,
„quam latam edant ſtragem; quibus &
„quot deprædationibus, incendiis, &
„cædibus totam Angliam compleant,
„& addictos cauſſæ purioris religionis
„perſecutionibus affligant.„

„Porro, quanquam ſuprema Curia
„omnem lapidem moviſſet, ut regni
„propugnacula, claſſisque tutis mani-
„bus committerentur, & neceſſario
„bellico apparatu conquiſito, ſe ſuaque
„protegeret, adverſus furores iſtorum
„belli incentorum, qui Regio nomine
„abutentes, legem, libertatem, & re-
„ligionem abrogatum ibant. Ea ta-
„men fuit hominum prava ſolertia in
„ſenſibus abſcondendis, & prætexendo
„ſpecioſas cauſſas auſis ſuis, an potius
„ea fuit juſta ira Dei excandeſcentis in
„nos abuſos longiuſculam pacem, ut

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„hactenus nihil postulatis, libellis supplicibus profecerimus, quo Regem ex „impiorum manibus seu subduceremus, „seu eriperemus, eosque coram supremo tribunali sisteremus, pœnas debitas persoluturos: Quin per totam Angliam fax belli est accensa. Ad cumulum miseriarum eo pertraxerunt „Regem, ut non solum Hibernos Rebelles appellatione subditorum *Romano-Catholicorum, nunc in armis, &c.* „dignaretur, sed eis indulgeret induciias in duodecim menses, ea potissimum tempestate, qua res eorum conclamatæ erant: per quam quidem armorum cessationem, gens nata ad occisionem, & qua non alia crudelior „& immanior, milite, pecunia, armis, „& commeatu locupletata, nacta sit „viam compendiosam, male parta pessime retinendi, & quod ibi reliqui est „Protestantium absumendi, ventilandique in Angliam; in qua, quod in „præsens agunt, trucident Protestantes, „pari laniena, & carnificina, quam „in Hibernia inter Protestantes exercuerunt.„

„In hac rerum nostrarum miseranda „facie, inter tot luctus & ejulatus, Rege „adverso votis & inceptis nostris, per „fraudem & nequitiam adversariorum, „utraque Camera Procerum, Consilium „a no-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„a nobis poſcit ſuper reformatione Ec-
„cleſiæ: utque negotium feliciter pro-
„cedat, nos convocavit in cætum, de-
„liberaturos de repurganda noſtra Ec-
„cleſia, impuritatibus & humanis com-
„mentis & additamentis; deque con-
„ſtituenda reformatione ex præſcripto
„verbi Divini, eaque uniformi per om-
„nes ditiones Regis noſtri, ac quan-
„tum fieri poterit ad normam Eccleſia-
„rum purioris notæ, accedente; cui
„operi incumbere cæpimus non infelici-
„ter cum bono Deo, jubente, ne par-
„vorum dies contemptui ſit.„

„Hactenus, fratres reverendi & di-
„lecti, habetis in brevi quaſi tabella
„imaginem, an potius umbram, in qua
„rudi penicillo exprimitur, quæ lugen-
„da ſit noſtrarum rerum facies. Liber-
„tas noſtra proculcata, bona direpta,
„& dilapidata, Domus effractæ, ſan-
„guis in terram effuſus, aliaque cha-
„riſſima adempta; tot ſunt plagæ, quæ
„in nos quaſi fœdere facto irruunt: Si
„Deus velit hæcce corpora alga viliora
„ad terram dari, & pedibus concul-
„cari, fiat ejus voluntas. Quicquid
„pateremur: quin libenter totum ſan-
„guinem profunderemus, dummodo,
„quod ſupereſt Sanctorum, a furore
„Antichriſti aſſeclarum vindicaremus,
„& per noſtrum latus religionem Sa-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„niorem vulneratam, & cum ea impe-
„titas Ecclesias omnes reformatas, ex-
„tra periculi aleam, assereremus. Nam
„quod gravissimum est, & quæ est ad-
„versariorum rabies, haud sanguine
„nostro satiata, non tam accensa est
„in nos qua peccatores, quam quia
„veram religionem profitemur, tuemur-
„que; eoque vota conatusque conspi-
„rant, ut toti vacemus reformationis
„operi.„

„Quod si Deus nos ad prædam
„exponeret eorum dentibus confringen-
„dos; tremendum relatu, quam opa-
„cis tenebris, vinculis arctis, & per-
„secutionibus sævis involverentur, quot-
„quot inter nos recusarent charactere
„bestiæ signari? Et quid non vobis con-
„jicere datur, passuras ad exemplum
„reliquas Ecclesias reformatas a bestia
„ex abysso ascendente; necnon a mu-
„liere, quæ jam dudum sanguine San-
„ctorum inebriata, tanto atrocius nunc
„persequitur Chorum virgineum agni
„comitem, antequam in exilium ruat?
„Ordines & Ecclesia regni Scotiæ nul-
„lum officium studii & benevolentiæ
„erga nos prætermiserunt, quo con-
„flagrans apud nos incendium restin-
„querent, Regiam Majestatem postula-
„tis, Declarationibus & libellis suppli-
„cibus, quam vel mollirent, vel flecte-
„rent,

„rent, adiverunt: mox ſequeſtres pa- Sæc. XVII.
„cis & interceſſores ſe obtulerunt: tan- A. C. 1641.
„dem ubi Regis aures nullis conſiliis,
„hortationibus & precibus patere anim-
„adverterunt; mutuo ſe fœdere cum
„Eccleſia & regno Angliæ devinxe-
„runt, armaque fœderata ſociarunt pro
„communi cauſſa Religionis propugnan-
„da, pro incolumitate Regis ejusque
„Regia dignitate & authoritate aſſe-
„renda, atque vindicanda Patriæ liber-
„tate, adverſus ſceleratam factionem,
„ut fuſius habetur in Declaratione Sco-
„torum nomine edita, & in ſolemni fœ-
„dere trium Regnorum; quibus luce
„meridiana clarius boni quique vide-
„rint Scotorum pectus fidum & candi-
„dum, & nullis ſiniſtris interpretamen-
„tis & ſuſpicionibus obnoxium. Au-
„thoritate illius regni miſſi ſunt Dele-
„gati, quorum nomina poſterius ſub-
„juncta ſunt, ut ſub auſpiciis Ordinum
„Angliæ partem cœtus Eccleſiaſtici
„conſtituant, operamque in commune
„conferant pro ſtabilienda uniformitate
„religionis in utroque regno: Secun-
„dum quæ iidem Delegati per præſen-
„tes vobis notum faciunt, quam ala-
„cribus animis hic conſpexerint coro-
„nam ampliſſimam tot virorum Doctri-
„na, pietate, & prudentia præcellen-
„tium: quos offenderint occupatos circa

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„ædificationem domus Domini, & ja„cienda fundamenta doctrinæ & difci„plinæ: quo nomine, & pro ratione „Chriſtianæ Charitatis, qua colligan„tur, & fœderis inter Anglos & Sco„tos initi, obſtrictos ſe reputant id o„peræ ſociare cum fratribus Anglis, „in compellandis pariter reformatis Ec„cleſiis, extra magnam Britaniam, eis „exponentes, quæ ſit hic rerum turba„tarum conditio, ut falſis rumoribus „& ſuſpicionibus eatur obviam.„

„Quod ſupereſt, id primum roga„mus, fratres, ad quorum æquitatem „provocamus, ut ex æquo & bono de „nobis & afflicta cauſſa judicetis, nec „aurem accommodetis iniquis adver„ſariorum judiciis; neve apud vos va„pulemus tanquam rebelles, & arma „ſumentes contra proprium Dominum; „quibus decretum ſit apud ſe Regiam „dignitatem & authoritatem arctiori„bus cancellis concludere, atque Anar„chiam in Eccleſiam Dei introducere: „quas calumnias abunde diluet fœdus „Nationale, cujus apographum ad vos „mittimus: nempe non ſatis fuit filiis „Belial concitaſſe Regis iram in nos, „niſi inſuper Regio nomine abuteren„tur, ut manus effugiant ſupremi Se„natus, a quo poſtulantur læſæ Maje„ſtatis, violati juris municipalis, &

„Reli-

„Religionis corruptæ. Adverſus ejus- Sæc. XVII.
„modi homines conteſtamur, & pro- A. C. 1641.
„fitemur arma a nobis ſumpta; juſtam-
„que defenſionem a nobis oppoſitam
„eorum armis. Judicet juſtus Domi-
„nus, cujus non ulterius opem poſci-
„mus, quam quatenus hæc a nobis
„ſunt ſincero animi affectu allegata.
„Faxit Deus, ut fratres hæc ſerio ani-
„mo volutent, eisque innocentia noſtra
„probetur, quam etiam apud ſuos
„prædicent.„

His ita nequiter expoſitis, tandem hi Præcones a ceteris Calviniſtis petebant, ut ipſis auxilio eſſent, eosque a prætenſo diſcrimine eriperent.

§. XIII.

Scotorum rebellium animadverſiones in librum Liturgiæ.

Quoniam vero non modo Catholici, ſed etiam moderatiores Angli, & Calviniſtæ Puritanis non raro exprobrarent, quod ob novam Liturgiam, librumque Canonum, aliosque ritus, quos ſalva religione ſua acceptare potuiſſent, immerito tot turbas excitarint, univerſam Hierarchiam, & Epiſcopalem Ordinem everterint, ac denique Regem ſuum, eique addictos infeſtis armis, calumniis, moleſtiis, injuriis, *Act. publ. Eccl. Scot.*

Sæc. XVII A. C. 1641.

juriis, carceribus, mortisque suppliciis infectati fuerint, hinc scriptum quoddam in vulgus sparsere, in quo causas, propter quas Liturgiam rejecerint, mordaci prorsus calamo exposuerunt: & quidem *primo* hunc librum se detestari ajebant, „quia obtruditur sine ullo „prævio Ecclesiæ hujus consensu & ap„probatione in Synodo nationali, pe„nes quam proprie hujus generis ne„gotia definiuntur. *Secundo* quia legi„timam & longo usu receptam cultus „divini externam formam prorsus abo„let, ac in ejus locum substituit aliam „a Pontificiis mutuatam, & ex Missali, „Rituali, ac Breviario Romano desum„ptam, quæ plurima superflua, ridicu„la, ac superstitiosa continet, semina „etiam gravissimorum errorum ac ido„lolatriæ, ac in multis Anglica Litur„gia deterior est.„

„Inter alia ridicula ac superstitiosa, „quæ a Pontificiis mutuatur, hæc sunt. „Nam *primo* Presbyteri tenentur matu„tinas & vespertinas illas preces singu„lis diebus publice vel privatim præ„legere, pag. libri illius 7. Porro si „privatim & solus prælegat, quis usus „responsionum per populum? nisi forte „intelligendum sit, debere Presbyterum „sibi respondere nomine Ecclesiæ, quam „repræsentat: & sic preces hæ, cum „sint

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„ſint publica authoritate inſtitutæ, & „prolatæ a publica perſona, deputata „ab Eccleſia ad orandum nomine ſuo, „& hac intentione, ut expleat munus „ſuum: quid aliud erunt quam preces „illæ Papiſtarum publicæ, ſeu horæ „Canonicæ, quarum duæ ex ſeptem „reponuntur? Vid. Bellarm. Tom. 4. „Controverſ. Lib. I. De bonis operibus „in particulari, Cap. X. *Secundo.* Nul„lus certus locus deſtinatur matutinis „& veſpertinis precibus publicis; ſed „remittitur arbitrio Epiſcopi, qui ſe„dulo ſtudebit templorum formam ad „tempora præcedentia revocare, hoc „eſt, quando Papismus regnabat, ad „ſimilitudinem ſcilicet templi Salomo„nis, diviſi in porticum, navim & Sa„crarium. *Tertio.* Quædam alta voce „a Presbytero proferenda ſunt, alia „vero voce ſubmiſſa; quæ forma Pon„tificiis conſueta eſt in myſterio Miſſæ; „preces etiam quædam, Confeſſio fidei „jubentur legi aut cani, cum tamen „in metrum non redigantur. *Quarto.* „Licet ſitus corporis indifferens ſit, in „quibusdam tamen precibus indicitur, „ut genibus flexis precemur, in aliis „ut ſtemus, in aliis vero nullus om„nino Corporis ſitus imperatur. Et „aliquando populus jubetur orare, non „Presbyter; & vice verſa aliquando „popu-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„populus jubetur comprecari cum Pres„bytero, quandoque repetit, quando„que respondet, & aliàs orationem in„ter se dividunt: jubetur Presbyter ali„quando faciem ad populum conver„tere, aliquando vero avertit: stare, „cum legitur Evangelium, sedere cum „prælegitur Epistola, genuflectere, cum „Decalogus. Quam frequentem opor„tet esse libri revolutionem a Psalmis „ad collectas, ab iis ad hymnos, inde „ad Psalmos, ad lectiones, ad Lyta„niam. *Quinto.* Exotica prorsus phra„seologia Papismum redolet; etenim „plurimas habet voces Scotis penitus „barbaras, a Romanis Sacris omnes „mutuatas: v. gr. *Matutinas, vespertinas, Adventum, Epiphaniam, Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam, Dominicam Rogationis, loci Ordinarium, Collectas, Lytanias, Venite, te Deum, Benedictus, Magnificat; nunc dimittis, Sabbatum, Cantate, Dies cinerum, oblationes, antiphonas, puerperarum purificationem, Actorum Apostolicorum, & Prophetarum V. T. Quædam capita dicuntur Epistolæ, offertorium, Annuntiatio Dominæ nostræ, officiare, Corporale, utraque species &c.* Insolitæ & exoticæ „hæ voces, quibus perstringuntur po„puli aures, metus haud injusti ansam „præbent, ne sub Latinorum illorum „ver-

„verborum involucro lateant etiam Sa- Sæc. XVII.
„cra Latina. *Sexto.* In Calendario A. C. 1641.
„Sanctorum numero adscribuntur qui-
„dam: qui tamen an *atri* fuerint an
„*albi*, ignorantur, v. g. *Lucianus*, *Rex David*, *Kinligernus*, *Fabianus*, *Agnete*, *Vincentius*, *Blasius*, *Valentinus*, *Colmannus*, *Patritius Episcopus*, *Guthertus*, *Benedictus*, *Gilbertus*, *Servius*, *S. Gregorius*, *Dunstanus*, *Suithinus*, *Nomen Jesu*, *Ægidius*, *Ninianus*, *Adamannus*, *Sapientia*, *Crispinus*, *Hugo Episcopus*, *Sylvester &c.* *Septimo*, Confessio pec-
„catorum & absolutio ante orationem
„prælegi jubetur, pag. 25. quasi vero
„confessio non esset precatio, & in ea
„multa a Domino non peterentur.
„*Octavo.* Verba illa concluforia oratio-
„nis Dominicæ, quia tuum est regnum
„&c. aliquando omitti jubentur, ali-
„quando recitari; & cui bono? *Nono.*
„*Singulis diebus Te Deum laudamus* præ-
„legi aut cani jubetur, quasi hymnus
„ille, ab hominibus compositus, Psal-
„mis omnibus, a Spiritu Sancto dicta-
„tis sanctior esset. *Decimo.* Presbyter,
„Clerici, & populus alta voce simul
„omnes repetant *orationem Dominicam*,
„pag. 42. quam hoc confusum, & an
„non Presbyteri sint ex Clero? *Un-*
„*decimo.* In Lytania, complurima *no-*
„*mina & titulos* Deo adscribunt, &
„mul-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„multoties unam eandemque oratio-
„nem repetunt, *octies libera nos Domine,*
„& vicies & bis *te rogamus audi nos.*
„Presbyter designat solum mala, quæ
„populus orando petit. *Duodecimo.* Per
„mysterium sanctæ Incarnationis, Na-
„tivitatis, Circumcisionis, Baptismi,
„jejunii & tentationis tuæ, per ago-
„nem & sanguineum sudorem, per
„crucem & passionem, per pretiosam
„mortem & sepulturam, per gloriosam
„Resurrectionem, & Ascensionem tuam
„in Cælum, libera nos Domine; quid
„hoc est aliud, quam mera adjuratio?
„*Decimo tertio.* Post 44. orationes, inter
„quas una est oratio Dominica, dicunt,
„precemur, quasi præcedentia omnia
„in orationum censu non veniant. *De-*
„*cimo quarto.* Observandum, quod in
„lectionibus S. Cœnæ destinatis Epi-
„stola ponatur ante Evangelium, quod
„gratiæ non referantur Deo post lectio-
„nem Epistolæ, cum tamen sollicite
„cautum sit, ut Evangelii lectionem
„clauderet semper doxologia. *Decimo*
„*quinto.* Dicitur, Innocentes illos In-
„fantes, ab Herode crudeliter necatos,
„testes fuisse Christi, seu Martyres, &
„Dei laudes expressisse non loquendo,
„sed moriendo. Ubi varia sese produnt,
„tum quod infantes illi sine ulla expli-
„catione dicantur Innocentes, quod

„Pela-

„Pelagianismum redolet: & quod om- Sæc. XVII.
„nes in genere teſtes ſeu Martyres A. C. 1641.
„Chriſti dicantur, cum tamen nec ha-
„bitu nec actu martyres dici poſſint:
„non habitu ſeu animi reſolutione,
„multo minus actu; cum nec pro fide,
„quam ignorarunt, nec in fide omnes
„mortui vere & firmiter dici poſſint.
„*Decimo ſexto.* In Collectis tertiæ &
„quartæ Dominicæ poſt Epiphaniam, &
„in Septuageſima prælegitur depreca-
„tio quorundam periculorum, quaſi
„dies illi magis fatales eſſent aliis.
„*Decimo ſeptimo.* In collecta tertiæ Do-
„minicæ Quadrageſimæ petitur tutela
„contra hoſtes, quaſi dies illa huic pe-
„riculo magis ſubjiceretur aliis, aut
„quaſi preces illo die prælectæ ad ma-
„lum illud præcavendum ſufficerent.
„*Decimo octavo.* Dies Paſſionis tres ha-
„bet collectas, cum alii unam, alii
„vero nullam prorſus habeant. *Deci-*
„*mo nono.* In collecta duodecimæ Do-
„minicæ poſt Trinitatem petitur, ut ea
„largiri velit Deus, quæ precibus ro-
„gare non audemus: an hæc eſt Chri-
„ſtianorum πληροφορία? *Vigeſimo.* No-
„tandum, omnes fere collectas de ver-
„bo ad verbum translatas eſſe ex Miſ-
„ſali Romano. *Vigeſimo primo.* In ru-
„brica S. Cœnæ præfixa, ſacra menſa
„inſtrui jubetur tapete, & mundo pan-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„no lineo, & aliis decoris utenſilibus; „in quorum numero quin veniant ſu„perſtitioſa illa omnia, quibus altaria „ſua ornant Papiſtæ, vid. *Crux*, *can„delæ*, *phylacteria*, *ſubſtratoria*, quid im„pediet? præſertim cum hæc ſibi di„ſplicere nullibi oſtenderint libri hujus „Architecti. *Vigeſimo ſecundo.* Jubetur „Presbyter officiaturus ſtare ad Septen„trionalem altaris partem ſeu latus, „quem veſtitu miſſatico indui oporte„bit, ſi ita Epiſcopis viſum fuerit: nam „Anno 1633. nihil ad ſummam dili„gentiam reliqui fecerunt, ut Regi Se„reniſſimo concederetur facultas, quem „vellet Paſtoribus habitum in ſacris im„perandi. *Vigeſimo tertio.* Poſt repeti„tam Orationem Dominicam jubetur „Presbyter facie ad populum converſa „clare & diſtincte recitare Decalogum; „& populus jubetur ſeſe interea in ge„nua provolvere: unde ſatis innuitur, „averſa a populo facie recitandam eſſe „a Presbytero orationem Dominicam, „& ſubmiſſa etiam voce; quærendum „porro, cur populo genuflectendum „ſit, dum prælegitur Decalogus, & „idem ſitus corporis non urgeatur, dum „precatio Dominica recitatur? *Vige„ſimo quarto.* Eccleſiæ æconomo vel „Diacono mandatur, ut pelvim cum „fidelis populi oblationibus ſumma cum „reve-

„reverentia Presbytero officianti offe- Sæc. XVII.
„rat, qui eandem ſubmiſſa genuflexio- A.C. 1641.
„ne altari imponet, ac Domino offe-
„ret. Ubi latet (1.) judaismus, dum
„Deus præſens ſupponitur magis in al-
„tari ante conſecratam Euchariſtiam,
„quam alibi, quod commentum ne-
„queunt vel ipſi Pontificii deglutire.
„(2.) Papismus, tum dum populi ob-
„latio præcedit ſacrificium, tum dum
„duæ oblationes ſtatuuntur; altera pe-
„cuniæ, altera panis & vini. *Vigeſi-*
„*mo quinto.* Sæpius imperatur genu-
„flexio, cum nullibi tamen reperiatur
„mandatum præparationis feriæ ante
„communionem & ſpiritualis ac interni
„cultus in ipſo actu. *Vigeſimo ſexto.*
„Permittitur uti pane illo azymo ro-
„tundo, hoſtias nummularias vocant
„alii. *Vigeſimo ſeptimo.* Jubetur Pres-
„byter pro Rege orans ſtare, duæ item
„ponuntur orationes pro Rege, nulla
„pro Regina & regiis Liberis. *Vigeſi-*
„*mo octavo.* Feſtos dies ſeptimanæ ſub-
„ſequentis inter celebrandam Cœnam
„ſignificet Presbyter. *Vigeſimo nono.*
„Si infrequentius aut negligentius ad
„Communionem acceſſerit populus,
„inter ipſa Cœnæ ſacra ad Commu-
„nionem eundum hortari jubetur Pres-
„byter: Porro cum eum certiorem fe-
„cerit populus de acceſſu ſuo, uti in

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„alia rubrica tenentur, quo fine adhi-
„betur hæc adhortatio? Quodſi nomi-
„na ſua communicaturi non deſignarint,
„neque iis ſtatutum fuiſſet communi-
„care, niſi forte per eam adhortationem
„animi propoſitum mutaverint, an ſta-
„tim admittit Presbyter, etiamſi de
„ſcandalis Eccleſiæ non ſatisfecerint?
„& ſi tunc admittantur, an licebit cen-
„ſuram illam illius ſcandali nomine
„poſtea illis infligere? *Trigeſimo.* Qui-
„dam dies ſacri proprias præfationes
„habent, quidam non, & quare? *Tri-*
„*geſimo primo.* Mandatur Presbytero
„officianti ſtare, non genuflectere, cum
„orationem conſecrationis recitat: &
„in eo loco conſiſtere, quo facilius &
„majori cum decore utraque manu uti
„poſſit, cum interim ſolus ad altare
„ſtet. pag. 207. Quærendum merito,
„quid illud ſibi velit: ut utraque ma-
„nu uti, vel utramque exercere poſſit?
„an ut imagines crucis in aere formet?
„an ut patenam & calicem in altum
„elevet? & an non diſerte rubrica hac
„ſtatutum ſit, ut ad occidentalem alta-
„ris partem conſiſtat, facie a populo a-
„verſa, & ad orientem converſa? De-
„liramenta & nugæ theatricæ ſacro-
„ſanctam Domini cœnam in comœdiam
„transmutant, & Dei cultum infide-
„lium ludibrio ac piorum dolori expo-
„nunt.

„nunt. *Trigesimo secundo.* In oratione „consecratoria verba institutionis per „modum orationis ad Deum dirigun„tur, non ad populum, prout consti„tuit Christus. *Trigesimo tertio.* Licet „liturgia cœnæ ab oratione Dominica „inceperit, nunc tamen post oblatum „Christum pag. 209. repetitur, præmis„sa & notabili hac clausula, audemus di„cere, qua innuitur absque confidentia „prius prolatam fuisse, quia scilicet non„dum oblatus fuit Christus; nugæ me„ræ papales. *Trigesimo quarto.* Jube„tur Presbyter pecuniam oblatam di„videre, & semissem sibi sumere, ut „esca scilicet hac facilius capiatur, & „hamum opertum deglutiat. *Trigesi„mo quinto.* Dicitur expedire, ut lingua „Anglica celebretur baptismus, & cur „idem non notatur in reliquis cultus „divini partibus? & an non alicubi in „Regno Scotiæ magis expediat sacra „omnia celebrare lingua Hibernica, „quæ sola multis cognita est? *Trigesi„mo sexto.* Dicitur, veteres baptismum „administrasse tantum in Paschate & „Pentecoste, & consuetudinem hanc „imitandam nobis esse, quam prope „fieri possit, licet in solidum revocan„da non sit, pag. 215. Quærendum, „cur hic facta mentio vetustæ illius con„suetudinis? an ut ostendatur, Patres

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„non judicasse baptismum simpliciter „esse necessarium? quod libri hujus „authoribus in mentem venire non „potest, quandoquidem satis diserte „postea affirment baptismi necessitatem: „an vero ut patres illi accusentur de„fidiæ & negligentiæ salutis infantium? „sed cur quæso tum monent patrum „vestigia, quam presse fieri poterit, pre„menda esse? turpe est Doctori, &c. „*Trigesimo septimo.* In celebratione ba„ptismi pag. 215. Susceptores, non „vero parentes, monentur, ut fonti ad„sint: & miris elogiis fontis illius ba„ptismalis sanctitas celebratur: quæ „quæso major efficacia fontis quam „pelvis? *Trigesimo octavo.* Licet curato „significatum sit infantem esse baptizan„dum, rogare tamen debet, an hacte„nus baptizatus fuerit? *Trigesimo nono.* „Fontis baptismalis peculiaris institui„tur consecratio, & singulis mensibus „mutanda est bis aqua, & consecran„da, pag. 216. *Quadragesimo.* Ad imi„tationem veterum, qui adultioribus „baptizandis interrogata quædam pro„posuerunt ante baptismum, videlicet: „an credis? an renuntias diabolo, & „omnibus operibus ejus, ac inani pom„pæ mundanæ? an baptizari vis? &c. „Eadem interrogata infantibus hic sa„tis ridicula proponuntur, quorum vice „re-

„respondere jubentur susceptores: Ego Sæc. XVII.
„credo firmiter, volo baptizari, &c. A. C. 1641.
„*Quadragesimo primo.* Susceptores, non
„vero parentes, tenentur infantem in
„fide instituere. *Quadragesimo secundo.*
„Dicitur, duo in baptizandis requisita
„esse, pœnitentiam & fidem: quæ
„præstant infantes per susceptores suos:
„an hæc satis sana? Nam cum bapti-
„zentur infantes, quia in fœdere sunt,
„quo Dominus promisit se fore Deum
„parentibus & semini eorum, & infan-
„tes non sunt susceptorum seu patrino-
„rum semen & liberi, quomodo pote-
„rit susceptorum illorum fides & pœni-
„tentia infantibus illis prodesse? *Qua-*
„*dragesimo tertio.* In liturgia matrimonii
„pag. 242. In peragendis matrimonii
„sacris sponsus annulum habet, quem
„sponsæ non tradet, priusquam Pres-
„byteri libro imponatur: hoc scilicet
„supplet vicem Pontificiæ benedictionis
„per aquam lustralem. Annulum hunc
„presbyter tradit sponso, qui digitum
„annularem seu medicinalem sinistræ
„manus sponsæ eo exornabit: dicens:
„Ego te hoc annulo spondeo, & cor-
„pore meo colo, vel adoro, vel hono-
„ro; nam verbum illud, quo utuntur:
„*Worshippe*, in sacris adorare vel colere
„significat, *Quadragesimo quinto.* In or-
„dine visitationis infirmorum, pag. 249.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Una & eadem oratio præſcribitur in „omnium ægrotorum uſum, eædem ex„hortationes & conſolationes absque „ulla variatione. *Quadrageſimo ſexto.* „In liturgia ſepulturæ perlegitur, pre„catur, canitur. *Quadrageſimo ſeptimo.* „Puerperarum purificatio judaismum „redolet, &c.„

„Inter ſemina errorum, quæ diſper„ſa latent, ſunt. 1. Quod libri Apo„cryphi V. T. partes dicantur, pag. „11. & quod libri quidam ac capita „Canonicæ Scripturæ dicantur minus „conferre ad ædificationem, & melius „omitti poſſe, quam Apocryphorum ca„pita, quæ prælegi mandantur. Plu„rimum etiam Canonicæ Scripturæ „nunquam publice prælegitur, ut Can„ticum Canticorum, & univerſa Apo„calypſis; duobus tantum capitibus ex„ceptis, & parte capitis decimi no„ni: An non ortus inde error Ponti„ficiorum, quo Apocryphi Libri ſtatuun„tur eſſe Canonici, ex eo, quod in „Eccleſia legerentur? 2. Obſervatio „feſtorum ſanctis dicatorum, pag. 31. „& Angelis: imo plures ſtatuuntut dies „ſancti, quam Dominus in lege veteri „determinavit judæis: An non hinc „ſuccrevit Sanctorum cultus religioſus „apud Pontificios? 3. Devicta mortis „acerbitate, aperuiſti Regnum Cælo„rum

„rum omnibus credentibus, pag. 38. Sæc. XVII.
„& in Epiſtola prælegenda ad Veſpe- A. C. 1641.
„ram Paſchatis applicatur, 1. Petr. 3.
„v. 17. An non ſapiunt hæc limbum
„Patriarcharum? 4. In ordine ſepul-
„turæ pag. 262. orant, ut nos una cum
„fratre demortuo, & aliis omnibus in
„vera fide & confeſſione nominis tui
„vita defunctis, conſequamur perfectam
„abſolutionem, & conſummata corpo-
„ris & animæ benedictione fruamur.
„Nonne facile hinc pullulabit precatio
„pro mortuis? 5. A ſcortatione & om-
„nibus mortalibus peccatis libera nos
„Domine. Differta hic eſt diſtinctio
„peccatorum inter mortalia & venialia.
„6. Recurrente Nativitatis Chriſti feſto,
„orantes dicunt, hodie natus eſt filius:
„unde ſequitur, toties natum fuiſſe
„Chriſtum, quoties anni a Nativitate
„numerantur, hoc eſt, 1637. Aut ſi
„per diem illum intelligant menſis, non
„anni diem, oratio illa non erit ex fi-
„de: nam ex quo ſacræ Scripturæ fun-
„damento colligi poterit, illo menſe
„natum fuiſſe Chriſtum? Idem etiam
„de Circumciſione, Epiphaniis & aliis
„feſtis. 7. In collecta tertiæ Domi-
„nicæ poſt Paſcha dicitur, Deum om-
„nibus in errore verſantibus veritatis
„ſuæ lucem monſtrare, quod adverſa-
„tur Pſalm. 147. v. 19. 20. Indicat

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua Iſraeli: „Non fecit ita ulli genti, ideoque jura „iſta non noverunt. 8. In Collecta ad „feſtum S. Michaelis, Michael ille An„gelorum Princeps. Apoc, 12. 7. refer„tur inter Angelos creatos, cum ta„men ſit Jeſus Chriſtus. 9. In rubri„ca ante communionem præparatio in „eo ſita eſſe videtur, ut communicaturi „veſpera præcedenti omnia ſua Pres„bytero ſignificent, aut eo ipſo mane, „quando adminiſtratur S. Cœna: licet „tum impoſſibile ſit Paſtori de vita & „moribus communicaturorum inquiſi„tionem inſtituere, aut tam ſubito ſcan„dala & controverſias ac rixas compo„nere. 10. Eadem rubrica flagrantis „ſcandali reus admittitur ad S. Cœ„nam, modo apud ſe ſtatuat, & pro„fiteatur, ſe poſtea ſatisfacturum, an „non Chriſti inſtituto directe hoc ad„verſatur, jubentis, prius convenien„dum eſſe fratrem læſum, & illi re„conciliandum eſſe? 11. Sicuti liber „hic omni prorſus authoritate Eccle„ſiaſtica deſtituitur, ſic pag. 29. jubet „Homilias publica authoritate compo„nendas recipere: unde ſequitur, verbi „prædicationem & preces ab illa pu„blica authoritate civili in univerſum „dependere, & in omnibus Religionis „negotiis Eccleſiam hanc ad cæcam „obe-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„obedientiam adſtringi, ac fundamen-
„tum fidei eſſe edictum ab Aula procu-
„ratum, aut procurandum. 12. Ora-
„tio Offertorii contradicit titulo præ-
„fixo, qui ſic ſe habet: Oremus pro
„univerſa Chriſti Eccleſia, hic in ter-
„ris militante. In oratione vero eſt
„commemoratio mortuorum, & reſtri-
„ctio Nomenclaturæ Sanctorum ad eos,
„qui gloria nunc fruuntur. Atque ſic
„via ſternitur Sanctorum Canonizatio-
„ni & invocationi: Adde, quod ibidem
„preces fiant pro mortuis, qui vitæ
„ſuæ curſum in fide transegerunt, &
„nunc a laboribus ſuis quieſcunt, quo
„modo optime deſcribi animas in pur-
„gatorio, fatetur Bellarminus. 13. Au-
„ricularis Confeſſio obtruditur Con-
„ſcientiis populi; pag. 204. & abſolu-
„tio differte offertur. 14. Modo tres
„aut quatuor adſint, celebrari poterit
„communio; pag. 214. qui fortaſſe e-
„runt Diaconus, Subdiaconus & Cle-
„ricus, licet nullus ex populo adfuerit:
„quid quæſo magis refert privatam Pon-
„tificiorum Miſſam? 15. Ibidem impe-
„ratur, ut omnes ter accedant ad com-
„munionem annuatim præſertim vero
„in Paſchate. Judaicum hoc eſt, ne-
„que legitur, Chriſtum alligaſſe Sacra-
„mentum hoc cuivis ſpeciali tempori;
„ſed dixit, hoc facite, quoties ederi-
„tis,

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„tis, &c. 16. Ut perſuadeant populo „neceſſitatem Baptismi, pag. 216. ci„tant verba illa Chriſti: niſi quis rena„tus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c. Quæ „tamen de Baptismo aquæ non intelli„genda ſunt: & ibidem dicitur, Do„minum ſanctificaſſe fontem, prorſus ſi„ne ullo Scripturæ teſtimonio. 17. In „Exhortatione poſt conſignationem cru„cis in baptismo, fundamentum hoc „ut indubitatum ponitur, omnes bapti„zatos eſſe regeneratos, & pag. 224. „infantes baptizatos omnia habere, „quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt; quod „eorum eſt axioma, qui totalem & fi„nalem vere Sanctorum Apoſtaſiam „tuentur. 18. Interrogata ad privati „baptismi examinationem propoſita, „pag. 223. præſupponunt, eos bapti„zare poſſe, qui tum formam tum ma„teriam baptismi prorſus ignorant. 19. „Dicitur pag. 231. Chriſtum redemiſſe „me & totum genus humanum, quæ „phraſis cum nullibi per totum librum „commoda aliqua explicatione lenia„tur, univerſali redemptioni tam re„proborum quam electorum viam præ„ſtruit. 20. Dicitur pag. 235. Duo „eſſe ſacramenta in genere neceſſaria „ad ſalutem; quo innuitur; alia eſſe „licet minus neceſſaria, & in horum „numero poſtea oſtenditur collocari Or„dinem,

„dinem, Matrimonium, Pœnitentiam, Sæc. XVII.
„& confirmationem. 21. Internæ par- A. C. 1641.
„tes Sacramenti S. Cœnæ dicuntur,
„pag. 236. esse corpus & sanguis Christi,
„quæ vere sumuntur in S. Cœna, ne-
„que ullibi in Liturgia Eucharistiæ,
„seu in Catechismo ulla vocabula ex-
„tant, quibus phrasis hæc explicetur,
„aut a commento transsubstantiationis
„distinguatur. 22. Confirmatio p. 237.
„238. secundum definitionem Sacra-
„menti in Catechismo inserto propositam erit Sacramentum; videlicet ex-
„ternum & visibile signum internæ &
„spiritualis gratiæ in nos collatæ, in-
„stitutum a Christo ut medium, quo
„gratia recipitur, & arrha, qua de ea-
„dem gratia certi reddamur. Atque
„hic & signum externum & visibile,
„manuum impositio per Episcopum, qui
„solus confirmare potest: Gratia inter-
„na & spiritualis est defensio & vis con-
„tra omnes insultus diaboli, peccati
„& mundi, & in precatiuncula post im-
„positas manus dicit Episcopus: Sup-
„plices tibi preces fundimus pro his
„pueris, super quos ad exemplum A-
„postolorum tuorum manus imposui-
„mus, ut certiores eos hoc signo red-
„deremus tuæ in ipsos benignæ volun-
„tatis: unde sequitur, impositionem
„manuum Episcopi esse signum obsigna-

„to-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„torium, & medium, per quod gratia „confertur. Adde, quod ratione Mi„niſtri, qui eſt ſolus Epiſcopus, duo„bus genuinis Sacramentis præferatur, „& ſæpius neceſſaria dicitur hæc Con„firmatio: quid hæc a Pontificiis diffe„runt? 23. Matrimonium etiam tacite „inter Sacramenta numerari quid ve„tet? nam annulus contactu libri Pres„byteri ſanctificatus ſacrum erit gratiæ „Symbolum, ſignificans, vivendum „eſſe matrimonio conjunctis in mutuo „amore & pace, & juxta præcepta „Chriſti. 24. In celebratione Matri„monii, pag. 242. Sponſus a Presby„tero inſtituitur dicere ſponſæ: bono„rum omnium meorum te participem „facio, ſeu omnibus meis fortunæ bo„nis te amplifico, in nomine Patris, fi„lii, & Spiritus Sancti, quibus verbis „tenetur maritus bona omnia ſua mobi„lia & immobilia ſponſæ communicare, „niſi perjurus eſſe velit, ac ſacroſancto „Dei nomine abuti. 25. In ordine vi„ſitationis infirmorum, pag. 253. ægro„tus jubetur coram Presbytero parti„cularem peccatorum confeſſionem e„dere, de quibus a Presbytero abſol„vetur, quam hoc inclinat ad auricu„larem confeſſionem? 26. Graſſante „peſte, aut quovis alio morbo conta„gioſo, permittitur miniſtro S. Cœnam „cum

„cum ſolo ægroto celebrare, & ſic cum „uno ægroto: cur non cum uno quovis „alio? 27. Dicitur, pag. 267. In pri- „mitiva Eccleſia piam fuiſſe diſciplinam, „ut initio quadrageſimæ manifeſti pec- „catores ad publicam pœnitentiam co- „gerentur, eosque humiliter ſe ſubmi- „ſiſſe, ſe ad ſubeundam in hoc mundo „pœnam, qua eorum animæ ſalvæ fie- „rent in die Domini: in cujus locum, „donec eadem diſciplina reſtitui poſſit, „(quod maxime optandum eſt) viſum „eſt, ut hoc tempore coram vobis le- „gerentur generales maledictionis Dei „ſententiæ adverſus impœnitentes pec- „catores: quid hoc aliud eſt, quam „optare, ut opera pœnalia ſatisfactio- „num reſtituerentur? & falſum eſt, ul- „lam talem fuiſſe in primitiva Eccleſia „conſuetudinem, niſi forte corruptam „Eccleſiam Romanam eo elogio coho- „neſtare velis. Nonne vel hoc ſatis „indicabit, authores hujus libri ad Ec- „cleſiam præſentem Romanam in- „clinare? „ Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Semina etiam idololatriæ libro „hoc continentur. Nam 1. Calenda- „rium Catalogum habet quorumdam „virorum & fœminarum, quos ſpeciali „ratione ad Sanctorum honorem eve- „hit, quid hoc aliud eſt quam Sancto- „rum Canonizatio, quæ Sanctorum „invo-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„invocationi viam sternit? 2. Eodem „collimat Dedicatio dierum in honorem „Sanctorum, quæ ab hac Ecclesia sem„per post reformationem judicata fuit „Idololatria Papistica. 3. Beata Vir„go Maria vocatur Domina nostra, „pag. 14. 4. In oratione consecratio„nis elementorum S. Cœnæ sic habe„tur; Benedic & sanctifica verbo „tuo, & sancto Spiritu has tuas crea„turas panis & vini, ut sint nobis cor„pus & sanguis dilecti filii tui: quæ „sunt formalia verba Canonis Missæ „pro transsubstantiatione. Dicit qui„dem Apostolus, creaturas sanctificari „Dei verbo & precibus; sed an un„quam auditum, res spiritualis gratiæ „incapaces sanctificari per Spiritum? „Interim libri hujus architecti satis sen„sum suum prodiderunt, videlicet, ut „Deus omnipotentia sui spiritus mira„culose efficere velit, ut panis ille & „vinum mutetur in verum corpus & „sanguinem Christi. Nam sanctificatio „hæc, quæ verbis illis petitur, est mu„tatio quædam, eaque vel sacramenta„lis, vel spiritualis, vel per transsub„stantiationem. Non est sacramenta„lis, quia tum non opus esset aliis ver„bis, quam institutionis Christi: neque „spiritualis, nam sic potius cum An„glica liturgia dicendum esset: Sancti„ficato

„ficato nos verbo tuo & ſpiritu, ut par- Sæc. XVII.
„ticipes eſſe poſſimus corporis & ſan- A. C. 1641.
„guinis Chriſti. Reſtat itaque, intel-
„ligenda eſſe de mutatione per trans-
„ſubſtantiationem: & in hunc finem
„mentionem facit liber *corporalis*, qua
„voce notandum eſt, quod non utan-
„tur, niſi poſt conſecrationem. 5. In
„margine ponitur p. 208. cum ad ver-
„ba illa inſtitutionis. accepit panem &c.
„presbyter officiaturus devenerit, ſu-
„met tum patenam in manus. Et in
„miſſali Romano ſic habetur: Dum re-
„petit Sacerdos: hoc eſt enim corpus
„meum, hoſtiam ſupra caput elevet,
„ut ab omnibus conſpici & adorari
„poſſit. Neque dubitandum, quin idem
„hic ſit ſenſus, præſertim ſi locus & ſi-
„tus Presbyteri & populi attente con-
„ſideretur; nam Presbyter a populo
„longe remotus ad occidentalem Alta-
„ris partem facie a populo averſa ſtat,
„& populus extra ſacrarii cancellos in
„genua provolvitur: quare neceſſe eſt,
„ut patenam & calicem in altum elevet,
„ſi a populo conſpici velit; alioqui fru-
„ſtra ſpecies (ut hic liber loquitur) in
„manus ſumeret. Adde, quod ab hoc
„Presbyteri & populi ſitu ſequatur, ut-
„rumque facie ad orientem converſa
„precari. Vah! quam ſubdole ſubrepat
„Idololatria. 6. Pontificii duplicem

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„habent in Missa oblationem, alteram „præparatoriam, panis & vini conse„crandi, alteram hostiæ post consecra„tionem: utramque hic liber continet. „Prior est in offertorio differte: secun„da in memoriali oblationis post ora„tionem consecrationis; nam præter„quam quod titulus ipse illud clamet, „verba etiam memorialis satis demon„strant: & licet mentionem faciat Sa„crificii laudis, seu gratiarum actionis, „non tamen per vocem illam intelligi „debet spirituale aliquod sacrificium, „quod in laude & gratiarum actione „consistit; sed corporis Christi sacrifi„cium, sic dictum, quia per illud Deus „laudatur, Bellarmino interprete de „Missa, Lib. 2. cap. 21. 7. Licet Pres„byter ante consecrationem steterit, „nunc tamen peracta consecratione ge„nuflectit: & pag. 104. dicit, come„sam esse Christi carnem, & ebibitum „sanguinem, ac precatur, ut corpora „nostra per ejus corpus mundentur, „ac animæ in sanguine ejus laventur; „phrases admodum crassæ sunt hæ, „cum tam crude sine ulla omnino ex„plicatione aut distinctione a Pontificiis „erroribus proponantur. 8. Episcopus „aut Presbyter officians jubetur in utra„que specie Communionem primum „recipere, priusquam populo tradat,

„pag.

„pag. 210. ubi primum, Papismum re- Sæc. XVII.
„dolet vox ſpecies; quaſi elementorum A. C. 1641.
„materia, panis videlicet & vini, vere
„non manerent poſt Conſecrationem.
„2. Videtur etiam redolere conſumptio-
„nem ſacrificii, in qua formam ejus
„poni contendit Bellarminus, de Miſ-
„ſa Lib. 1. cap. 22. nam hic peragitur
„ſacrificium, & a Presbytero conſumi-
„tur, priusquam admittatur populus.
„9. In Liturgia Baptismi infans bapti-
„zatus cruce ſignatur; nonne hoc eſt
„additamentum mere humanum, &
„ritus Symbolicus, nullo Chriſti man-
„dato inſtitutis ejus ſuperadditus? Se-
„men etiam eſt horrendæ idololatriæ
„inter Pontificios, quam Eccleſia hæc
„hoc nomine expreſſe abjuravit. 10.
„Qui matrimonii vinculo conjunguntur,
„jubentur pag. 244. genuflectere co-
„ram menſa ſeu Altari Dominico; quid,
„quæſo, hoc aliud eſt, quam quod in
„ſolemnibus matrimonii jubet rituale
„Romanum?„

„Denique hic liber nobis obtruſus in
„multis Anglica liturgia pejor & cor-
„ruptior eſt, Nam. 1. multo plures
„ſancti in Calendario noſtro ponuntur,
„quam in Anglico. 2. Ante commu-
„nionem Anglicus hortatur omnes præ-
„ſentes, ut pauperum memores ſint.
„Cujus exhortationis loco quasdam ex

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„offertorio Romano depromptas reci-
„tari jubet noſter. 3. Licet quædam
„ſint in Anglico ſententiæ, quibus ad
„Eleemoſynam excitetur populus, om-
„nes tamen ſunt ex N. T. fere deſum-
„ptæ, & de Eleemoſyna tantum lo-
„quuntur, ita ut nihil periculi ſit, ne
„ad alienam oblationem detorqueantur;
„noſter vero multas prôfert V. T. Sen-
„tentias, quæ tantum intelliguntur de
„ſacrificiis & oblationibus Leviticis. 4.
„In Anglico jubetur populus precari,
„ut Deus eleemoſynam hanc ſui populi
„ſibi acceptam eſſe velit; &c. Noſter
„vero ſuperaddit gratiarum actionem
„pro iis, qui in fide mortui ſunt, &c.
„Et ſic magis accedit ad miſſam Pon-
„tificiam, prout ſupra obſervatum.
„5. In Anglico menſa Dominica in me-
„dio navis templi aut ſacrarii ponitur:
„noſter vero jubet locari ſitu altaribus
„conſueto, intra ſacrarii cancellos, qui-
„bus removetur populus, ita ut orien-
„talis ejus pars ſacrarii extrema con-
„tingat. 6. In Anglicana liturgia poſt
„orationem conſecrationis elemento-
„rum S. Cœnæ, jubetur Presbyter com-
„municare, & populo ſtatim tradere:
„at in hac noſtra poſt orationem con-
„ſecrationis (longe diverſam ab An-
„glica) ſecundæ oblationis oratio ſe-
„quitur ad ideam Miſſæ. 7. In An-
„glica

„gica Presbyter panem populo tradens „jubetur dicere: Accipe, & ede in me- „moriam, quod Christus pro te mor- „tuus sit, fide illum edito in corde tuo „cum gratiarum actione; quæ aurea „sententia, transsubstantiationis jugu- „lum secans, hic in nostra prorsus o- „mittitur, quia scilicet in canone Mis- „sæ non exstat: idem observandum e- „tiam in traditione poculi. Liturgia „Anglica habet: *Bibe hoc in memoriam „sanguinis Christi pro te effusi, & gratias „agito:* quæ verba in nostra non repe- „riuntur, quia non in Missa Romana. „8. Anglica jubet elementa tradi in „manus populi, nostra illud delet: & „sic quid vetabit, quin communican- „tium ori ingerantur? 9. Anglica ju- „bet utrumque elementum in populi „manus tradi; nostra vero nihil prorsus „loquitur de utriusque elementi tradi- „tione, contenta dixisse, populus suo „ordine communicet: hoc est, remo- „veri oportet laicos ut vulgus profa- „num extra sacrarium, ea de caussa „cancellis septum; ac quid si innuatur „alium esse ordinem populi communi- „caturi a Clericis non solum ratione „loci, sed ratione communicationis sub „utraque specie, ut Pontificii loquun- „tur. Non sine caussa tale quid pro- „positum fuisse libri nostri architectis

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„ſuſpicamur; nam differte hactenus „declararunt, fundamentum nullum „eſſe in S. Scriptura, quo ſuperſtrui „poſſit participatio in Cœna Domini ſub „utraque ſpecie: ad traditionem refer„tur ab Eliſenſi Epiſcopo Whito, libro „nuper impreſſo de Sabbatho pag. 97. „& expreſſe Montacutius Epiſcopus, in „originum libro p. 396. Ubinam (inquit) „jubentur in Scripturis infantes bapti„zari, aut in Cœna Domini ſub utra„que ſpecie communicantes *participa*„re? de his poſſumus profiteri, nihil „tale docet Scriptura, hæc non præ„dicat. Nonne merito metuendum „nobis eſt, ne ex conſulto utriusque „elementi traditionem omiſerint, ut „immani huic Sacrilegio in poſteriori „libri hujus editione viam parent? 10. „In noſtra liturgia reliquiæ panis con„ſecrati operiendæ ſunt corporali, & „menſa Dominica decoro tapete in„ſtruenda eſt: horum vero in Anglica „nulla prorſus mentio. Neque vox „*Corporale*, quæ lintea, quibus ele„menta leguntur, ſignificat, unquam „in Eccleſia audita ante natam trans„ſubſtantiationem. 11. In Anglica li„turgia univerſa fidelis populi eleemo„ſyna pauperum ærario imponi jubetur; „at in noſtra jubetur dividi, cujus al„tera ſemiſſis cedit Presbytero. 12. „No-

„ſter liber mentionem facit oblationis „panis & vini, de qua in Anglico altum ſilentium. 13. Noſter panem „azymum rotundum probat, cum Anglicus fermento & ordinario uti jubet. 14. Anglicus liber jubet reliquias elementorum ad Curati ædes „deferri, easque pro ordinario & vulgari pane & vino habet: noſter vult „reliquias illas ut ſacras in ipſo templo „conſumi. 15. Quodſi elementa conſecrata populo communicanti non ſufficerint, noſter jubet alia de novo „conſecrari; non ſic Anglicus. 16. In „prima oratione Baptismi hæc ſententia exſtat in libro hoc nobis obtruſo, „*fontem hunc baptismalem ſanctifica*; quæ „in Anglica deeſt. 17. Ibidem in „margine libri noſtri jubetur aqua fontis baptismalis ſingulis menſibus bis „renovari, & tum ſolenni verborum „formula conſecrari: utrumque in Anglico deeſt.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XIV.

Anglorum, Scotorumque Præconum Judicium de novo Canonum libro.

Cum Puritani nil ardentius percuperent, quam ut Epiſcopale Regimen in Presbyteriale converteretur, aliunde autem probe proſpicerent; quod

Salmon hiſt. d' Angl. t. 1. Jæger. hiſt. Eccl. p. 628.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

ſcopum ſuum nunquam attingere poſſent, niſi Regem, qui Epiſcopos potenter protegebat, adeo deprimerent, ut ſe eorum conſiliis opponendi viribus & auctoritate deſtitueretur, hinc primum per varias artes & violentias deprimere penitus Regis potentiam, poſtmodum die Decembris Epiſcopatum omnino abolere ſtatuerunt, populi tamen tumultum, publicamque indignationem veriti, adhuc ſuperſederunt: interim tamen populis odium in Epiſcopos inſtillare, ore & calamo adlaborarunt, eosque ſua auctoritate abuſos, tyrannidemque in ſubjectum gregem exercuiſſe ſparſis in vulgus ſcriptis calumniabantur: Prodiit ad hoc propoſitum percommodus libellus, in quo Puritani novum Canonum librum tanquam Epiſcopalis tyrannidis ſpecimen populo exhibentes, illum omnino rejiciendum demonſtrare nitebantur: & primo quidem, ut ajebant: „liber hic „Canonum obtruditur ſine ullo Eccleſiæ „conſenſu & approbatione ſynodi natio„nalis, cum tamen Hierarchici ipſi fa„teantur, Canones Eccleſiaſticos nul„libi unquam conditos fuiſſe, quam in „Synodis Eccleſiaſticis, ita Lancelotus „Andreas, Epiſcopus Wintonienſis in „concione de tubis edita & reviſa, ac „cum cæteris ejusdem concionibus „Regi

„Regi Sereniſſimo dedicata, per Gui- Sæc. XVII.
„lielmum Epiſcopum Londinenſem: A. C. 1641.
„nunc Cantuarienſem: & ordinaria
„praxis Eccleſiæ Anglicanæ in domo
„Convocationis, quæ Synodi nationa-
„lis apud eos vicem ſupplet, idem do-
„cet. 2. Uno ictu univerſam Eccleſiæ
„hujus diſciplinam, & acta ac decreta
„octoginta plus minus Synodorum na-
„tionalium penitus ſubvertit, ac in ejus
„locum novam diſciplinam ſubſtituit,
„ab Epiſcopis ſolis, remotis omnibus
„Presbyteris, formatam, qua mera
„tyrannis Epiſcoporum Diœceſanorum
„in omnes Eccleſias ſtabilitur, & qui-
„bus conceditur facultas irrefragabilis
„omnia in Eccleſia pro arbitrio circum-
„agendi. Adde, quod libro hoc aperte
„contradictoria contineantur, ac quæ-
„dam municipalibus Regni legibus di-
„ſerte adverſantia, ac errores quidam
„graves involvantur.„

„Diſciplinam receptam, & Cano-
„nibus Synodalibus ac legibus Regni
„ſancitam ſubvertit. 1. Dum interdi-
„cit Presbyteris, & Laicis, ne cauſſas
„ullas Eccleſiaſticas tractent, cap. 8.
„§. 4. unde ſequitur, abrogandas eſſe
„ſeſſiones ſeu conſiſtoria, presbyteria
„ſeu claſſes; neque concedendum eſſe
„Laicis quibuslibet, licet Eccleſiarum
„ſenioribus, & ab Eccleſiis ad Synodos

Sæc. XVII A.C. 1641.

„rite ac legitime deputatis, jus ſuffragii in Synodis. 2. Nullam prorſus „mentionem facit cujuslibet Synodi, præterquam Diæceſanæ, in qua tantum regnabit Epiſcopus, & pro cujus „arbitrio indicenda eſt: Exercitium etiam ſpiritualis jurisdictionis in Commiſſarios ſeu officiales Epiſcopi, in ſolidum transfert; quaſi vero officiales „illi eſſent a Chriſto inſtituti miniſtri Ecclesiaſtici c. 19. §. 1. 3. Interdicit aliis „omnibus Eccleſiaſticorum conventibus „pro rebus Eccleſiaſticis. c. 8. §. 2. 4. Semel quidem ſed ex obliquo, quaſi autoribus incogitantibus excidiſſet, mentio fit Nationalis Synodi: ſed altum „eſt ſilentium, quænam ejus membra „ſint: unde haud male quis colliget, „Epiſcopos ſtatuum ſe ſolos eſſe legitima Synodi illius membra: nam Synodus nationalis Eccleſias illius nationis repræſentat, & Epiſcopi ſe hactenus exornarunt elogio Eccleſiæ repræſentativæ. 5. Ordinem Diaconorum, prout a Spiritu Sancto inſtituitur, & ab hac Eccleſia receptus fuit, „penitus rejecerunt, & in eorum locum œconomi quidam ab Epiſcopis „eligendi (ſtirps prorſus novella, „Scotis ne vel de nomine cognita) aſſumuntur.„;

„Poteſtatem omnem, imo & tyrannidem Epiſcopis largitur. Nam. 1. eis „ſolis,

„ſolis, aut eorum Capellanis attribui- Sæc. XVII.
„tur facultas examinandi promoven- A. C. 1641.
„dos ad SS. Miniſterii functionem cap.
„2. §. 3. 2. Epiſcopi eſt literas dimiſ-
„ſorias concedere paſtoribus, cap. 2. §. 5.
3. Ejus ſolius eſt ordinare Paſtores c. 2. §. 7.
„4. Poteſt Epiſcopus concedere facul-
„tutem Paſtoribus non reſidendi ad Ec-
„cleſias ſuas, cap. 3. §. 1. cum tamen
„reſidentia ſit de jure divino. 5. In-
„terdicit Paſtoribus, ne alibi quam in
„ſuis Eccleſiis concionentur, quæcun-
„que demum extraordinaria occaſio ſe-
„ſe offerat, aut neceſſitas urgeat, niſi
„primum facultatem ab Ordinario loci
„(ſic Epiſcopum vocant) obtinuerint.
„cap. 2. §. 2. 6. Interdicit Paſtoribus,
„ne hæreſes & errores quoslibet, ab
„aliis paſtoribus publice licet, propoſi-
„tos, refutent, niſi facultatem a Diæ-
„ceſano obtinuerint, cap. 3. §. 7. &
„quid ſi eosdem errores foveat Epiſco-
„pus? ſilendum erit Orthodoxis paſto-
„ribus, & perçundum populo. 8. Li-
„cet ſtatuta civilia aut Eccleſiaſtica ſe-
„mel ſancita ſint iniquiſſima; interdici-
„tur tamen paſtoribus cap. 3. §. 8. ne
„iis contradicant, ſed ſcrupulos ſuos
„Epiſcopo proponant, ejusque deter-
„minationi modeſte acquieſcant. 9.
„Nulla demigratio conceditur paſtori-
„bus de Eccleſiis ad Eccleſias, cap. 4.
„§. 4. quæcunque demum utilitas, &
„ædi-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„ædificatio populi urgeat, nisi per Epi-
„scopum. 10. Potest Episcopus facul-
„tatem concedere celebrandi matrimo-
„nium, licet personarum trina denun-
„tiatio non præcesserit. 11. Episcopi
„est, indicere locum & tempus Syno-
„dorum. 12. Ejusdem est præcepto-
„res scholis, & lectores Ecclesiis præ-
„ficere. 13. Typographis interdicit,
„ne quidlibet imprimant sine facultate
„visitatorum, hoc est, Episcopi ejus-
„que Capellani, cap. 12. §. 1. & quid
„si heterodoxis illi faveant? nonne ad
„perpetuum silentium orthodoxa scripta
„damnabuntur? aut saltem expectan-
„dum erit, donec fato defunctus Epi-
„scopus orthodoxus in Cathedram ejus
„succedat: quod vix sperandum esse
„præteriti temporis experientia demon-
„strat. 14. Catalogum baptizatorum,
„matrimonio conjunctorum, præsertim
„vero demortuorum, a quibus spes lu-
„cri Episcopis affulget per approbatio-
„nem seu confirmationem testamento-
„rum, ad Episcopum quotannis trans-
„mittere jubetur presbyter. 15. Epi-
„scopi est, in suæ Diæceseos Ecclesiis
„jejunia indicere, cap. 14. §. 1. ita ut,
„nisi consentiat Episcopus, nefas sit
„publicis jejuniis & precibus gravissi-
„mam Dei iram imminentem deprecari.
„16. Episcopi est designare, ubi & quo-
„modo

„modo ponenda sint templorum pul-
„pita, quæ decora esse oportet, cap.
„16. §. 5. hoc est, Episcopo concedi-
„tur facultas imperandi lectionem Evan-
„gelii de superiori pulpito: quia illud
„dicunt quidam aliis omnibus S. Scri-
„pturæ partibus magis sacrum esse,
„propter contactum scilicet oris Christi:
„& de inferiori pulpito alias omnes
„scripturæ partes: & quid, si per illam
„pulpiti decentiam astringamur ad li-
„gneum pulpitum, propter symbolicam
„significationem crucis Christi, juxta
„Amularium Lib. 3. de divinis officiis.
„17. Episcopi est, providere de bonis
„omnibus piis usibus dicatis, eique tra-
„dentur scripta omnia, quæ ad hæc
„bona pertinent, cap. 17. §. 5. 6. 10.
„& quis pro fide Episcopi spondebit,
„ac nobis Episcoporum avaritiam ex-
„pertis persuadebit, a sacrilegio immu-
„nes futuros; aut si rei agantur hujus
„sceleris, quomodo convinci poterunt,
„cum facile illis erit scripta illa suppri-
„mere? Itaque ut sibi hic optime ca-
„visse videntur, sic in manifesto crimi-
„ne deprehensis prospexerunt: nam nul-
„lam aliam in sacrilegos pœnam sta-
„tuunt, cap. 17. §. 1. quam restitutio-
„nem. 18. Interdicit, ne sententia
„excommunicationis in quemlibet pro-
„feratur, nisi chirographo Episcopi
„prius

Sæc. XVII. A. C. 1641. „prius obſignetur, cap. 18. §. 3. Alitet „certe Chriſtus Eccleſiæ ſuæ conſuluit, „Matth 18. 17. Dic Eccleſiæ: Niſi „forte Epiſcopus ſolus Eccleſiam repræ„ſentet, ut Princeps Regnum. 19. In„terdicitur, ne excommunicati ſatis„faciant Eccleſiæ, aut abſolvantur, niſi „ex conſenſu & beneplacito Epiſcopi; „quam appoſite! nam ejus eſt abſolvere, „cujus eſt ligare. 20. Epiſcopus pot„eſt facultatem concedere converſandi „cum lege Chriſti. 21. *Interdicit*, ne „ſententia depoſitionis *contra presby*„*terum* proferatur per ullum alium, „quam Archiepiſcopum aut Epiſcopum „Diæceſeos: & ſic cautum eſt profanis „& heterodoxis, modo Epiſcopum be„nevolum habeant, quem raro adver„ſarium experientur, ſi acres ceremo„niarum defenſores ſe geſſerint, prout „Eccleſiarum frequentiſſima gravami„na hodie clamant. 22. Epiſcopi eſt „decernere, quo habitu veſtiendi ſint „Decani, Doctores, Presbyteri, Dia„coni & reliquus clerus: quisnam ille „futurus ſit, haud difficile eſt divinatu; „nam cum urgeant libri hi conformita„tem cum Eccleſia Anglica, veſtitus „ille Clericorum idem erit cum eo, qui „in Canone 74. Anglicarum conſtitu„tionum imperatur: & ſi quid ad ple„num cum Pontificiis Syncretismum „in

„in veſtitu ſacro apud Anglos deerat, „noſtri Epiſcopi in melius, ſcilicet in„dies proficientes liberaliter addent; „& ſicuti Miſſam fere totam reſtitue„runt, veſtitum etiam miſſaticum cur „omitterent? nam turpe eſſet, devo„rato bove in cauda hærere, & ca„melo abſorpto percolare culicem. 23. „Denique quaſi tæderet Epiſcopos po„teſtatis ſuæ, rapidum torrentem in„tra ullos omnino limites contineri, „cap. 19. §. ultimo: poteſtatem ſibi „aſſumunt pro arbitrio pœnas infligendi „eorum canonum violatoribus, qui „nulla ſpeciali pœna ſanciuntur: & „hunc colophonem ſuperbo huic ædifi„cio ſuperimponunt, ac ſi quid deſit, „hoc ſupplemento coronant: omnium „porro ſumma eſt, Epiſcopos poſſe ju„dicare omnes, ſed a nemine judicari.„

„Tertio. Liber hic contradictoria „quædam continet. Nam ſummariam „excommunicationem, hoc eſt, quæ „citationibus non præcedentibus fertur, „damnat, cap. 18. §. 2. cum tamen „cap. 8. §. 4. qui Synodis contradixe„rint, earumque decretis non acquie„verint, qui rubricam, canonem, ver„ba librorum horum, videlicet cano„num, liturgiæ, ordinationis, homi„liarum (ex quibus ſolus liber Cano„num tum typis commiſſus proſtabat) „mu-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„mutaverint, ipso facto excommuni-
„cati declarantur: Dein Residentiam
„Presbyteris injungunt, & tamen cap.
„10. Curati inter legitimos Ecclesiæ
„ministros recensentur: quorum nullus
„alius usus esse potest, quam ut pasto-
„ris absentis & non residentis vices sup-
„pleant.„

„Quarto. Liber hic quædam conti-
„net diserte adversantia municipalibus
„Regni legibus. Nam cap. 7. §. 6.
„parti innocenti post legitimum divor-
„tium interdicuntur secundæ nuptiæ,
„vivente adultero. Cum tamen redi-
„tus ad nuptias statuto parlamentari
„sanciatur. Dein cap. 17. §. 7. Pasto-
„res sine liberis morientes adstringit,
„ut magnam bonorum suorum partem,
„licet a majoribus hæreditario jure
„transmissa possideat, testamento leget
„in pios usus, quod multi nihil aliud
„esse credunt, quam ut in ærarium
„Episcopi conferantur; quippe quod
„illi soli commissa sit suprema ejusmodi
„bonorum cura; neque sit, qui ad eum
„rationes reddendas adigere cum aliquo
„operæ pretio possit. Sed quicquid sit
„de administratione, ipsum illud de-
„cretum excedit omnem potestatem,
„quam Reges nostri unquam sibi in li-
„beros subditos vindicarunt, & Epi-
„scopos constituit Dominos bonorum

„&

„& fortunarum, quæ illi legitime poſ- Sæc. XVII.
„ſident tanquam propria, in quæ nulli A. C. 1641.
„alteri jus quodlibet eſt: ac communi
„& recepto juris noſtri axiomati repu-
„gnat, ſtatuentis, ultimam ingenuo-
„rum hominum morientium voluntatem
„eſſe liberam.„

„Quinto. Graviſſimos aliquot erro-
„res continet, inter quos ſunt hi, Epi-
„ſcopum poſſe licentiam concedere con-
„verſandi cum excommunicatis: quod
„adverſatur mandato Chriſti, Matth.
„18. 17. Sit tibi tanquam Ethnicus
„& publicanus; & Apoſtolorum ſæpius.
„2. Poſſe licentiam non reſidendi pa-
„ſtoribus concedere, cum tamen jure
„divino, ſi fidi paſtores eſſe velint, re-
„ſidere teneantur. 3. Reditum ad nu-
„ptias parti innocenti poſt legitimum
„divortium, quamdiu adulter maritus
„vixerit, interdicitur contra Chriſti ex-
„preſſam mentem, Matth. 5. 32. & 19.
„9. quibus locis nuptiæ poſt divortium
„permittuntur. Nam ſi mæchatur, qui
„novam uxorem ducit, niſi repudiata
„priore uxore ob adulterium; tunc qui
„repudiata priore uxore ob adulterium,
„novam duxerit, non mæchatur: nam
„vis hujus exceptionis, niſi ob adulte-
„rium, eſt, ut contrarium ſupponat in
„eo, quod excipitur, uti omnes refor-
„matæ Eccleſiæ diſerte contra Ponti-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„ficios tuentur, qui eandem matrimo-
„nii indissolubilitatem in Synodo Tri-
„dentina sessione 7. cap. 24. decreve-
„runt. 4. Sic loquitur liber cap. 8.
„§. 4. quasi Ecclesia hæc Scotica tam
„in doctrina quam disciplina nondum
„reformata esset, judicent vel cæci,
„quam posticam hic sibi aperiant Epi-
„scopi, qua impune doctrinam mutare
„possent: ideoque nullam prorsus men-
„tionem faciunt Confessionis fidei in
„publicis Regni comitiis olim sancitæ.
„5. Ordinem in sacris aperte inter Sa-
„cramenta refert cap. 2. §. 7. Nam
„quæ ad integritatem Sacramenti
„(prout supra definivisse Catechismum
„Liturgicum diximus) requiruntur,
„hic invenies; nam ritus externus est
„manuum impositio: Adest etiam in-
„ternæ gratiæ promissum, quæ per im-
„positionem manuum confertur: Ac-
„cipe, inquit Episcopus ordinans, Spi-
„ritum Sanctum. Et cum Dei gratiam
„ordinandis precentur, oportet promis-
„sum exstare, si preces ex fide esse vel-
„lent. Divinam etiam institutionem
„vindicant, quasi Deus instituisset, ut
„per manus Episcopi gratia illa confer-
„retur. 6. Idem de Pœnitentia colli-
„gere licet; alias, cur ejus partes, uti
„Pontificii vocant, Confessionem & Ab-
„solutionem sacramentalem vocarent,
„vocem-

„vocemque hanc majuſculis literis de- Sæc. XVII.
„pingi curarent. pag. 18. §. 9. Deni- A. C. 1641.
„que ut fuco ſpecioſiori omnia vela-
„rent, Sereniſſimo Regi noſtro adulan-
„tur hic Epiſcopi noſtri libri hujus au-
„thores. Nam cap. 1. §. 2. quamcun-
„que poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis
„pii Reges inter judæos unquam obti-
„nuerunt, & exercuerunt, eandem
„ſimpliciter & ſine ulla reſtrictione Se-
„reniſſimo Regi & ejus Succeſſoribus
„in hac Eccleſia tribuunt: unde ſequi-
„tur, Reges noſtros Sereniſſimos au-
„thoritatem habere conſignandi & ſcri-
„bendi libros Canonicos S. Scripturæ:
„nam nulli ignotum eſt, Davidem &
„Salomonem ea munera in Eccleſia ju-
„daica exercuiſſe, & infallibiles fuiſ-
„ſe, eatenus ſaltem, quatenus Spiritus
„Sanctus amanuenſes rexit & cap. 8.
„§. 4. Regem ejusque Succeſſores ſta-
„tuunt ſupremos Judices controverſia-
„rum omnium Eccleſiaſticarum tam in
„doctrina quam in diſciplina: cum ta-
„men ſuprema poteſtas determinandi
„controverſias in qualibet Eccleſia ſit
„penes Synodum nationalem legitime
„vocatam & formatam, ut rotunde abs-
„que verborum involucris loquuntur
„Theologi ex magna Britannia a piæ
„memoriæ Rege Jacobo ad Synodum
„Dordracenam deputati, Seſſione 29.

Sæc. XVII. A. C. 1641. „illius Synodi, in responsione ad protestationem Remonstrantium.„

§. XV.

Insidiæ novo Lusitaniæ Regi structæ.

Vertot revol. de Portug. p. 237.

Postquam Joannes in Lusitaniæ Regem a Proceribus populoque proclamatus, inauguratusque fuerat, die vigesima octava Januarii convocatis Regni Ordinibus, suum jus ad coronam discuti jussit, cum igitur ipse ex parte Materna ab Eduardo Regis Emanuelis Filio, econtra vero Hispaniæ Rex nonnisi ab ejusdem Regis Filia successionis incapaci descendisse compertum esset, hinc unanimi omnino suffragio pro legitimo Lusitaniæ Rege habebatur: Postea Oratorem suum Michaelem de Portu - Gallo Episcopum Lameganum die vigesima Novembris Romam decrevit, ut pro more Urbano VIII. Pontifici Maximo filiale obsequium deferret. Hunc vero Legatum a Papa minime acceptandum censebant Cardinales Hispanis addicti, quæ tamen disceptatio brevi dirempta, & Orator admissus est, eoquod Curiæ Romanæ consuetudo ferat, quod dissidentibus de Regno Principibus, ejus, qui Regnum possidet, Legatus admitteretur, ne interim Religio, resque Ecclesiastica detrimentum patia-

patiatur. Ita pariter Lusitani Oratores in Suecia, Francia, Anglia, aliisque Regnis perhonorifice excipiebantur, solus Daniæ Rex Hispanos Austriacosque offendere veritus, Franciscum Susam Cetinum non tanquam Oratorem Regium, sed ut Nobilem Lusitanum admisit. Viciſſim vero hi Reges Ulyssiponam Legatos novo Regi gratulatum miserant: sed nempe, raro recens felicitas satis tuta adversus invidiam est; inter ipsos enim festivos aggratulantium applausus Ulyssipone imo in ipso Regis Palatio detestanda conflatur conspiratio, quæ Regi sceptrum & vitam eripere parabat: Indigna res quibusdam Lusitaniæ Proceribus visa est, eum colere Regem, quocum eodem ferme die honores & obsequia æquali sorte partiebantur, atque inter ceteros Sebastianus de Mattos Bragæ Archiepiscopus, se contemptum & Pro-Reginam custodiæ datam indignatus, eidem libertatem, ac sibimetipsi auctoritatis suæ continuationem Regis excidio procurare statuit: Vocabat in consilii sui societatem Villa-Regium Marchionem, & Aveirum Ducem, ambos Regio sanguine satos, Armamarum Comitem Archiepiscopi Nepotem, Ballerasium Comitem, Augustinum Corream, Carvalium Regii thesauri Custodem

Sæc. XVII. A. C. 1641

Sæc. XVII. A. C. 1641.

pluresque alios, qui ſua munia, ac fortunas Hiſpanis in acceptis olim referebant. Hi ergo conſilia ſua de Bragantio unacum Conjuge & liberis evertendo cum Olivario primario Hiſpani Regis Miniſtro conferunt, ac jamjam inter ſe præcipua Regni munia in fidelitatis præmium diſtribuunt, ſilentibus cunctis, conjuratoque ſtudio ſperatam felicitatem ſupprimentibus: Præfigebatur magnanimo huic auſui quinta Auguſti dies, in qua Judæi noctu in quatuor regii Palatii angulis, variisque urbis ædibus ignem injicerent, & conjurati incendium extinquendi ſpecie Regem, regiamque familiam interciperent, Hiſpanis interim cum valida claſſe appulſuris: Haud exiguæ tamen molis erat, Olivarium de conceptæ conjurationis ſerie certiorem reddere; omnes enim Regni fines ob detecta Pro-Reginæ cum Hiſpanis commercia regio ſatellite ſolerter cuſtodiebantur: Seligebatur tamen ditiſſimus quidam Mercator, qui ob vaſtiſſimum per univerſam Europam commercium literas in Hiſpaniam mittendi libertatem a Rege obtinuerat; Huic ergo conjurati literas ad Olivarium ſcriptas conſignant, quas ipſe ad Marchionem de Agumomente, qui in extremis Luſitaniæ finibus Gubernatorem agebat, miſit, in Hiſpaniam deferendas:

das: Hic autem haſce literas Inquiſitoris Luſitani ſigillo munitas, atque ad primarium Hiſpaniæ Miniſtrum inſcriptas admiratus, eas aperuit, illasque comperto conjurationis conſilio ad Regem transmiſit. Obſtupuit Rex, quin tamen periculi gravitas animi ſerenitatem turbaret; præprimis igitur copias vicinas Ulyſſiponem ſub recenſionis obtentu ingredi jubet, Archiepiſcopum quoque & Villa-Regium ad ſuum cubile accerſit, necnon Camineum Ducem, ceterosque conjuratos ſummo ſilentio cuſtodiæ dari præcipit. Regis juſſa ad amuſſim executioni dantur, ac ſine ullo ſtrepitu nondum evoluta quarta horæ parte quadraginta ſeptem conjurati in vinculis hærent: ſubjiciuntur quæſtioni, atque inter eos Baeza Judæus ceteris prior crimen faſſus eſt, ceteris vero aut confeſſis aut convictis, Rex præcipuos conjurationis Authores capite, ignobiliores autem ſuſpendio plecti juſſit: Sebaſtianum denique Bracarenſem, ne Papam, Auſtriacamque Domum offenderet, ad perpetuos carceres damnavit. Quamvis igitur nupera conjuratio contra Hiſpaniæ Regem proſperum ſit ſortita exitum, hæc tamen in Luſitaniæ Regem mota feliciter detecta eſt, ita diſponente Divina Providentia, quæ cuncta

Sæc. XVII. A.C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

nec Principum, nec ſubditorum crimina, impunita abire permittit, ne Principes ſubditorum tyranni evadant, & ſubditi Principum potentiam timere diſcant.

§. XVI.

Galliarum Regis victoriæ contra Hiſpanos.

Jæger. Hiſt. Eccl. l. 1. cap. 2. Calmet hiſt. Univ. l. 151.

Interim Ludovici XIII. Franciæ Regis exercitus, quos in variis Regionibus contra Hiſpanos eduxerat, vario Marte pugnabant; & quidem in Italia Honorius Grimaldus Monacenſis Princeps, quod Hiſpani ſuæ arci & urbi pro arbitrio dominarentur, indignatus, clam cum Franciæ Rege conſpirabat, excuſſoque Hiſpaniæ Regis obſequio, admiſſis Gallis Hiſpanos e ſuo Principatu expulit, in perfidiæ præmium a Gallo Rege titulo Ducis Valentiæ honoratus. Paulopoſt Harcurtius Comes Cuneum urbem feliciter captam Sabaudiæ Duci reſtituit. In Flandria vero Melleraius Franciæ Mareſcallus Ariam urbem aggreſſus non ſine cruenta oppugnatione illam die vigeſima Julii dedicione cepit, quam tamen Menſe Decembri Hiſpani diuturna obſidione recuperarunt: Res melius ſucceſſit in Catalonia Philippo Mottæ-Hodancurtio, quem

quem Franciæ Rex in Barcinonenſium opem ſubmiſerat; poſtquam enim Cataloni cives Marchionem Vellium, quem Hiſpaniæ Rex cum valido agmine in rebelles immiſit, a Barcinonenſi urbe tanto furore repulerant, ut Hiſpani projectis armis ſeſe Tarraconem nuper deditione captam præcipiti fuga recipere cogerentur, mox Hodancurtius novis auctus copiis Tarraconem obſidere cæpit, a qua tamen obſidione per claſſem Hiſpanam non ſine clade & dedecore repulſus, ex ipſa Martis fruſtratione animum redintegravit, atque in ditione Ruſcinonenſi Canetum, Elnam, & Argilleriam cepit, Hiſpanosque hanc Provinciam e Caſtilia infeſtantes, diverſis præliis proſpero Marte conſertis repreſſit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XVII.

Belli inter Urbanum VIII. Papam, & Ducem Parmenſem exorti initia.

Poſt tot, tamque cruenta bella, quibus Chriſtianus Orbis tanto tempore ſœde lacerabatur, repente in ipſa Romana urbe novi belli incendium erupit. Cauſſa illius erat cupiditas, faſtusque Barberinorum Nepotum, qui ſeneſcente Urbano Papa pro arbitrio, ſummoque Imperio in urbe domi- *Palat. Vit. Urb. VIII. pag. 558. Nani Hiſt. Venet. l. 12. pag. 563.*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

nabantur, ſuasque divitias novis ditionum urbi vicinarum acceſſionibus augere certabant: cum ergo Paulus III. Farneſius familiam ſuam Parmæ & Placentiæ Ducatu, necnon Caſtrienſi ditaſſent, Barberini alienæ felicitatis æmuli Caſtrum, utpote Romanæ urbi vicinum, ſibi vindicandi, occaſionem aucupabantur: nec ea quærentibus deerat; cum enim Octavius Farneſius Parmenſis Dux Romæ pecunias ad quæſtum recepiſſet, & creditoribus in penſionem annuam proventus ex Roncilione, & Caſtro aſſignaſſet, Rainutius vero Odoardi Filius intermiſſa ſolutione Creditores ad paupertatem redigeret, hi querelis & gemitu aures Pontificis fatigare cæperant. Indulſit tamen Pontifex Odoardo, ut cenſus imminuere poſſet: ex hac ipſa vero Urbani benevolentia orta eſt Nepotum æmulatio, qui Odoardum obliquis aſpicientes oculis, acerbisque criminationibus laceſſitum eo compellebant, ut exoſum Barberinæ Domus Regimen Pontifici aperiret, ſeque Roma diſceſſurum indicaret. Querelas Urbanus magno dolore, obortisque ubertim lacrimis excepit, Odoardus autem, inſalutatis Franciſco & Antonio Cardinalibus Barberinis, Roma exceſſit, quin creditoribus ſuis ſatisfeciſſet: unde eorum

rum præcipui apud Romanum tribunal, & Barberinos inſtabant, ut Caſtrum eis oppignoratum, necnon rei frumentariæ apparatus venderetur: In jus vocatur Odoardus a Judice, quem tamen ſibi infenſum fore ratus, prætermiſſa juris via armis ſeſe defendere ſtatuit, miſſoque Delphino Angelerio cum copiis Caſtrum muniri juſſit. Horum ignari erant Barberini, quorum impulſu Caſtrum miſſi ſunt exactores, qui rem frumentariam utpote creditoribus obnoxiam Romam conveherent: Aſt hi inde reduces, annonam a Duce navigiis impoſitam, ad exteros fuiſſe evectam, Caſtrum vero præſidiariis, novisque operibus munitam nuntiabant. Hæc Barberini, in Pontificis contemptum tentata credebant, quocirca Octavius transmiſſo decreto monetur, ut intra triginta dies dimiſſis præſidiariis propugnacula recens erecta everteret, ſi ſecus, tanquam refractarius ſacris, profanisque armis oppugnandus eſſet. Odoardus his minis haud territus, de contumacia accuſatur, Pontifex autem Nepotum impulſu ſex peditum millia, & quingentos Equites ductore Ludovico Matheo Viterbium duxit: Inopinatus hic belli apparatus vicinos Principes ſollicitos tenebat, ac præprimis Cæſaris, Regumque Oratores, & Nea-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Neapolis Pro-Rex, Magnus Etruriæ & Mutinæ Duces, necnon Venetorum Respublica ſua interponebant officia, ſuadentes, ut calamo, non gladio hæ contentiones dirimerentur: Verum Barberini reſponderunt, concordiæ locum non eſſe, niſi Odoardus ſe Sedis Apoſtolicæ clientem fiduciarium agnoſcat, Romam veniat inermis, & pedibus advolutus Pontificis, commiſſi criminis veniam imploret. Præſtituuntur poſtea Odoardo alii quindecim dies, quibus evolutis hujus Principis bona creditoribus ceduntur, Dux vero decreto anathemate reus læſæ Majeſtatis, Parma, Placentia, omnique alio dominatu exuitur, atque univerſus Caſtri Principatus, quem Delphinus ignave dederat, ac propterea capite plexus erat, a Pontificio milite occupatur. Percepta Caſtri jactura Odoardus fœdere cum Hetruſco, Mutinenſibus, Venetisque inito cunctos Religioſos admonuit, ne Pontificium anathema in uſum deducerent, ſi qui vero illud pertimeſcerent, ſolum mutarent. Interim vero Mutinenſis Dux, aliique Italiæ Principes cum Barberinis controverſiam amica tranſactione componere haud ceſſabant: Verum Barberini, ut Odoardum Ducem lenta moleſtia conſumerent, & Mediatorum patientiam fatigarent, oppido duras pro-

proponebant concordiæ leges: viciſſim vero Dux ad cuncta pacis conſilia ſe paratum ſimulabat, ut temporis beneficio validiorem exercitum contrahere, expoſitisque rationum ſuarum momentis vicinos Principes ſibi conciliare valeret: Attamen Barberini, ne Caſtri poſſeſſione exuerentur, haud cunctandum rati, copiis ad Padi oras traductis, Melaræ urbi præſidium imponunt, & Ambroſium Carpineum jubent, ut tranſitum a Mutinenſi Duce peteret, & in Parmenſem Ducatum irrueret. Tum vero Veneti, quod rei ſuberat, ſuſpicati, feſtinanter ductore Aloyſio Georgio cum exercitu cis Mincium in Mutinenſis opem accurrunt: magnus quoque Etruriæ Dux milite & pecunia Mutinenſem juvare properat: Horum concurſu territus Carpineus, quindecim dierum inducias propoſuit, ut apud ſequeſtres de concordia ageretur: incaſſum tamen: Barberini enim cuncta pacis conſilia eo fine eludebant, ut priusquam vicini armarentur, Parmenſem ad obſequium cogerent: Pontifex quoque nova Cardinalium, quos antea rejecerat, inauguratione Cæſarem, Hiſpanos & Gallos ſibi devincire nitebatur. Ejusmodi tamen ſollicitationes Venetos non abſterrebant, quominus cum Etruriæ & Mutinæ Ducibus mutuam

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A.C. 1641.

tuam armorum ſocietatem inirent, ne autem bellum adverſus Eccleſiam movere crederentur, promulgarunt, ſe „arma parare contra illos, qui Ponti„ficiis armis, non pro Eccleſia, ſed pro „familia ſua in Parmenſis perniciem ab„uterentur: His ergo ſacrilegia, cædes „& rapinæ imputandæ forent., Horum auxilio fretus Odoardus, in Bononienſem ditionem irrupit, direptaque Plumaria urbe Pontificios in fugam egit, ac per Etruriam profectus, verſus Caſtellam ad Lacum caſtra promovit, quo Lionæus Galli Regis Orator, impellente Papa maxime conſternato, contendit, de concordia cum Odoardo acturus. Pollicebatur hic obedientiam, dummodo Caſtrum cuidam ex ſuis fœderatis depoſiti nomine traderetur. Rejecta a Barberinis hac conditione, Odoardus Aquilam verſus, incenſo oppido Panicali, movit: Novo tunc terrore perculſi Barberini, inducias, non paciſcendi, ſed validiores copias Odoardo opponendi animo, per Valenzæum Ducem Gallum petebant, Dolum ſubeſſe ſuſpicabantur Ducis Fœderati, ex quibus Mutinenſis Ferrariam intercipere feſtinabat, ſed nimia feſtinatione ſeipſum deluſit: Odoardus tamen felicior Bondenum, & Stellatam Ferrarienſis Ducatus urbes deditione cepit, & Ve-

& Veneti captis pluribus oppidis Antonii Barberini Cardinalis molimina disjecerunt, Padique oram insedere. Aliquandiu utrinque mutuis, levibus tamen cædibus, & victoriis pugnatum: Romæ vero velut hoste penitus debellato tam ingens erat exultatio, ut etiam Principum Oratores, qui pacem conciliaturi aderant, abire juberentur: Hoc exemplo impulsus Venetorum Senatus, vicissim Vitellio Papæ Nuntio Venetiis excedere præcepit. Tum vero Barberini Venetam & Mutinensem ditionem, fœderati vero Bononiam infestare certabant, æquato plerumque inter ipsos pene decore, & cladis ignominia. Tandem Ludovicus XIII. Galliarum Rex Alexandrum Bichium Venetias misit, ut sepositis armis Italos reconciliaret: Annuit Senatus, ea lege, ut Castrum suo Principi restitueretur: inde Bichius Romam delatus, summo Pontifici Italiæ discrimen gravibus oppido verbis exposuit. Obstupuit Urbanus, rerumque hucusque gestarum ignarus, aut ignorare simulans, non sine magna animi commotione suis exprobravit, quod Pontificias ditiones vicinorum Principum armis devastari, sibi celassent: mox igitur indicto Purpuratorum Conventu suis Nepotibus præcepit, pacem reddere satagerent, prius-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

priusquam ipse senio confectus migraret e vivis. Tergiversabantur adhuc Barberini; donec tandem Pontificii milites capto Caraffa, Doria, aliisque pluribus magni nominis Tribunis prope Ferrariam a Venetis cæsi, fugatique fuissent: Tum vero pace inita, & restituto Castro, creditoribus ex Odoardi bonis satisfieri curarunt, Rex etiam Galliæ pro Odoardo deprecabatur, & Cardinalis Bicchius fœderatos Principes Barberinis conciliabat, propositis concordiæ legibus, quæ a singulis signatæ die prima Maij anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto inter Missarum solemnia in Basilica ad S. Marcum palam promulgatæ fuerunt. Ita demum hoc Ecclesiæ bellum finitum est, quod majori tumultu, quam successu, potius ad populorum vexationem, quam hostium perniciem, rara clade, & victoriis ferme nullis, ab ejusmodi hominibus, qui ad pacis negotia aptiores fuerant, quam ad belli opera, per integrum triennium fuerat continuatum.

§. XVIII.

Motus contra Jansenii libri editionem Romæ excitati.

Abrege de l'Hist. Eccl. tom 3. Leydeck. hist. Jans. c. 2. l. 1.

Non minus acre, incruentum tamen, bellum in Romana Curia move-

movebatur contra editionem libri, quem Jansenius sub nomine *Augustinus* conscripsit: Postquam enim Jesuitis innotuerat, quod insuperhabita Molinistarum oppositione & Nuntii Bruxellensis repugnantia, hic idem liber Lovanii a Joanne Zegero Typographo fuerit excusus, eumque Henricus Calenus Bruxellensis Archipresbyter & Dupontius librorum Censores approbassent, instigantibus Molinisticæ factionis fautoribus, præcipue Petro Biverio, Ignatio Derkenni, & Joanne Iongio Jesuitis, Stravius Apostolicus Nuntius Bruxellensis, datis ad Barberinum Cardinalem literis exposuit, hac ratione violari Pauli V. & Urbani VIII. decreta, quibus vetitum, ne circa gratiæ efficacis controversiam quicquam absque Sedis Apostolicæ licentia vulgaretur. Monitus ab hoc Cardinale Pontifex, non sine indignatione præcepit, ut hoc opus, quantum fieri posset, supprimeretur. Haud ægre id impetrari potuisset a Viris parere assuetis, nisi ipsa prohibitione, & præcipiti severitate, prout fieri amat, impugnandi aviditas, & oppositæ partis æmulatio fuisset accensa; mox enim, altera parte nondum audita, novam hæresin conflari, concionibus in vulgus a Molinistis spargebatur, errorum catalogi evulgabantur, & Jan-

Sæc. XVII. A.C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

senii doctrina cum Calviniana conspirare, ante Sedis Apostolicæ discussionem & judicium jactabatur: præterea Lovanienses Jesuitæ Jansenii librum, publicis thesibus die vigesima secunda Martii propugnatis, infectati sunt, sicque scintillæ adhuc sub cineribus latentes in apertum incendium eruperunt, sparsis ubique libellis, quibus Jesuiticæ theses acriter impugnabantur: Vicem repensuri Jesuitæ, die prima Augusti ab Universali Inquisitione Romana decretum impetrarunt, quo Jansseniani Augustini, nondum tamen perstricta ejus doctrina, necnon thesium, ceterorumque scriptorum ultra, citroque editorum lectio fuit interdicta, non alio tanti strepitus emolumento, nisi quod irritata Eruditorum siti, Jansenii Augustinus Francofordiæ, Coloniæ, & postea Parisiis ac Rotomagi iterato prælo excuderetur, nequicquam obsistente Fabio Gighio, aliisque. Adeo proclive est in vetitum curiosi hominis ingenium.

§. XIX.

Urbani VIII. Papæ Constitutio contra Jansenii librum, aliaque scripta.

Bull. Magn. Urb. Const. 284.

Postquam vero Urbanus VIII. Pontifex per eundem Gighium, necnon per

per Paulum Stravium Bruxellenſem Nuntium & Barberinum Cardinalem compererat, quod non modo Janſenii liber, ſed & plurima alia ſcripta tam in illius defenſionem quam oppugnationem promiſcue omnium manibus terrerentur, die ſexta Martii edita Bulla, quæ incipit: *In eminenti*, Pii V. Gregorii XIII. & Pauli V. Pontificum Conſtitutiones, quibus nonnullæ Theologorum opiniones prohibebantur, confirmavit, ac inſuper Janſenii librum, in quo Baianæ doctrinæ innovantur, aliaque ſcripta de gratia, utpote ſine Congregationis ſancti Officii permiſſu edita prohibuit, his verbis: Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Noviſſime tandem accepto per Nos „in Oppido (Civitate nuncupato) Lo„vanienſi, quosdam aſſertos Cornelii „Janſenii olim Epiſcopi Iprenſis Execu„tores ex Teſtamento in lucem edi cu„raſſe librum, cui titulus, Auguſtinus, „ex profeſſo continentem, & tractan„tem materiam de Auxiliis nulla peni„tus petita, vel obtenta a dicta Con„gregatione licentia illum imprimendi, „ejusque operis occaſione Patres So„cietatis Jeſu, nonnullas in Civitate „Antverpienſi de eadem materia tra„ctantes Theſes, pariter absque licen„tia ejusdem Congregationis, imprimi „curaſſe; opinionesque Janſenii in præ-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„dicto libro contentas oppugnaſſe, rur-
„ſusque nonnullas alias, Orationes,
„Scripturas, Epiſtolas, Theſesque in
„calce infra ſcripti Decreti noſtri tunc
„regiſtratas, tam pro dicti libri Janſe-
„nii, quam theſium a Patribus Jeſuitis
„editarum defenſione impreſſas fuiſſe,
„non ſolum contra prædictorum Decre-
„torum prohibitionem, ſed etiam in
„grave ſcandalum, & offenſionem Ec-
„cleſiæ Catholicæ.„

„Nos, ut malis hujusmodi immi-
„nentibus quanto citius occurreretur,
„& ne in poſterum ullus auderet dictis
„Decretis contraire, per aliud Decre-
„tum in alia plena, & Generali Con-
„gregatione ejusdem ſanctæ Romanæ,
„& Univerſalis Inquiſitionis coram No-
„bis die prima Auguſti proxime præ-
„teriti habita, inhærendo prioribus
„Decretis a Paulo Prædeceſſore, & a
„Nobis, ut ſupra editis, pro tunc di-
„ctum librum Janſenii, cui titulus:
„Auguſtinus, Lovanii impreſſum, nec
„non Theſes a Patribus Societatis Jeſu
„Antverpiæ in lucem editas, aliasque
„ſcripturas in calce poſterioris noſtri
„Decreti hujusmodi regiſtratas, jam
„vigore anteriorum ſupra dictorum De-
„cretorum prohibitas, de novo prohi-
„buimus, ac pro prohibitis omnino ha-
„beri volumus: Mandavimusque ſub
„pœna

„pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne quis cujuscumque status, gradus, conditionis, & qualitatis, etiam speciali, & specialissima nota dignus, librum, & Theses prædictas, aliasque Scripturas, ut supra, absque dictæ Sedis licentia, in dicta Congregatione sancti Officii obtinenda, retinere, & legere posset. Mandavimus insuper omnibus & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali Dignitate suffultis, Collegiis, & Universitatibus, sub prædictis, ut supra, excommunicationis ipso facto incurrendæ, interdicti Ecclesiastici respective, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in posterum auderent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, Compositiones, ex professo, vel incidenter, etiam, sub prætextu commentandi Divum Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Jansenii, cui titulus Augustinus, vel Theses Patrum Societatis Jesu, aliasque Scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratas, & prohibitas, aut

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„alia quavis occaſione, vel modo de „materia Auxiliorum divinorum, ſeu „de gratia, & libero arbitrio tractan„tes, ſine expreſſa licentia a Nobis in „dicta Congregatione ſancti Officii ob„tinenda, donec aliud in hac materia „a Sede Apoſtolica prædicta foret or„dinatum.„

„Abſolutionem vero a prædicta ex„communicatione, necnon interdicti ſu„ſpenſionem, & relaxationem, Nobis, „& dictæ Congregationi reſervavimus: „Non obſtantibus quibuscunque privi„legiis, etiam ſanctæ Cruciatæ, Jubi„læi (etiam generalis) & facultatibus „Miſſionariorum, ac aliis a dicta Sede „emanatis, ſeu emanandis, quibus „omnibus in hac parte derogavimus: „Voluimusque ea omnia ſuum plena„rium ſortiri effectum, omnesque con„tra facientes, ut ſupra, ligare, nec „quemquam excuſari poſſe, etiam ſub „prætextu, quod anteriora Decreta „Pauli Prædeceſſoris, & noſtra, alias „ut præfertur edita, non forent in Pro„vinciis intimata, vel uſu recepta. Ir„ritum quoque & inane decrevimus, „quicquid ſecus ſuper his a quoquam „quavis auctoritate ſcienter vel igno„tanter, contigerit attentari. Contra„riis quibuscunque non obſtantibus. Et „ne præmiſſorum ignorantia poſſet ab „ali-

„aliquo prætendi, voluimus, ut poste- Sæc. XVII.
„rius noſtrum Decretum hujusmodi, A. C. 1641.
„ſeu illius exemplum, ad Valvas Baſi-
„licarum ſancti Joannis Lateranenſis,
„& Principis Apoſtolorum de urbe, &
„in acie Campi Floræ affixum, omnes
„ita arctaret, & afficeret, ac ſi unicui-
„que perſonaliter intimatum foret.„

„Nota vero Librorum, & Scriptu-
„rarum prohibitarum, in calce poſte-
„rioris Decreti Noſtri hujusmodi regi-
„ſtratarum, hæc eſt. Liber, cui titu-
„lus, *Auguſtinus*, impreſſus Lovanii Ty-
„pis Jacobi Zegeri Anno 1640. & Pa-
„riſiis, 1641. *Theſes Theologicæ* de gra-
„tia, libero arbitrio, & prædeſtinatio-
„ne, Antverpiæ apud Joannem Meur-
„ſium Anno 1641. Cornelii Janſenii
„Iprenſis Epiſcopi &c. *Laudatio funera-*
„*lis* dicta a Rev. Fratre Joanne a lapide
„&c. Lovanii, Typis Bernardini Marii
„&c. Epiſtola idiomate Hiſpano, All
„Eminentiſſimo Y Reverendiſſimo Sen-
„nor Cardinal de la Cueva de la Congre-
gacion de la Sacra Inquiſicion, por el Pa-
„dre Pedro Bivero de la Compannia de
„Jeſu Prædicador del Sennor Cardenal
„Infante; data in Bruxellas 26. Henero
„1641. *Memoriale* idiomate Hiſpano Car-
„dinali Infanti Hiſpan. incipiendo Sere-
„niſſimo Sennor, & finiendo Como es V.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Cathol. Real. A. Libellus, cui titu-
„lus: *Humilis, & ſupplex querimonia* Ja-
„cobi Zegeres Typographi Lovanienſis
„adverſus Libellum R. P. S. J. Regiæ
„Capellæ Bruxellis Concionatoris, &
„*Theſes P. P. Societatis*, Lovanii apud
„Jacobum Zegers Anno 1641. primæ,
„ſecundæ, & tertiæ editionis. *Memo-*
„*riale* ad Eminentiſſimum Cardinalem
„de la Cueva, circa querimoniam fri-
„volam Janſenianam &c. contra Theſes
„Theologicas, & Libellum ſupplicem
„&c. ejusdem de eodem tela ingeſta,
„& regeſta. *Theſes Theologicæ Apolo-*
„*geticæ, & Miſcellaneæ* adverſus doctri-
„nam Cornelii &c. ſub prætextu queri-
„moniæ Typographi Lovanienſis, edi-
„tionis ſecundæ &c. Antverpiæ apud
„Joannem Meurſium Anno 1641. Li-
„bellus, cui titulus, *Auguſtini Hippo-*
„*nenſis, & Auguſtini Iprenſis, de Deo om-*
„*nes ſalvare volente &c, Homologia &c.*
„Lovanii apud Jacobum Zegers Anno
„1641. *Epiſtola Liberti Fromundi, &*
„*Henrici Caleni* Lovanii 16 Junii 1641.
„R. P. Societ. Jeſu Lovan. incipiendo:
„*Theſes veſtras. Epiſtola Profeſſorum S.*
„*Thom. Colleg. Societat. Jeſu Lovan.* Li-
„berto Fromundo, & Henrico Caleno,
„incipiendo: *Gratias agimus &c. Epi-*
„*ſtola*, cui titulus, *Petrus Biverus Do-*
„*ctoribus Janſenianis &c.* Ad rem &c.
„in

„incipiens: *Ad rem*, *Amici* &c. *Som-* Sæc. XVII.
„*nium Hipponenſe*, ſive de Controverſiis A. C. 1641.
„&c, Relatore Philetimo S. T. Baccal.
„Formato, Pariſiis Anno 1641. inſuper
„omnes alii libri, Opuſcula, Epiſtolæ,
„Orationes, Theſes &c. aliaque om-
„nia tam edita hucusque, quam im-
„primenda tam contra, quam pro Cor-
„nelio Janſenio, ac Patribus Jeſuitis.„

„Cum autem ex diligenti, & ma-
„tura ejusdem libri, cui titulus, *Au-*
„*guſtinus*, lectione, poſtmodum com-
„pertum fuerit, in eodem libro multas
„ex propoſitionibus a Prædeceſſoribus
„noſtris olim, ut præfertur, damnatas
„contineri, & magno cum Catholico-
„rum Scandalo, & auctoritatis dictæ
„Sedis contemptu contra præfatas dam-
„nationes, & prohibitiones defendi:
„Nos huic malo, in ſcandalum totius
„Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Ca-
„tholicæ perniciem vertenti, opportu-
„num remedium adhibere volentes:
„Conſtitutionis Gregorii, ac Pauli Præ-
„deceſſorum noſtrorum, necnon Decre-
„torum hujusmodi totos, & integros
„tenores, ac datas etiam veriores præ-
„ſentibus pro totaliter expreſſis & in-
„ſertis habentes, Motu proprio, & ex
„certa ſcientia noſtra, ac de Apoſto-
„licæ Poteſtatis plenitudine, hac per-
„petuo valitura Conſtitutione ejusdem

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Pii, & Gregorii Prædeceſſorum, hu„jusmodi Conſtitutiones prædictas, „omniaque & ſingula in eis contenta, „Apoſtolica auctoritate tenore præſen„tium, perpetuo confirmamus, & ap„probamus, librumque prædictum, cui „titulus eſt, Auguſtinus, Articulos, „Opiniones & Sententias in dictis Con„ſtitutionibus reprobatas, atque dam„natas, ut a Nobis compertum eſt, „continentem, & renovantem, aliaque „omnia opera præſentibus noſtris litte„ris ſub inſerta, quæ aliis ſub poſte„riori Decreto noſtro prædicto regiſtra„tis, per præſentes addimus, atque „adjungimus, eadem auctoritate, per „præſentes omnino prohibemus, ac pro „vetitis, & prohibitis haberi volumus, „& mandamus. Jubentes inſuper ſub „omnibus pœnis, & cenſuris in præ„dicta Conſtitutione Pii Prædeceſſoris „contentis, (quibus nullus Romano „Pontifice inferior, excepto mortis ar„ticulo, abſolvere contra facientes poſ„ſit) ne quis cujuscunque conditionis, „& qualitatis ſit, etiam ſpeciali, & ſpe„cialiſſima nota, & expreſſione dignus, „de prædictis, ut ſupra, damnatis, & „in prædicto libro contentis, aliisque, „(ut infra) ſub inſertis Articulis, Opi„nionibus, Sententiis, Libellis, Ora„tionibus, Scripturis, Epiſtolis, The„ſibus,

„sibus, quoquo pacto loqui, scribere, Sæc. XVII.
„& disputare audeat, librumque & alia A. C. 1641.
„prædicta penes se retinere, vel legere
„præsumat; Remanente nihilominus
„in reliquis in suo robore posteriori De-
„creto a Nobis in sacra Supremæ, &
„Universalis Inquisitionis Congregatio-
„ne, ut præfertur, edito; decernentes-
„que sic, & non alias in præmissis om-
„nibus, & singulis per quoscunque In-
„terpretes Doctores, Academias, Uni-
„versitates, & Studia generalia, alias-
„que Personas, Judices ordinarios, De-
„legatos, mixtos, etiam Nuncios no-
„stros, & Sedis prædictæ, sublata eis,
„& eorum cuilibet, qualibet aliter ju-
„dicandi, & interpretandi, ac glossan-
„di, & decidendi facultate, & aucto-
„ritate, ubique judicari, & definiri
„debere; irritumque & inane, quicquid
„secus super his a quoquam, quavis
„auctoritate, scienter, vel ignoranter
„attentatum forsan est hactenus, vel in
„posterum contigerit attentari. Non
„obstantibus omnibus, quæ in dicto
„nostro posteriori Decreto voluimus non
„obstare, cæterisque contrariis qui-
„buscunque. „

„Opera vero addita aliis, in calce
„posterioris nostri Decreti, ut præfer-
„tur, registratis, & prohibitis, sunt se-
„quentia, videlicet, *Liberti Fromundi*
„Sac.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

„Sac. Theologiæ Doctoris &c. *Brevis „Anatomia* hominis, Lovanii apud Ja„cobum Zegers &c. Anno 1641. *Con„ventus Africanus*, sive disceptatio judi„cialis apud Tribunal Præsulis Augu„stini &c. enarratore Artemidoro Onei„rocritico, A Rouen, Chez Nicolas de „Montaigne Anno 1641. *Memorial au „Roy* incipiens, *Jean Jansenius Chanoi„ne*, &c. & finiens, *contra illa duo De„creta Summorum Pontificum* &c. Item „*Attestatio Notarialis* &c. incipiens. *Ego „infra scriptus*, & finiens, *Petrus Min„taert Notarius. Approbatio* sub nomi„ne nonnullorum Theologorum ex va„riis Religionibus tam Ordinum Mo„nachalium, quam Mendicantium, nec„non Archiepiscopi Philippensis, alio„rumque Theologorum Clericorum Sæ„cularium, Doctrinæ Cornelii Jansenii „in dicto libro Augustinus, contentæ, „incipiens: *Quid censendum sit de doctrina „in opere Reverendissimi Domini Cornelii „Jansenii Episcopi Iprensis sel. mem. nunc „Augustinus, contenta, patebit ex subse„quentibus attestationibus Doctissimorum vi„rorum in Belgio, & alibi existentium &c.* „& finiens: *Et me publico, & Apostolico, „ac dictæ Universitatis Notario, & scriba „jurato. Quod attestor, Petrus Mintaert „Notarius.*

Cete-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Ceterum, quamvis hujus Bullæ promulgatio usque ad annum Domini milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum tertium ob cauſſas Franciſco de Melo Belgii Gubernatori die vigeſima quarta Octobris expoſitas fuiſſet dilata, nihilominus tamen adverſus hoc Papæ diploma confeſtim non pauci ſuum calamum ſtrinxere, falſo perſuaſi, quod tota S. Auguſtini, ac Conciliorum, ſummorumque Pontificum doctrina de gratia & libero arbitrio, inſtigantibus Clericis Societatis, & Molinæ ſectatoribus fuerit proſcripta. Hujus tenoris erat epiſtola ad eundem Papam data ſub hoc titulo: *Planctus Veritatis Auguſtinianæ in Belgio patientis.* Præterea Janſenii partes tuebantur quamplurimi, ac præcipue Libertus Fromundus, qui *anatomiam hominis* hoc anno ſcribens eandem Franciſco Barberino Cardinali nuncupare, & compendium Auguſtini Janſeniani ceu in tabula exhibere auſus eſt. Florentius quoque Conrius Ord. FF. Minorum ſcriptum poſthumum ſub titulo: *Peregrinus Jerechuntinus* reliquit, quod hoc anno Pariſiis Mabhamara Hibernus Urbano Papæ dedicavit. Denique Janſenii ejusque doctrinæ Apologeticum ſcripſit Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinienſis.

§. XX.

Sæc. XVII. A.C. 1641.

§. XX.

Petri Aurelii liber a Clero Gallicano imprimi jussus.

Vid. supra l. 196. t. 59, §. 103. pag. 728. Abrege de l'Hist. Eccl. t. 21. p. 66. art. 9.

Occasione Parisiensis censuræ contra Nicolai Schmithei librum pronuntiatæ Joannes Vergerius, vulgo Abbas San-Cyranus dictus, sub ementito nomine *Petri Aurelii* vindicias edidit. Hoc opus ipsemet Author tantopere commendabat, ut a sexcentis annis melius non prodiisse, scribere ausus sit, & Godellus seu Antonius Godeau Grassensis Præsul Vergerium, *Episcoporum defensorem invictissimum, veritatis amatorem acerrimum, Hierarchiæ Vindicem justissimum, & Theologum in avitæ Theologiæ sinu educatum* appellitare haud dubitarit: Præterea hoc anno Clerus Gallicanus eundem librum suis sumptibus imprimi jussit, ad editionem suppeditatis novem librarum millibus; honorificum autem elogium, quo idem Clerus Authorem celebrabat, jam supra adduximus. Nihilominus Rex totum hoc opus suppressit, & typographum in custodiam dari præcepit: Præsules tamen quidam illud recudi curarunt, eoquod Author religiosos ad Ecclesiæ Prælaturas inhabiles, Episcopos vero Pontifici suppares, ac plenitudine potesta-

testatis in tota sua Diæcesi præditos adulatorio calamo scripsisset: E contrario Jesuitæ indigne ferentes, quod hic Auctor eorum libros contra Calcedonensem Episcopum a Papa in Angliam missum refutasset, & Graffensis Episcopus Aurelii librum tam amplo elogio honorasset, adversus hunc Præsulem diras satyras vulgarunt, quarum prior titulum: *Godellus an Poeta* præfefert, & auctorem habet P. Franciscum Vavasseur Jesuitam. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XXI.

Felix Centinus Cardinalis mortuus.

Inter tot belli tumultus, ac Ecclesiæ calamitates hoc anno sex Cardinales in pace requieverunt, quos inter primus erat Felix Centinus patria Ascu-lanus ex Ordine FF. Minorum Conventualium. Hic animi candore pari cum doctrina conjuncto insignis post varia tam Ordinis, quam Ecclesiæ munia summo prudentiæ, integritatis encomio expleta, tandem anno hujus sæculi undecimo a Paulo V. Purpuratorum Collegio adscriptus est, eodemque die trigesima prima Augusti Militensem, postea Mauratensem ac demum Toletinam Ecclesias Episcopus regendas suscepit, ubique indefessa diligentia

Jongellin. Cat. Card. Ord. Min. Ughell. Ital. Sacr.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

ligentia gregem sibi commissum verbo & exemplo pascens, cultumque Divinum tam in populi cordibus, quam Ecclesiarum ornatu plurimum augens; quippe in Maceratensi Ecclesia præter pretiosam suppellectilem sacram, coemptis ædibus Seminarium instituit, in Militensi Synodum coegit, diœcesin ipsus lustravit, & vix non ultra vires Cathedralem Ecclesiam pretiosis ornamentis auxit. Eminuit præcipue in cultu Deiparæ, cujus obsequio ac patrocinio post Christum Dominum Mediatorem nostrum sese totum devovit: Haud exiguam internæ suæ quieti molestiam intulit ejusdem Nepos Jacobus Hyacinthus Centinus, de cujus fato supra mentionem ingessimus: Ubi tamen in nostro Cardinale non caro & sanguis, sed justitiæ amor prævaluit: Obiit tandem Maceratæ die vigesima quinta Januarii, sepultus in Ecclesia sancti Francisci.

Vid. supra l. 199. t. 60. §. 16. p. 58.

§. XXII.

Caroli Emanuelis Pii Cardinalis obitus.

Ciacon. in vit. Clem. VIII. p. 364.

Alter erat Carolus Emanuel Pius a Sabaudia primariæ Nobilitatis Ferrariensis Princeps, qui anno ætatis suæ decimo nono a Clemente VIII. Cardinalis

nalis renuntiatus, primo Albanenſem, poſtea Portuenſem, & tandem ſacri Collegii Decanus Oſtienſem Eccleſiam moderabatur; Corraſerat ex frugalitate divitias, haud exiguas, quas in egenos, Religioſos, & Eccleſias larga manu profudit, haud tamen immemor ſuorum Nepotum, quos in multis aureorum millibus hæredes ſcripſit. Erat gloriæ percupidus, ſuæ proſapiæ oſtentator, & acerrimus Cardinalitiæ dignitatis aſſertor. Concidit tamen in cineres omnis gloriæ altitudo, poſtquam Carolus morbo epileptico correptus, ac trunco ſimilis Romæ die prima Julii ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio mundo valedixit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XXIII.

Joannis Franciſci Comitis de Guidiis Cardinalis mors.

Ejusdem Menſis die vigeſima quinta ibidem æquali ætate deceſſit Joannes Franciſcus Comes Guidius de Balneo Florentiæ natus. Hic a puero omni ſcientiarum genere excultus, præveniente ætatem prudentia, vix decem & octo annos natus a Clemente VIII. Papa *utriusque Signaturæ Referendarius* nominatus eſt, paulopoſt eundem Pontificem Ferrariam, & Aldobrandinum *Marac. in Purp. Marian. Victorell. in add. ad Ciacon.*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Cardinalem ad Henricum IV. Galliarum Regem comitabatur. Demum variis legationibus, & Præfecturis summa cum laude defunctus, Avenione cum Richelio Cardinale, qui tum Aulæ Regiæ exosus eo confugerat, arctissimam contraxit amicitiam, ac paulopost ipsus a Gregorio XV. ad Ludovicum XIII. in Gallias, necnon ab Urbano VIII. ad Isabellam Austriacam in Belgium Sedis Apostolicæ Nuntius decernebatur. Eidem quoque Regi auctor præcipuus exstitit, ut arma stringeret in Rupellenses Hæreticos, a quibus tamen pretiosa sua suppellectili spoliatus est. Comitabatur quoque eundem Regem in expeditione Italica & Gallica contra Hugonotas: Anno autem Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono Cardinalis renuntiatus, Cerviensem primum, ac dein Reatinam Ecclesias Episcopus non modo pretiosis ornamentis ditavit, sed etiam celebratis Synodis, crebra visitatione, & salutaribus oppido statutis ad meliorem formam reduxit.

§. XXIV.

Ferdinandi Austriaci Hispaniæ Infantis Cardinalis extrema.

Brachel. hist. temp. l. 6. Ciacon. in vit. Pauli V.

Hunc pari, nimis tamen præmaturo fato sequebatur Ferdinandus Austriacus

ſtriacus Hiſpaniæ Infans, ac Philippi III. Regis Catholici, & Margarithæ Auſtriacæ Filius. Hic materno cum lacte pietatem erga B. Virginem ſugens, ejusdem ope adhuc Puer periculoſo ex morbo convaluit, ſuam viciſſim gratitudinem teſtatus, dum Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Porticu, quam Cardinalis Diaconus a Paulo V. anno ætatis ſuæ decimo in titulum obtinuerat, munificentiſſima pietate dotabat. Princeps erat omnibus numeris abſolutus, pius, verax & officioſus, cui tanta erat in ore, totoque corpore venuſtas, atque in ſermone affabilitas, morumque comitas, ut nedum Hiſpaniæ, ſed totius Orbis oblectamentum, omnes in ſui admirationem amica quadam vi raperet. Fuit juris Eccleſiaſtici defenſor acerrimus, atque in Toletani Archiepiſcopatus Regimine, necnon Luſitana Legatione ſingularia ſuæ prudentiæ, integritatisque ſpecimina edidit. Porro feneſcente Iſabella a Philippo IV. Fratre ſuo in Belgii Gubernatorem deſtinatus, dum ejusdem obitum Barcinone perceperat, cum ingenti populorum applauſu Regimen ſuſcepit: Poſtquam vero Sueci, eorumque fœderati Cæſareos non una clade proſtraverant, Ferdinandus cum copiis Hiſpanicis in Germaniam feſtinato itinere movit, la-

Sæc. XVII. A.C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

pſasque ibidem res Auſtriacas, turbatasque, mira Dei providentia opportuno auxilio erexit, atque ad Nordlingenſem victoriam haud parum contulit: poſtea victor in Belgium reverſus, hujus Provinciæ gubernationem auſpicabatur: Hollandis vero Gallisque Belgium infeſtantibus, denuo in aciem progreſſus Venlonam primo, dein Ruræmundam intercepit, & recuperata Calloa urbe victoriam reportavit, ac Beatæ Virginis, cujus ſtatuam Hæretici ibidem impie concremarunt, honorem reparaturus, in Eccleſia Parochiali aliam Deiparæ ſtatuam vindicati ſacrilegii teſtem collocari juſſit. Demum in Picardiam contra Gallos irrumpens, aliquot urbes expugnavit: cum vero in Arienſi obſidione noctis frigora, & diei æſtus pateretur, in febrin incidit, qua intra bimeſtre conſumptus Bruxellis die vigeſima ſexta Octobris anno ætatis trigeſimo ſecundo, Belgici Regiminis ſeptimo pie in Domino obdormivit.

§. XXV.

Antonii Sanctacrucii Cardinalis deceſſus.

Ciacon. in vita Urbani VIII.

Eundem annum vitæ ſuæ poſtremum habuit Antonius Sanctacrucius Patricius Romanus, qui inter pietatis exercitia

citia adoleſcens, non modo in literis humanioribus, ſed & Theologiæ & Jurisprudentiæ ſtudio inter ſuos ſemper eminuit. Doctoratus laurea decoratus. Renuntiabatur a Gregorio XV. Protonotarius Apoſtolicus & Referendarius, ab Urbano VIII. Campaniæ Maritimæ Prætor, Archiepiſcopus Seleucienſis, Legatus, & apud Poloniæ Regem Nuntius Apoſtolicus ac demum Cardinalis: poſtea ab Eccleſia Theatina ad Urbinenſem translatus quinto ſacri Regiminis ſui anno lenta ptiſi obrutus, die vigeſima quinta Novembris annos natus quadraginta quatuor Romæ mortalitatem cum Purpura exuit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XXVI.

Franciſci Boncompagni Cardinalis fata.

Poſtremus inter Purpuratos hoc anno denatos erat Franciſcus Boncompagnus, Gregorii XIII. Nepos. Hic primævo naturæ beneficio ad omnem pietatem efformatus, obtenta juris legumque ſcientia & laurea Clericali militiæ adſcribebatur: Adoleſcens adhuc plura Romanæ Curiæ munia obibat, totque præclara eruditionis, pietatisque argumenta edebat, ut meritorum ſuffragio a Gregorio XV. Purpura Romana, *Eggs Purp. doct. l. 6. pag. 294.*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

mana, & ab Urbano Pontifice Perusina, & Umbrienſi Legatione, necnon Neapolitano Archiepiſcopatu decorari mereretur. Erat ſane inculpatæ vitæ Præſul, in omni ſcientiarum genere, græcoque ſermone verſatiſſimus, continentia adeo inſignis, ut Confeſſario ſuo teſte, virgineum candorem æque intemerate tumulo reddiderit, quam integrum a Deo poſt Sacrum Baptisma acceperat: Tam munificus erat in pauperes, ut in eos Neapoli plusquam ducenta quadraginta aureorum millia expendiſſe credatur: ſingulis quoque diebus duodecim pauperes epulo excepit, liberalior adhuc in eos, quos vel verecundia mendicare prohibebat, vel egeſtas ad proſtituendum pudorem ſollicitabat: Poſtquam vero anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio Veſuvius mons inter horrendos mugitus atque inteſtina tonitrua terribiles flammas, iisque permixtos lapides ignitos evomeret, extremumque Neapolitanæ urbi excidium minitaretur, bonus hic Paſtor decreta ſupplicatione, & implorata Dei Sanctique Januarii ope divinam indignationem a ſuo populo avertit, ſuaque liberalitate incolarum quamplurimos mortis metu hinc inde diſperſos reduxit, atque egenos, infirmosque eleemoſynis, porrectisque medica-

dicamentis ſublevavit, majorique adhuc ſollicitudine cunctos ad pœnitentiam induxit: Tandem vero acuta febri correptus vitam religioſiſſime transactam Neapoli die nona Decembris ſancto fine concluſit, anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, Archiepiſcopalis Regiminis decimo quinto. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XXVII.

Duodecim Cardinales ab Urbano Pontifice Purpura decorati.

Horum Cardinalium jacturam abunde compenſabat Urbanus VIII. Pontifex Maximus, dum die decima Decembris apud S. Petrum in Vaticano duodecim Prælatos Cardinalium Collegio adſcripſit: Hos inter primus erat Franciſcus Maria Macchiavellus Florentinus Patricius, Cardinalis Presbyter titulo SS. Joannis & Pauli II. Aſcanius Philomarinus patria Neapolitanus, qui eodem die Archiepiſcopali Neapolitanæ Eccleſiæ dignitate & Romana Purpura decoratus titulum S. Mariæ in Aracæli obtinuit. III. Marcus Antonius Bragadenus Venetus ex Vicentino Epiſcopo Cardinalis Presbyter tit. S. Marci. IV. Octavianus Raggius Genuenſis, Cardinalis Presbyter tit. S. Auguſtini. V. Petrus Donatus Cæſius *Ciacon. in vita Urban. VIII. p. 599.*

Sæc. XVII. A. C. 1641.

patria Romanus Cardinalis Presbyter tit. S. Marcelli. VI. Hieronymus Verospius itidem Romanus Presbyter Cardinalis tit. S. Agnetis in Circo Agonali. VII. Vincentius Maculanus Ord. FF. Prædicatorum, Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis. VIII. Franciscus Perettus Montaltus, patria Romanus, Cardinalis Presbyter tit. S. Hieronymi. Hunc sicut & sequentes duos a Cæsare, Hispano & Gallo Regibus nominatos Pontifex, eoquod non indigenæ essent, promovere recusabat, postquam vero Odoardus Parmæ Dux cum fœderatis Principibus Pontificias ditiones invaserat, Papa horum Regum patrocinium, favoremque sibi conciliaturus, tandem illorum votis cessit. IX. Julius Mazarinus in oppido Piscinæ natus, Cardinalis sine titulo. X. Raynaldus Estensis, patria Mutinensis Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Carcere. XI. Julius Gabriellius Romanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Agathæ. XII. Virginius Ursinus pariter Romanus, Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ in Porticu,

§. XXVIII.

Principum, atque illustrium obitus.

Inter

Inter Principes hoc anno defunctos merito recenſendus venit Magnus Ordinis Teutonici Magiſter Joannes Caſparus ex illuſtriſſima Stadianorum familia ortus, excitatæ prudentiæ Princeps, atque ex intimo Cæſaris conſilio. Die autem trigeſima Aprilis deceſſit Georgius Dux Brunsvico - Luneburgenſis, cujus Vidua inſuperhabitis Saxoniæ Electoris ſollicitationibus, & Picolominæi minis Hildesheimii novum fœdus cum Gallis Suecisque contra Auſtriacos erexit; Succeſſorem habuit Ducem Chriſtianum Filium ſuum. Obiit etiam Dresdæ die decima octava Aprilis ſexagenarius Joannes Georgius de Arnheim Cæſarei, ac Saxonici exercitus Bellidux longe celebratiſſimus.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Barre Hiſt. d' Allemagn. tom.

§. XXIX.

Quædam Urbani VIII. Pontificis Conſtitutiones.

Præter Bullam contra Janſenii librum editam Urbanus VIII. Pontifex hoc anno alias quoque Conſtitutiones promulgavit: & primo quidem die vigeſima ſecunda Martii, ad importunas preces FF. Laicorum Ordinis S. Franciſci de Paula, declaravit, quod deinceps hi Fratres in admiſſione Novitiorum ſuffragium ferrent. Præcepit quoque

Bullar. Magn. Urban. Conſt. 269.

Sæc. XVII. A.C. 1641. idem Pontifex die decima nona Augusti, ut Religiosi Præmonstratenses in Hispania habitum recens assumptum deponerent, nec prænomen *Fratris* dimitterent.

§. XXX.

Varia Sacrarum Congregationum decreta.

S. Congr. Concl. Rit. Imm. &c. Exstant plures Sacrarum Congregationum decisiones, quarum nonnullas huc adducere lubet, & primo quidem, die decima nona Januarii Sacri Concilii Congregatio decidit, quod Parochus unius Diœcesis non possit confessiones excipere in alia Diœcesi sine licentia Episcopi Diœcesani. Exorto autem gravissimo dubio circa injuriarum satisfactionem apud Terracinenses, Sacra Episcoporum Congregatio die prima Martii declaravit, quod pacem cum alio facere nemo compellatur, cum sufficiat in foro Conscientiæ intus injuriam remittere, ac rancorem deponere, nec offensus teneatur satisfactionem, vel publicam apud Judicem injuriæ ex Justitiæ Zelo prosecutionem offendenti condonare, licet esset Parochus, & alii ex hoc scandalizarentur, quia si prosequitur vindictam per viam Justitiæ absque odio (quod asserenti credendum est) scan-

scandalum videatur potius passivum, quam activum. Sæc. XVII. A. C. 1641.

Ejusdem Mensis die quinta sacra Immunitatis Ecclesiasticæ Congregatio decrevit, quod absolutio a Censuris sit personaliter petenda: Dubitantibus autem Posnanensibus Canonicis, an Abbas, si non susceperit benedictionem, possit exercere ea Pontificalia, quæ Abbates benedicti exercere consueverunt, negando respondit sacri Concilii Congregatio die decima tertia Aprilis. Declaratum quoque die undecima Maij a sacra Rituum Congregatione, quod semper & ubique debeatur præcedentia Vicario Generali supra Dignitates & Canonicos, tam præsente, quam absente Episcopo, dummodo Vicarius incedat cum suo habitu Vicariali, nempe cum subtana & Mantello, & dummodo Dignitates & Canonici non sint Sacris vestibus induti.

Die autem decima tertia Septembris decisum est, tolerandum esse, ut Canonici tribus anni Mensibus frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia, confessiones vero excipiantur in Ecclesia, & intra crates, quando tamen necessitas vel rationabilis caussa aliter non suadeat: ac etiam in Sacrario, vel alio decenti loco poterint audiri, super quo non liceat Episcopis,

Sæc. XVII. A. C. 1641.

scopis, neque per se, neque per suos deputatos visitare Confessionalia, sive loca Regularium, ubi Confessiones audiuntur, nec etiam ad effectum videndi, an sint juxta ipsorum Decreta, sed hoc relinquendum sit omnino Visitatoribus suorum Superiorum.

Nec tamen teneantur Regulares petere licentiam ab Episcopo, vel Curato accedendi ad infirmos pro Sacramento Pœnitentiæ administrando, sed sufficiat, si postea fidem habitæ Confessionis in Domo eorundem Infirmorum relinquant: In Edicto autem Episcopi quoad prohibitionem audiendi Confessiones ante ortum, & post occasum Solis, non sit facienda specialis mentio de certo genere Personarum, sed loquendum absolute, & simpliciter de omnibus, nempe, quod nemo administret tale Sacramentum nec ante, nec post dictum tempus, nisi tamen necessitas, vel rationabilis causa aliter suaserit.

Præterea die vigesima septima ejusdem Mensis a S. Episcoporum Congregatione declaratum, quod Confessarii Monialium non teneantur petere ab Ordinario Licentiam alloquendi Moniales, vel ingrediendi Monasterium ob necessitatem ministerii, nec sint cogendi ab Episcopo ad hujusmodi licentiæ petitionem.

Deni-

Denique die septima Decembris Sacra Rituum Congregatio decidit, quod non liceat in media nocte Nativitatis Domini, post Missam decantatam, celebrare successive alias duas Missas, & in eis sacram Communionem exhibere|Fidelibus illam deposcentibus, sed utrumque omnibus prohibitum sit. Sæc. XVII. A. C. 1641.

§. XXXI.

Synodi Diœcesanæ Culmensis decreta.

Die duodecima Junii hoc Anno Casparus Dzialynskius Culmensis & Pomesaniæ Episcopus suam habuit Synodum Diœcesanam, in qua præprimis suorum Prædecessorum sanctiones jam antea ad Cleri populique reformationem factas integre servari præceptum est, prohibitumque, ne Confessarii deinceps pro pœnitentia Missas per se celebrandas Laicis pœnitentibus injungant. Quoniam vero multis in locis Ecclesiæ belli præteriti injuria ad eam redacti fuerunt inopiam, ut nequidem Sacerdos ali valeat, hinc Episcopus juxta privilegium Leonis X. Anno 1515. pro Regno Poloniæ concessum indulsit, ut unus Sacerdos in uno die duas Missas in duabus Ecclesiis celebrare quidem valeat, sed duntaxat in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Pascha- *Hartzh. t. 9. Concil. Germ.*

Sæc. XVII. A.C. 1641.

ſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis & Purificationis B. V. S. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli, Sanctorum omnium & Defunctorum Commemoratione. Interminata etiam anathematis pœna cunctis Regularibus inhibitum, ne in Oratoriis privatis aut Eccleſiis vacantibus, in quibus Sæculares jus Patronatus prætendunt, Miſſam celebrare, Verbum Dei prædicare, aut Sacramenta adminiſtrare absque ſpeciali Epiſcopi licentia præſumant. *Extirpavit* inſuper Synodus tanquam pravam, ſuperſtitioſam, & a Diabolo ad retrahendos homines a cultu Divino inventam conſuetudinem, qua nonnulli venam jumentis die ſancti Stephani aperiri curant. Denique præcepit Synodus, ut pro ſenibus & pauperibus Clericis Domus erigantur, & Culmenſis Schola priſtino ſtatui reſtituatur.

§. XXXII.

Scriptores Catholici hoc anno defuncti.

Dupin Nouv. Bibl. Siecl. XVII.

Paucos ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obiere, recenſere volumus, & quidem I. Septuagenario major deceſſit Joannes Cordeſius Lemovicenſis Canonicus, qui non modo Hiſtoriam Camilli Portiæ de Neapolitanis

tanis turbis Gallice reddidit, sed etiam dissertationem de S. Martiale, & tractatum de dissidiis Paulum V. inter & Rempublicam Venetam præter plura alia edidit. II. Claudius Tiphanius Jesuita, qui scripsit monitionem ad hæreticos Metenses, necnon declarationem ac defensionem Scholasticæ doctrinæ SS. Patrum, & Divi Thomæ de Hypostasi & Persona pro illustrando SS. Trinitatis & Incarnationis Mysterio præter alium tractatum, cui titulus: *de Ordine deque priori & posteriori.* III. Carolus de Condren Congregationis Oratorii Generalis, qui posthumo prælo quosdam Polemicos & Morales tractatus sub titulo: *Discursus & epistolæ*, reliquit. IV. Christophorus de la Murca Salmanticensis Episcopus edidit Constitutiones Synodales, libros de prima Canariensis Episcopatus fundatione & translatione, vitas horum Episcoporum, & brevem relationem Canariensis Insulæ. V. Joannes Baptista Coccinus scripsit decisiones Rotæ Romanæ, & tractatum de electione Pontificis Romani. VI. Henricus Rampen Lovanienſis Doctor edidit commentaria in quatuor Evangelia. VII. David Mauden Bredanæ Ecclesiæ Decanus, qui posteris reliquit discursus morales in præcepta Decalogi, specu-

Sæc. XVII. A.C. 1641.

lum

Sæc. XVII. A. C. 1641.

lum aureum vitæ moralis, seu Tobiam & Alethologiam seu Veritatis explicationem. VIII. Antonius Hiquæus patria Hibernus, qui vindicias Franciscanas contra Abrahamum Bzovium, & tria volumina in quatuor libros sententiarum evulgavit. IX. Jacobus Gordon Jesuita, scripsit Biblia Sacra cum commentariis, opus chronologicum ab orbe condito usque ad sua tempora, Diatribam de Catholica veritate, necnon tractatum de rebus Britanniæ & Caroli I. nuptiis. X. Lucas de Soria Hispalensis Canonicus elucubravit tractatus de Passione Christi, & de separatione fœminarum a Viris in Templis: libros quoque Bellarmini de arte bene moriendi Hispanice reddidit.

§. XXXIII.

Scriptorum Acatholicorum obitus & opera.

Freher. Theatr. erud. part. I. sect. 3. Weisman Introd. in mem. Eccl.

Ex Scriptoribus Acatholicis non pauci hoc anno extremum diem obiere, nonnullos tamen ex illis seligimus. I. Obiit die nona Julii annos natus octoginta novem Joannes Thornborough natione Anglus, qui tractatum de Eucharistiæ Sacramento, & de Testamento Christi Domini, necnon de Unitate & pace Ecclesiæ præter Historiam unionis

nis Angliæ & Scotiæ sub adventum Jacobi I. Regis edidit. II. Nicolaus Petræus scripsit octodecim disputationes Theologicas, & tractatum contra Machiavellum Principem. III. Robertus Burhill edidit librum de potestate Regia & usurpatione Papali pro tortura Torti contra Paralellum Andreæ Eudæmon, alium quoque librum pro tortura Torti contra Becanum, item assertionem pro Jure Regio contra eundem &c. IV. Franciscus Gomarus Caput Supralapsariorum in Belgio, necnon implacabilis præcipue Arminii & Remonstrantium hostis: scripsit speculum veræ Ecclesiæ contra Costerum, conciliationem orthodoxæ doctrinæ de Providentia Dei, examen controversiarum de genealogia Christi, investigationem de origine Sabbati & diei Dominicæ, præter commentaria in novum Testamentum. V. Joachimus Willius edidit S. Pauli & Jacobi Symphoniam, in qua hæc S. Jacobi verba ex cap. 2. v. 24. *ex operibus justificatur homo, non ex fide TANTUM* conciliare nititur cum textu D. Pauli ad Rom. 3. v. 28. *arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*: si autem Willius ad Lutheri Magistri sui exemplum nequiter non addidisset particulam: *tantum*, facile perspicere potuisset, hos textus ne-

Sæc. XVII. A. C. 1641.

Sæc. XVII. A. C. 1641.

nequidem apparenter sibi repugnare, sed D. Paulum loqui de operibus legis Mosaicæ, requirere autem ad justificationem, legem fidei Christianæ, seu operibus vivæ & perfectæ, uti habetur cap. 12. ad Rom. & præscribitur Jacob. cap. 2. Joannis epist. tota & in Actor. Apost. cap. 10. & v. 4. VI. Joannes Corbet acuit calamum suum contra rebelles, qui adversus Carolum I. Angliæ Regem *conventioni* seu fœderi subscripserunt: propterea tamen in Hiberniam profugere coactus, ibidem capite plexus est. VII. Jacobus Herrenschmid edidit osculologiam Theologicam, Amorem crucifixum, Dissertationem de Bacchanalibus, Postillam Neo-Symbolicam, Jubilæum I. Augustanæ Confessionis, Passionis Dominicæ Violarium, & de absurditatibus in Reliquiarum cultu. VIII. Elias Schedius edidit librum de Diis Germanis seu veterum Germanorum, Gallorum, Britannorum, & Vandalorum Religione.

§. XXIV.

Cæsarei in Westphalia ab Hassis, Suecisque profligati.

Adlzr. Annal. Boie. part. 3. l. 27. Brachel. hist. temp. l. 6.

Insequens annus, qui erat hujus sæculi quadragesimus secundus, plerumque Catholicis, Cæsareisque infaustus

stus fluxerat; postquam enim Gallo-Vinarienses, ductore Gebriando, ad Wesaliam, Batavis transitum concedentibus, Rhenum trajecerant, mox Hassis conjuncti in agrum Colonienſem cum toto exercitu infesti sese effuderunt. Cognito periculo Elector Colonienſis Hatzfeldium ex superiore Germania, Lamboium vero e Belgio cum suis copiis confestim evocavit. Substiterat tum Lamboius prope Kempenam in castris suis oppido munitis, nil hostile ea ex parte veritus, cum Vinarienses die decima septima Januarii hora diei undecima illum aggrediuntur: nuntiatur Lamboio, Sueco-Gallos jam esse in propinquo, hic vero improvido hostis contemptu prandium suum, quod eadem hora sumpserat, absolvit, jussis duntaxat legionibus, ut si quæ vis immineret, paratæ essent: Jamjam hostis vicinum campum, ordinibus ad pugnam instructis occupat, valloque imminet, jamque tempus instat, nec Cæsareus tamen miles injussu Ducis arma capere, aut in ordines ire audebat: denuo admonitus Lamboius tandem cum duabus legionibus, Equitumque agmine festinus accurrit, & Gebriandum primo impetu a limitaneo aggere repellit; cum autem reliquus Lamboii miles huc illucque sparsus, incomposituſque tam

Sæc. XVII. A. C. 42.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

ſubito in aciem diſponi haud poſſet, quin Gebriandus varias munitiones, aggeresque ſuperaſſet, aperto interea aditu Vinarienſes Haſſique cum omni exercitus robore Lamboianos aggrediuntur, eosque, etſi ad duas prope horas ancipiti victoria pugnaſſent, tandem vi ac numero ſuorum obruunt, atque in fugam agunt: Occubuere ex Cæſareis in acie bis mille quingenti, ceteri ferme omnes vel in fuga cæſi, vel ad ſigna Gallo-Suecica coacti: capti fuerunt quater mille, atque inter eos ipſe Lamboius, & Mercius, præter Tribunorum potiſſimos. Inſuper centum & octo pedeſtria, necnon quinquaginta octo equeſtria vexilla cum omnibus ſarcinis, ſexque belli tormentis Victori in prædam, & victoriæ triumphum ceſſere. Vinarienſes vero proſequendæ victoriæ intenti, Kempena urbe & arce expugnatis, Noveſium poſt octo dierum oppugnationem, aliasque Ubiorum inferiorum arces, & oppida ſubegerunt. Hæſit tamen rapidus Victorum curſus apud Lechenium, ignobile quidem, ſtrenui tamen militis præſidio munitum oppidum; quod Gallo-Vinarienſes non ſine luculenta ſuorum ſtrage per aliquot hebdomadas vehementer, incaſſum tamen, obſederant, tandemque a Bavaro-Cæſareis ducta Comi-

Comitum Hatzfeldii & Wahlii repulsi obsidionem solvere coacti, in sua apud Ordingam castra reverti compellebantur. Hanc ignominiam ulturus Gebriandus, plurimos circum pagos injecto igne exussit. Sub idem ferme tempus Joannes Werthius supremus Bavarici equitatus Bellidux, qui ex Gallica captivitate ad Cæsaris castra Zonsæ posita reversus erat, prope Botbergam Gallo-Vinarienses pabulatores ingenti clade protrivit; cum vero postremum hostis fugientis agmen iterato furore lacesseret, ab iisdem circumventus, cæsis suorum non paucis, ægre cum reliquis elapsus est: magis tamen secunda sorte in crebris velitationibus Cæsarei contra Suecos dimicabant. Sæc. XVII. A. C. 1642.

§. XXXV.

Varii pacis tractatus suo successu frustrati.

Adhuc plurium Principum Oratores de componenda Palatinorum caussa Viennæ consultabant, cum Rowæus Angliæ Regis Legatus, & Palatini Oratores de componendo hoc dissidio actum fore declararent, nisi præter Electoralem dignitatem uterque Palatinatus integer restitueretur. Horum petitioni haud difficilem sese exhibuit Maximi- *Barre Hist. d'Allem. tom. 9.*

Sæc. XVII. A. C. 1642

lianus Bavariæ Electo, ea tamen lege, ut Hiſpani pariter a Palatinatu inferiori decederent, & Ferdinandus III. Cæſar aut pretium, quod pro ſuperiore Palatinatu, ceterisque regionibus cis Rhenum Ferdinando Maximilianus perſolviſſet, refunderet, aut pignoris loco Anaſſinam ſuperioris Auſtriæ ditionem adhuc eidem obſtrictam Imperator cederet. Circa Electoratum autem a ſequeſtribus expectabat Maximilianus modum aliquem utrique parti acceptum: Hiſpanus quoque Orator Palatinatus inferioris reſtitutionem pollicebatur, dummodo Palatini declararent, quid pacis & ſatisfactionis pro hac reſtitutione ſperari poſſet? Mentem ſuam deſuper diſerte explicabat Cæſar, die ſexta Maij edito deſuper decreto: quoniam vero Rowæo & Palatinis propoſitæ a Cæſare conditiones & reconciliationis temperamenta a Sequeſtribus adhibita non arriderent, imo Vidua Palatina ſe in ſuis literis Viennam datis adhuc dum pro Bohemiæ Regina, Sileſiæ, Moraviæ & Luſatiæ Duciſſa geſtiſſet, hinc tota hæc negotiatio in irritum cecidit: nec magis proſper erat Moguntini colloquii ſucceſſus: Eo convenerant diē octava Aprilis Moguntinus, Colonienſis, & Bavarus Electores deliberaturi, qua ratione poſt Lamboïi cladem

cladem Rheni confinia contra victores Suecos tuerentur, pacemque Germaniæ redderent: cum autem graviora, quam a tam paucis Imperii Principibus decerni possent, proponerentur negotia, res ad ampliorem Imperii Conventum Francofordiæ Mense Septembri celebrandum remissa est, qui tamen Conventus, cum Brandeburgicus nollet, & Saxonicus Elector propter obsidionem Lipsiensem venire haud posset, in Mensem Januarium anni insequentis differebatur: interim vero Reckius Paderbornensis Ecclesiæ Decanus Romam decernebatur, ut Electorum Catholicorum nomine Papam rogaret, quatenus Franciæ Regem saltem ad peculiarem cum Imperio pacem hortari velit. Sæc. XVII. A. C. 1642.

Convenerant quoque Brunscivo-Luneburgici Duces Goslariam, ut de opportunis in Cæsaris obsequium redeundi mediis deliberarent, verum Sueci & Hildesienses privatis suis commodis intenti acriter sese oppoſuere. Pari quoque successu Casselenses de reconcilianda Cæsaris gratia cum Ferdinandi III. Legatis egere; cum autem nec a Sueco-Gallico fœdere discedere, nec a Fuldensis Episcopatus oppressionibus desistere vellent, minus serio egisse credebantur. Nihilominus Cæsar, ut de generali pace consultaretur, omnem

Sæc. XVII. A. C. 1642.

navabat operam, hancque in rem publicæ ſecuritatis literas ad Principum vota Hamburgum transmiſit, ut eas ibidem Daniæ Rex, utpote ſelectus pacis arbiter, Regum Principumque Legatis die prima Decembris exhiberet: non deerant tamen quorumdam Principum Oratores, qui ad diſcutiendas haſce literas longius temporis ſpatium ſibi indulgeri, certumque inchoandis Seſſionibus tempus præfigi peterent. Batavi quoque novas ejusmodi literas ex ipſa Regia ſibi transmitti, a Franciſco Melo Oratore Hiſpano poſtulabant; ita nempe, quo ardentiore ſtudio Cæſar maturandæ paci inſiſtebat, eo remiſſius lentiusque ceteri ad pacem feſtinabant.

§. XXXVI.

Sileſia & Moravia a Torſtenſonio Suecorum Duce ſubacta.

Bougeant Hiſt. tric. bell. p. 1. l. 7. tom. 1.

Poſtquam Bannerio fatis functo, Leonardus Torſtenſonius novus Suecorum Polemarchus cum ſex recentis militiæ millibus ſeſe Haſſis & Vinarienſibus conjunxerat, cum Gebriando Comite convenit, ut hic cum Gallis ſuis in Weſtphaliam irrumperet, ipſe vero per Sileſiam in Bohemiam moveret: Obſtiterat rapido Suecorum curſui Franciſcus

ciſcus Albertus Dux Saxo-Lavenburgicus, qui e Sileſia Suecos prope exegerat, atque in Luſatia hoſti pleraque ademerat præſidia. Actum fuiſſet de Suecorum rebus, niſi Torſtenſonius adjuncto ſibi Königsmarchio validum militem in Sileſiam inopino impetu effudiſſet; parem enim Lauenburgicus Dux hoſtem inſtare compererat, cum Torſtenſonius jamjam in Luſatia inferiore Luckenum, & Gabam urbes, in Sileſia Gloggaviam, pluresque civitates qua vi, qua deditione ſubegiſſet, motisque ad Schweinizium caſtris Cæſareos ad prælium provocaſſet: Enimvero Lauenburgicus collecto milite Königsmarchium aggreſſus, eundem fugavit, atque ad Torſtenſonii caſtra rejecit; infauſto tamen victoriæ ſucceſſu; Torſtenſonius enim fugitivo agmine auctus, cum Cæſareis prælium commiſit, in quo vix una pugnabatur hora, cum Cæſarei hoſtium numero obruti, victique tria ſuorum millia in acie, ſex legiones in fuga amitterent, captis bis mille equitibus, quos inter Hanovius, & quadraginta ſex magni nominis Tribuni, ac demum ipſemet Lauenburgicus Dux, qui duplici vulnere ſaucius decima ſexta poſt pugnam die ſeu decima Junii obiit: Parta hac victoria Königsmarchius Schweinizium deditione,

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A C. 1642.

tione, & Niſſam armorum vi expugnabat: Torſtenſonius vero Olomuzium principem Moraviæ urbem tertia jam impreſſione facta in ſuam redigebat poteſtatem Antonio Miniato urbis Præfecto præproperæ deditionis culpam Viennæ poſthac capite expiare coacto: Ita demum intra paucos Menſes, celeritate & felicitate pene incredibili novus hic Bellidux univerſam fere Sileſiam & Moraviam ſubegit, & veluti deambulando depopulatus eſt. Inde tam inſolitus Viennæ terror, ut Leopoldus Archidux, & Picolomineus collectis ad Brunam copiis Torſtenſonium e Moravia propellere ſtatuerent: Nec omnino defuit animoſis conatibus optati eventus proſperitas; Leopoldus enim Suecis non una clade protritis, Niſſam recuperavit, necnon expugnato Olomutzio Suecos a Briganæ urbis obſidione depulit, promotisque in Bohemiam caſtris hoſtem ab hujus Regni finibus arcere ſategit.

§. XXXVII.

Cæſareorum clades apud Lipſiam.

Interim vero Torſtenſonius novis, quas Urangelius e Suecia adduxerat, ſuppetiis auctus, in Saxoniam contendit, & Albi ad Torgaviam trajecto Lipſiam obſe-

obſedit, quocirca Archidux nil cunctatus, confeſtim in hoſtem movit: cognito autem Cæſareorum adventu Torſtenſonius relicta Urbis obſidione Archiducem inſtructa acie die vigeſima tertia Octobris adoritur, ſiniſtro tamen pugnæ initio; jam enim Cæſarei ſiniſtram hoſtis alam disjecerant, dexteramque tormentis, vexillisque potiti fregere: Collegerat tamen ſeſe dextera Suecorum acies, quæ reſtaurato certamine ſiniſtram Piccolominæi alam in fugam egit. Nondum tamen penes Cæſareos amiſſa erat victoriæ ſpes; univerſæ enim Archiducis copiæ adhuc infractæ proſtrato ferme Suecorum exercitu palmam in manibus tenebant, ubi vero Sueci a tergo in peditatum irruerant, victoria deſperata, & ingens Cæſareorum clades ſecuta eſt, non tam fortitudine Suecorum, quam ignavia equitatus; hic enim, ne inito quidem certamine fuga dilapſus eſt, ſecumque Hungaros & Croatas traxit, qui ſubito timore perculſi nudatas lateribus legiones Suecorum gladiis concidendas reliquere: Occubuere ex Cæſareis ferme ſex millia, captis quater mille gregariis, & plusquam quatuordecim primæ dignitatis Tribunis. Triumphi loco habebatur, inter tot occiſos, captosque ſervatum fuiſſe Archiducem, qui rebus jam-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

jamjam desperatis immota fortitudine per medias hostium phalanges cum legione Prætoriana sibi viam ferro aperuit: Ut vero ignaviam, qua præcipue Madloniana legio omnium prima, reliquis strenue adhuc pugnantibus, prælio excesserat, ad ceterorum terrorem plecteret, Archidux Centuriones, Vexilliferos, & reliquos inferioris Ordinis Præfectos, & ex gregariis decimum quemque sorte legendum plumbeis globis trajici jussit: ipse vero Joannes Georgius Madlonius Chiliarcha Pragam in vinculis deductus anno sequenti capite plexus est. Ceterum Torstensonius parta hac victoria Lipsiensem urbem & arcem facili negotio ad deditionem compulit: ex adverso autem Cæsareo-Bavari, postquam Hasso-Vinarienses inedia confecti Rhenum remeare coacti fuerant, recuperato Marcoduro oppido, Suecisque non una clade repulsis in superiorem Germaniam contenderunt.

§. XXXVIII.

Gallorum Res in Catalonia & Belgio.

Daniel Hist. de France t. 10. p. 58.

Eodem anno Hodancurtius, quem Ludovicus Franciæ Rex in rebellium Catalonorum opem submiserat, die decima nona Januarii haud procul Barcinone

none cæsis quinque Hispanorum millibus Tamaritam Arragoniæ urbem vi cepit, ac secundo prælio Hispanis repulsis Ilerdam munitissimam arcem obsidione liberavit. Pari successu Meillerayus Franciæ Mareschallus Colibram Ruscinonensis Comitatus urbem post unius mensis obsidionem die decima tertia Aprilis, necnon Perpinianum non tam vi oppugnantium, quam annonæ penuria, & fame sexto ferme obsidionis Mense ad deditionis necessitatem die septima Septembris compulit, validamque hanc urbem ad amnem Thetim sitam rebellantibus Catalonis tradidit. Accessit ad cumulum malorum strages pene internecina Hispanorum prope Ilerdam, necnon Hispanæ classis ruina in Cataloniæ ora, ac demum Salsulanæ urbis expugnatio: Tam rapidam Gallici exercitus felicitatem haud parum promoverat præsentia Ludovici Regis, qui ipsus tum in Narbonensi Provincia agens, Gallis audaciam & virtutem, Catalonis vero rebellibus spem animumque indiderat. Verum in Flandria sinistram belli fortunam experiebantur Galli; postquam enim Franciscus Melo Belgii Gubernator cum viginti quinque Hispanorum millibus Atrebatum validam Artesiæ urbem cinxerat, conversо repente cursu Lendium urbem

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

urbem tertio obsidionis die Gallis eripuit: indeque Basseam contendens, hanc civitatem armis suis subegit, promotisque in Picardiam castris prope Honecurtium commisso prælio Guichium Franciæ Marescallum magna clade affecit, captis Gallorum bis millibus, totidemque ferme in acie cæsis. Hæc clades haud parum Catalonicæ victoriæ lætitiam imminuit, quin tamen Hispanas res multum promoveret, eoquod Galliarum Rege inter Viduam Sabaudiæ Duciſſam & Mauritium Cardinalem ejusque Fratrem Thomam concordiæ pacta Taurini die decima quarta Junii conciliante, ambo hi Sabaudiæ Principes ab Hispanis ad Gallicas partes transiissent, & insuper Franciscus Melus intercepto victoriarum cursu regredi jussus fuisset, ut Mosæ transitus observaret, indeque Vinarienses per agrum Colonienſem grassantes prohiberet.

§. XXXIX.

Cimmartius Marchio & Thuanus capite plexi.

Mem. Hist. par Armelot tom. 2. pag. 276. Abrege de l'hist. Eccl. tom. 10.

Interea Franciæ Aula inteſtinis turbabatur motibus, quorum origo hæc erat: Deperibat Rex Hautefortiam Nobilem Matronam, quam Richelius Cardinalis

dinalis aula quidem amovere ſtatuit, ut vero Regis mœrorem ob hujus fœminæ abſentiam conceptum temperaret, juvenem Regi aliunde acceptum ſubrogare nitebatur: Selegit igitur præ ceteris Henricum Effiatum Cimmartii, ſeu ut alii volunt, Sammartii Marchionem, qui etiam præclaris ſuis naturæ dotibus tam arcte Regis animum ſibi devincire noverat, ut præter intimam Regis gratiam ad ſupremam Regii ſtabuli Præfecturam, novosque honores evectus, nil conſummatæ fortunæ reliquum haberet, niſi ut inſuper primarii Miniſtri dignitatem conſequeretur: Inde vero acuebatur æmulatio Richelii Cardinalis, qui improvido prorſus conſilio, ne novus hic Cliens deinceps ſecretis adhiberetur conſiliis, nec Mariam Nivernii Principem ſibi matrimonio jungeret, minus vero Ducis ac Franciæ Paris titulo decoraretur, præpediebat, eique per Sentionum nuntiari juſſerat, ſibi cum Rege tam arcana pertractanda eſſe negotia, ut ea alterius cujuscunque præſentiam excluderent: Hæc res tantopere Cimmartio ſtomachum moverat; ut in Cardinalis excidium juraret: ſui quoque conſilii exitum in expedito fore crediderat, eoquod in familiari colloquio ſæpius deprehendiſſet, quod nimia Cardinalis poten-

Sæc. XVII. A.C. 1642.

Sæc. XVII. A.C. 1642.

potentia ipſimet Regi moleſta accideret, Rexque nonnunquam Cimmartio indulſiſſet, ut clam ea adhiberet media, quibus Richelii auctoritas deprimeretur: quoniam vero adverſa Regis valetudo proximam præſagiret mortem, nec ſatis privatus ejusdem favor illum contra publicam Cardinalis auctoritatem tutum redderet, hinc in conſilii ſui executionem potentes ſibi fautores conciliare nitebatur: præprimis igitur per Franciſcum Auguſtum Thuanum literas ad Bullionium Ducem, juratum Richelii hoſtem dedit, quibus ipſum ad conjurationis ſocietatem ſollicitans, rogabat, ut nulla mora Pariſios veniret: Hic quoque non modo iter ſuum accelerabat, ſed præterea Aurelianenſem Ducem Regis Fratrem in ſuas partes haud ægre pertrahebat; Dux enim præter veteres indignationes, quas adverſus Richelium conceperat, nova inſuper ſuſpicione torquebatur, ne Cardinalis, mortuo Rege, Franciæ adminiſtrationem ſibi vendicaret. Utroque igitur apud Sanctum Germanum conveniente, Cimmartius expoſuit, „Regem periculoſo decumbere morbo, „& Cardinalem neglecta Regina & Au„relianenſi Duce, Galliarum Regimini „inhiare, igitur præter commune peri„culum, privatum quoque, idque longe „majus

„majus imminere Duci, ſi Cardinalis „prævaleret; nil ergo magis conſultum „in præſenti rerum viciſſitudine eſſe, „niſi ut Bullionius Sedanum, urbem „munitiſſimam in omnem inviſæ ſortis „eventum tanquam tutum aſylum Duci „cederet, nullaque mora cum Hiſpa„niarum Rege de validis militum ſúp„petiis ageret, ut inito prælio Harcur„tii & Guichii copiæ a Sedanenſi vici„nia propelli poſſent, demum vero Ri„chelius per Cimmartium occideretur.„ Placuit cunctis hoc conſilium, cujus tamen executionem morabatur repentinus Cardinalis morbus; hunc enim alias brevi moriturum ſperantes, cædem differebant, quinimo ipſemet Cardinalis, qui conflatæ conjurationis non omnino ignarus erat, ſtudioſe de vita ſua actum eſſe, per ſuos amicos & Chirurgos in vulgus ſpargebat. Poſtquam vero Regem Perpiniani in caſtris ex gravi morbo decumbere, innotuerat, confeſtim in Aula, & exercitu varia animorum ſtudia ſeſe prodebant, aliis Meillerayo Richelii fautori, aliis Cimmartio adhærentibus. Brevi tamen recuperata Regis ſanitas hoſce tumultus adhucdum ſedabat, ſimul tamen Regis animo averſionem contra Cardinalem augendi medium Cimmartio inſpirabat, qui opportune Regi ſuggeſſit;

Sæc XVII. A. C. 1642.

SEC. XVII. A. C. 1642.

quod immodica Cardinalis ambitio, & regnandi cupiditas, unica horum motuum cauſſa exſtitiſſet: Tum demum Cardinalis, ex Regia averſione hoſtium ſuorum numerum ac potentiam indies creſcere cernebat, quapropter ſecuritati conſulturus, Narbonam ſecedere conſtituit: Jamjam unius diei iter agebat, cum eidem fœderis, quod Menſe Martio Madriti firmatum Aurelianenſis Dux cum Hiſpanis pepigerat, deſcriptum exemplar ab ignota manu ſubmittitur, quod Richelius Cardinalis nulla mora ad Regem deferri curat. Obſtupuit Rex, iteratam Fratris ſui rebellionem, Cimmartii ingratitudinem, & ceterorum perfidiam deteſtatus: mox igitur Narbonam delatus, remoto omni ſtrepitu Cimmartium, & Thuanum, necnon Bullionium tum Caſali in Italia agentem comprehendi jubet, die ſexta Auguſti datis ad Pariſienſe Parlamentum literis queſtus, quod Rex Hiſpaniæ quater centies mille aureos ad contrahendum in Francia militem Aurelianenſi Duci, Bullionio autem & Cimmartio octoginta aureorum millia ea lege pollicitus eſſet, ut Sedanenſem urbem valide munirent: Tum primum Cardinalis de hoſtibus ſuis triumphabat, inſtructisque judicii actis Cimmartium & Thuanum nonniſi triginta quin-

que

que annos natum Lugduni die secunda Septembris capite plecti jussit; ejusdem quoque supplicii severitatem Borbonius ea lege redimere permittebatur, ut Sedanum Regi cederet, Aurelianensis vero Dux vitæ gratiam quidem obtinuit, nunquam tamen amplius Regis conspectum subire permissus, Annecyum in Sabaudiam emigrare jussus est. Ceterum habentur ad calcem decimi quinti Voluminis Historiæ Thuanæ Gallice redditæ plura monumenta, quibus Thuani innocentia vindicatur, ipsiusque excidium accelerandi media tum adhibita indicantur. Fertur etiam, quod ipsius Soror haud procul a Richelii Cardinalis tumulo, Lazari Sororem, dum Christum ad fratris sui sepulcrum conducit, depingi jusserit cum hac epigraphe: *Tu si hic fuisses, frater meus non mortuus esset.*

Sæc. XVII. A. C. 1642.

§. XL.

Armandi Richelii Cardinalis obitus.

Paulopost die quarta Decembris iter æternitatis ingrediebatur ipse Cardinalis Armandus, qui omnes suos hostes, ipsamque fortunæ invidiam feliciter vicit, a sola morte devictus. Hic præclaro genere ortus, in Navarræ Collegio literis præsertim Philosophicis

Ciacon. in vita Urbanus VIII. Journal du Card. Richel. Vassor. Hist. de Louis XIII. Mem. du Minist. de Richelieu.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

& Theologicis egregiam navabat operam, laurea decoratus: Erat latini, græci, Itali & Hiſpani idiomatis optime gnarus. Nondum vigeſimum primum ætatis annum expleverat, cum jamjam Lucionenſis Epiſcopus obtenta ætatis venia Romæ inauguraretur: mortuo autem Henrico IV. Galliarum Rege Pariſios reverſus, cum ſumma laude, præſentibus etiam ſæpe Ludovico XIII. ejusque Matre, Verbum Dei prædicabat: turbatis autem Franciæ rebus, Luynæus Richelium Avenionem in exilium, & Mariam Medicæam Reginam, Bleſis in carcerem detruſerat, inde vero ab eadem revocatus Richelius recuperata Luynæi gratia Reginam Bleſis elapſam Engolismæ inviſit, eamque Filio ſuo Regi reconciliavit, in laboris præmium Reginæ gratia, & Romana Purpura decoratus. Defuncto Luynæo Regina Richelium ad apicem gloriæ, & ſupremum Franciæ Miniſtrum evehere adlaborabat, cumque ipſe Vir eſſet ſupra privatorum ſortem ſummus, ad Franciæ utilitatem & gloriam natus, dignusque, ut cum diademate naſceretur, miraque ad regendum dexteritate, prudentia, laboris conſtantia, ingenii ſagacitate, ſolertia, atque inexpugnabili fortitudine præditus eſſet, facile Regis animo, atque uni-

universo Regno dominari cæperat: Dein Sacris, profanisque dignitatibus ad invidiam cumulatus, supremum belli, pacisque arbitrum egit, atque honorem & ignominiam, vitam & mortem, quin & Europam pro libitu suo distribuit: inde vero æmulantium Procerum invidia, obtrectatorum licentia, & frequens tumultuum domesticorum origo: quippe Richelio prævalente, Magnates nonnulli perpetuo carcere, alii exilio, plures morte damnati, quamplurimi ab Aula remoti, pene innumeri proscripti fuerunt: ipsam quoque Reginam Matrem, quæ tamen ipsum ad supremas dignitates evexerat, pro beneficio exilium retulisse constat: Ceterum Richelius parem cum omnibus viris illustribus sortem habuit, qui dum adhuc in vivis agunt, carpuntur, mortui autem immensis celebrantur elogiis: ipse tamen Francicæ Historiæ Scriptor, quamvis in Richelii laudes copiosius excurrat, in eo nihilominus carpit potentiæ summæ cupiditatem, pares, superioresque, ac præcipue æmulos deprimendi studium, immodicum honoris & gloriæ desiderium, fastigii & honorifici cultus ad adorationem usque extensam ambitionem: necnon calliditatem, ac simulandi, dissimulandique peritiam. Etsi autem Richelius ejus-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

modi nævis, ut homo, non caruiſſet, nemo tamen eidem ingenii laudem, Religionis propagandæ, ac Eccleſiam ab hæreſum labe expurgandi ſtudium invidere poterit. Tandem poſtremis vitæ ſuæ diebus Richelius Regis gratia excidit, ut eo ardentius Dei gratiam ſibi conciliaret: inviſerat quidem morti proximum Rex & Regina, adeo, ut fere inter Regias manus exſpiraſſe crederetur, deprehenſum tamen, quod Rex ſpeciem doloris vultu præſetulerit, lacrimas vero non ſponte cadentes læto pectore exceperit: Obiit demum Richelius Pariſiis ex fœtore vermium, qui ex brachio ſcaturiebant: Numerabat quinquaginta ſeptem ætatis ſuæ annos, in morte ſua dicere auditus, ſe tres claves Ludovico Regi relinquere, ſcilicet, Briſaccum ad Germaniam, Pignarollum ad Italiam, & Perpinianum ad aperiendam Hiſpaniam: Videtur Richelius adhuc poſt mortem ſuam in Regno dominari; quippe non modo paucis ante obitum ſuum diebus præcipua Regni munia inter ſuos clientes partitus eſt, ſed etiam ſupremum Miniſterium Mazarino Cardinali teſtamenti tabulis reliquit, atque Rex, qui vivo Cardinali adverſari non auſerat, mortui voluntatem religioſe executus eſt. Scripta ſunt Richelio ingentia elogia,

logia, sed non omnia ab amico cala- Sæc. XVII.
mo, inter quæ est illud: A. C. 1642.

Hic jacet Armandus, si non armasset, Amandus, cui tamen quidam Richelii fautor hoc districho respondit:

Armando in cunis amor aurea detulit arma, sic erat Armandus, qui bene amandus erat.

Referunt Scriptores nonnulli, quod Richelius in suo Avenionensi exilio librum *de institutione Christiana, & controversiis fidei* ediderit, præter aliud opusculum (si tamen suum) de perfectione Christiana. Sepultus requiescit in Sacello Sorbonico, cujus Basilicam, magnificumque Collegium ipse construxerat: Reliquit etiam duplex testamentum, quorum primum appellabat *Christianum*, alterum vero *Politicum*, utrumque vero, cum luculentum sit vasti sui ingenii, indolisque specimen, merito sibi in Historia nostra locum vendicat.

§. XLI.

Armandi Richelii Cardinalis Testamentum Christianum.

Testamenti Christiani sequens erat tenor: „Catholicus fide, Cardinalis „dignitate, Minister Regius munere,

Sæc. XVII. A. C. 1642.

„reddo rationes publicas vitæ meæ, & „conscientiam explico coram sole, ut „legi ab omnibus possit, quod sol „ostendit.„

„De fide mea id testor, idcirco Pur„puratum me credidi, ut fidem tuerer: „obsignassem eam libenter meo sangui„ne, & maluissem hac secunda purpu„ra rubere, quam prima: hanc volui „esse cardinem vitæ meæ, hanc secu„tus sum ducem etiam cæcam; nec „tamen in me cæca penitus fuit, eo „fere ingenio attigi, quo fides præivit: „scivi pene, quod credidi, nec tamen „credidi, quia scivi: pluris feci cæcam „fidem, quam occultam sapientiam, „& plus ignoranti mihi credidi quam „videnti.„

„Quid fecerim pro fide divina, te„stari potest fides humana: abstuli hæ„reſi trecentas arces, ne esset rebellis: „averti aliena auxilia, ne esset infide„lis; eripui arma, ne esset hostis; e„mendavi mores, ut fidem corrigerem: „conciliavi animos Regi, ut Deo sub„jicerem: erudivi conscientias, tenta„vi libertatem: eo redegi hæresin, ut, „quæ vim timebat, cogi jam velit.„

„Nec minus extra galliam Catho„licus fui: prius egi cum fœderatis de „Religione Germaniæ, quam de liber„tate: utriusque me Patronum profes„sus

„ſus ſum, excepi Eccleſias a lege ar- Sæc. XVII.
„morum: docui Politicum eſſe bellum, A. C. 1642.
„non Eccleſiaſticum: ſi quid detri-
„menti paſſa eſt Religio, ille non in-
„tulit, qui prohibuit.„

„Cardinalis amavi Eccleſiam Roma-
„nam ut Matrem, & Gallicanam ut fi-
„liam: illius alumnus, hujus Patronus;
„illius jura, hujus Privilegia tueri vo-
„lui: ſciebam, quid Gallia deberet Ro-
„mæ, quid Roma Galliæ: mutuus eſt
„amor, & alterna beneficia: ſervivi
„utrique, dum ſervivi uni, & quicquid
„addidi Galliæ, addidi Romæ.„

„Nec nocet Aula Eccleſiæ, nec Ec-
„cleſia Aulæ: neutra decolorat alte-
„ram, quia utraque eſt purpurata: ad-
„miniſtravi Galliam ut Eccleſiam, ſer-
„vivi Eccleſiæ, dum ſervivi Galliæ: ii
„duo cardines vitæ meæ Eccleſia &
„Gallia, Deus & Ludovicus: imo duo
„Poli, quorum unum in altero ſemper
„vidi; noluiſſet me Gallia Miniſtrum,
„ſi peccaſſem in Eccleſiam, noluiſſet
„me Eccleſia Cardinalem, ſi peccaſſem
„in Galliam.„

„De me Miniſtro id tertium teſtor,
„volui Miniſterium meum Chriſtianum
„eſſe, & politicum: conciliavi utrum-
„que, quia me Miniſtrum putavi Regis
„& Dei: ſciebam Regem Galliæ eſſe
„Ludovicum, & Regem Ludovici eſſe

Sæc. XVII. A. C. 1642.

„Deum: imitari volui providentiam „Dei, quia Regnum Galliæ est regnum „Providentiæ: exploravi, quo præiret „Deus: hunc sequi volui, neque ante„cessi nutum Ludovici, sed observavi: „neque attuli lucem, sed accepi: inde „illa felicitas mea sub utraque fortuna: „neutra cæca fuit, quia Deus utrique „præluxit; neutra temeraria, quia pro„speram dedit Deus, & correxit ad„versam. „

„Hæc gemina virtus Ministerii mei, „fides erga Deum, & fidelitas erga Lu„dovicum. De utraque id asserere pos„sum, nihil prætuli Ludovico, nisi „Deum: utrique studui, utrumque sci„vi, & pene utrique credidi: hæc du„plex regula vitæ, Deus revelans, & „Ludovicus imperans: agnovi utrum„que ut Dominum & Magistrum: di„dici ab utroque, quod docerem: at„que ut essem Minister Orbis, prius „fui Discipulus Dei & Ludovici.„

„Ut fidelis essem Ludovico, imitari „volui justitiam Ludovici, de qua id „testari audeo, pene offendi alias vir„tutes, ne offenderem justitiam: ti„meri volui, ut amaretur Ludovicus; „severus in paucis fui, ut essem omni„bus bonus; nullius tamen hostem me „putavi, nisi esset hostis Ludovici: a„mavi justitiam, non vindictam: nihil „egi

Sæc. XVII. A. C. 1642.

„egi nisi justum, quia Ludovicus nihil „imperavit, nisi rectum.

„De cæteris virtutibus id unum dico: „amavi omnes, quia omnium Ministrum „me credidi: didici omnes vel docui, „& dum Ludovicus virtutes omnes fa„cit Regias, feci omnes purpuratas: „ob eam caussam Eminentissimum esse „non renui, ut virtutes extollerem: id„circo Cardinalem me putavi, ut illas „fulcirem: propterea Aulam non fugi, „ut eas in Aulam inducerem: inde illa „Sanctitas utriusque Aulæ, prima Re„gia, altera Ecclesiastica, utraque Au„la Virtutum fuit.„

„Hæc de Virtutibus. De Honori„bus id profiteor, admisi Dignitates, „non ambivi; mereri eas volui prius, „quam assequi: nec tamen post meri„tum honores admisissem, nisi ut hono„rarem Ludovicum; honorificum est „soli coronari radiis: pertinebat ad Ma„jestatem Oceani, derivari in fontes, „nec imminui, idcirco Dux, Par, & „Cardinalis esse non recusavi, ut sci„ret Orbis, qualis & quantus est Lu„dovicus, cujus radius & rivus fuit „Richelius.„

„Et nunc eos honorum titulos æque „depono lubenter, atque gero; tam „facile morior Cardinalis, quam homo: „scivi sub purpura mortalem fuisse me,

„quia

Sæc. XVII. A. C. 1642.

„quia ſcivi me eſſe hominem: aſſuevi „æternitati intra tempus, atque, ut „mortem fallerem, mori cæpi adhuc „vivus: captus ſiniſtro brachio dextrum „obtuli morti & vulneri: circumductus „geſtatorio ferculo aſſuevi feretro quaſi „lecto: deſtitutus uſu dextræ, deoſcu„lor dextram Dei: vidi me per partes „mori, & didici mori totus.„

„Et nunc vivus & moribundus te„ſtor, ſub Ludovico Chriſtianiſſimo „fuiſſe me Miniſtrum in omnibus Chri„ſtianum.„

§. XLII.

Ejusdem Cardinalis Teſtamentum Politicum.

Politicum vero teſtamentum, cujus exemplar unum ipſemet Richelius Regi, alterum vero Aiguilloniæ Duciſſæ Nepti ſuæ tradiderat, his verbis exorſus eſt Richelius: „Abiturus e vita „vera dico eo momento, quo nemo „mentitur: vicinus æternitati quaſi „æternus loquor. Audi Poſteritas, „verba pene ultra vitam prolata, & „vera: lege Teſtamentum, pene ultra „tempus ſcriptum, ne fallat, pene in„tra æternitatem, ne pereat.„

„Electus in primarium Regis mei „Miniſtrum, id primum intendi, ut „Regem

„Regem meum facerem Regem primum: Sæc. XVII.
„volui Chriſtianiſſimum eſſe & poten- A.C. 1642.
„tiſſimum: volui, primogenitum eſſe
„Eccleſiæ & Europæ: volui, eſſe ju-
„ſtum, ut ſua Orbi reſtitueret, & Or-
„bem ſibi. „

„Hæc prima mea cogitatio Majeſtas
„Regis, altera Magnitudo Regni: in-
„veni Galliam minorem ſeipſa: decre-
„verant omnia præter linguam: hæc
„quoque excedebat Galliam, & erat
„Gallica: populi olim pars Galliæ ne-
„gabant ſe eſſe noſtros lingua noſtra.
„Galli erant & hoſtes Gallorum: arma-
„batur Gallia in ſeipſam, utebatur ho-
„ſtis nobis in nos ipſos, & victus & vi-
„ctor Gallus erat: idem ſortis in alie-
„nam gloriam, & ſuam perniciem.„

„Hic igitur Miniſterii mei ſcopus,
„reſtituere Galliæ limites, quos natura
„præfixit, reddere Gallis fratres ſuos,
„addere Galliam Galliæ & linguæ:
„confundere Galliam cum Francia, &
„ubicunque fuit antiqua Gallia, ibi re-
„ſtaurare novam. Tria ſe opponebant
„votis meis. Obſiſtebat Gallia ipſa ho-
„ſtis ſui: obſtabant hoſtes Galliæ, ne
„Gallos haberent æquales ſibi, vel ma-
„jores: obſtabant finitimi populi, id-
„circo amici externæ potentiæ, quia
„non poterant eſſe hoſtes.„

„Ut

Sæc. XVII. A. C. 1642.

„Ut perrumperem hos obices, con„ciliavi Galliam ſibi, ne intra ſe hoſtis „eſſet: occupavi hoſtes domi, ne bel„lum gererent foris: oſtendi ſociis li„bertatem, & coegi aliquos, etiam in„vitos eſſe liberos.„

„Duo mala male habebant Galliam, „hæreſis & libertas: emendavit utrum„que malum Ludovicus armis ſuis, & „conſiliis meis.„

„Primum malum adeo excreverat, „ut intra unum regnum cenſerentur „plura regna: tolerata a *Regibus Re*„ligio legitimum Regem vix tolerabat: „ex ducentis arcibus ſecuritatis toti„dem effecerat propugnacula rebellio„nis: intra centum urbes centum con„flarat Respublicas: intra Rupellam „incluſerat rebellionem & ſeipſam: in„de imperabat mari, inde nectebat fœ„dera cum hoſtibus Galliæ: inde par„tiebatur authoritatem Regiam, & ne „uni Regi pareret, pluribus Dominis „ſerviebat.„

„Aggreſſus ſum hoc monſtrum, „quod alii ante me Miniſtri irritare me„tuebant: expugnavit Rupellam Ludo„vicus, & intra urbem unam omnia „Elementa vicit: recepit trecentas ar„ces anno uno, & ſingulis fere diebus „triumphavit: intra Galliam ſuperavit „alterum regnum, & bis Regem ſe fe„cit:

„cit: &, ne quis de pietate cauſſæ „dubitaret, pugnavit armis Ludovicus, „& Deus miraculis.„ Sæc. XVII. A.C. 1642.

„Alterum Galliæ malum erat Li„bertas: amabatur Regia Dignitas, non „Poteſtas: timebantur ſubditi, & pec„cabant, ut timeri poſſent: emebantur „obſequia, quæ gratis debebantur, re„dimebantur auro offenſiones ſuppliciis „dignæ: attribuebantur penſiones, ne „quis rebellis eſſet: libertas erat con„ſcientiarum, & neceſſitas criminum: „leniebatur malum muneribus, & cre„ſcebat lenitate.

„Ut mederer huic malo, volui a„mari Ludovicum Pium, & timeri ju„ſtum: volui Imperium eſſe penes u„num, & penes omnes obſequium: „volui deberi amorem Regi, non emi: „volui aurum virtutis præmium eſſe, „non ſceleris: volui fidelitatem neceſ„ſariam eſſe, non liberam: volui obe„dientiam oculatam eſſe ex parte im„perantis, cæcam ex parte ſubditi.

„Poſt erectam Majeſtatem Galliæ „deprimenda erat Majeſtas externa, „quæ tot annis Galliam depreſſerat: „duæ res fundabant hanc Majeſtatem „externam, Conſilii gravitas & regni „poteſtas.„

„Adeo ſanctum erat Majeſtatis ex„ternæ Conſilium, ut illud virtutes „om-

Sæc. XVII. A. C. 1642. „omnes componere crederentur: præ„sidebat Religio consultationibus, ut „eas consecraret: assistebat sapientia, „ut illas erudiret: comitabatur fideli„tas, ut eas tegeret; & tunc tantum „revelabantur facienda, cum erant „facta. „

„Perturbavi externam sapientiam, „dum arcana detexi: revelavi myste„ria, quæ nondum texerant: evulgavi „consilia, quæ nondum ceperant: præ„occupavi agenda, ne inciperent: ob„jeci res factas, ne faciendas decerne„rent, supplantavi consilia, dum ma„teriam subtraxi: docui artem sapien„di, quam hostes nesciebant: mirati „sunt doceri se a Gallia, quam ipsi sem„per docuerant. „

„Alterum externæ Majestatis fun„damentum erat Potentia: hæc Maje„stas oriri intra fines suos videbat so„lem & occidere: hæc eos Mundos „invenerat, quos Alexander cogitabat: „hæc tribus Orbis partibus quartam „partem, & veteri Mundo addiderat „novum: ex eo Orbe novo tantum „metallorum exportabat, ut rarius fere „aurum esset, ubi nascitur, quam ubi „venditur: eo auro emebat provincias, „aut obligabat: amabant populi hoc „metallum, vel timebant: eo primum „amicos, deinde socios mercabatur: „nulla

„nulla fere ſocietas erat, cui non com- Sæc. XVII.
„modaret, quod deinde repeteret.„ A. C. 1642.

„Nullibi tamen ſtudioſius miſcebat „hoc venenum, quam intra Galliam: „eo auro corrumpebatur fides ſubdito- „rum, tentabatur fides Nobilium, ſol- „licitabatur amicitia hæreticorum: & „quorum diſplicebat fides, eorum e- „mebatur fidelitas: venalis erat magna „Galliæ pars; hæc ſi empta eſſet, ve- „nalis fuiſſet Europa.„

„Ut mederer huic alteri malo, di- „viſi hanc externam potentiam, ne „ſemper creſceret: interrupi commer- „cia, ne ſemper emeret: ingreſſus ſum „patriam ipſam, & inveni fortiorem „foris eſſe, quam domi: emi ipſe urbes „aliquas, mercatus ſum provincias: „vici, quod non potuit emi: & nunc „auctior Gallia bona parte ſui, oſten- „dit, quid acquiſiverit, & quid hoſtis „amiſerit. Nec Galliam tantum au- „ctiorem feci, ſed affines adjuvi: de- „ſerebant Galliam ſocii, quia eos Gal- „lia deſerebat: fiebant amici hoſtium, „ne ſervi eſſent: emebantur promiſſis, „onerabantur titulis, & omnis hæc „amicitia honeſta ſervitus erat.„

„Oſtendi Europæ libertatem, dum „oſtendi Regem fortem, ut amicos pro- „tegeret; juſtum, ne aliena retineret; „amicum, ut gratis beneficus eſſe vel-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

„let: oſtendi Italiæ, Galliam tueri vel-
„le, quod dedit, non repetere: oſtendi
„Germaniæ, liberam eſſe poſſe, ſi neu-
„tra eſſe vellet: oſtendi Electoribus,
„quis eligi poſſet, & quis eligi nollet:
„oſtendi Proteſtantibus, placere eorum
„libertatem, non fidem: obtuli Angliæ
„amicitiam, ſi amari vellet, & amare:
„obtuli Luſitaniæ portum intra Gal-
„liam, & Galliæ portum intra Luſita-
„niam. Sic correxi timorem Orbis,
„dum oſtendi, quid timeret: ſic docui
„ſuperari poſſe, quod victum eſt: ſic
„obtuli libertatem gratuitam, dum
„oſtendi Ludovicum Patronum Europæ
„eſſe velle, non Dominum.„

„Perge, Ludovice, ut cæpiſti, ab-
„ſolve victorias, quas inchoaſti. Oſten-
„di, quo progredi poſſes, & ubi deſi-
„nere: oſtendi aliena nunc regna, &
„quondam tua: oſtendi, quid debeas
„Europæ, quid illa tibi: quid poſſis
„repetere, quid illa reddere: quid ſit
„alienum, & quid tuum.„

„Accipe, Ludovice, hunc Librum,
„quem tu ipſe dictaſti. Habes in prio-
„re parte artem belli, quam ex te de-
„ſumpſi: habes in altera parte Ideam
„Pacis, quam ex te didici: habes in
„tertia parte exemplar Regis, quod ex
„te Rege deſcripſi: habes ubique ar-
„tem Miniſtri Politici, quem tu ipſe
„formaſti.„

§. XLIII.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

§. XLIII.

Aloysii Cajetani Cardinalis mors.

Præter nominatissimum Cardinalem Richelium insuper hoc anno decessit Aloysius Caietanus patria Romanus, qui Ravennæ humanioribus, Philosophicisque disciplinis egregie imbutus, Romæ jurisprudentiæ vacabat: cum autem ingenii perspicacia, mentis sinceritate, atque in ferendis sententiis mira integritate polleret, his, aliisque virtutibus clarus se apud omnes conspicuum, maximaque æstimatione dignum reddebat: Demum vero a Gregorio XV. Patriarcha Antiochenus, & ab Urbano VIII. Archipræsul Capuanus, tandem Presbyter Cardinalis renuntiabatur: Obiit tandem Romæ anno ætatis suæ quadragesimo septimo die octava Aprilis sepultus in titulo suo Sanctæ Pudentianæ.

Ciacon. in vit. Urbani VIII. Ugkel. Ital. Sacr.

§. XLIV.

Cosmus de Torres Cardinalis mortuus.

Hunc paulopost sequebatur Cosmus de Torres itidem Romanus, qui variis scientiis, & præcipue jurisprudentia clarus Romæ diversa obiit munia,

Sæc. XVII. A. C. 1642.

nia, ac tandem a Gregorio XV. legatus decernebatur ad Poloniæ Regem, ad cujus preces ab eodem Papa Cardinalium Collegio adscriptus, demum ab Urbano VIII. Perusinum Episcopatum obtinuit, postea ad Archiepiscopalem Ecclesiam Montis Regalis in Sicilia translatus est, ubi lenta hydropisi obrutus Romamque ad patrium solum reversus, evolutis duntaxat aliquot Mensibus die prima Maij quinquaginta sex annos natus decessit.

§. XLV.

Petri Mariæ Burghesii Cardinalis decessus.

Victor. in addit. ad Ciacon. Marac. in Purp. Marian.

Pari ferme fato Romæ die decima quinta Junii vivis sublatus est Petrus Maria Burghesius Nobilis Senensis, Paulo V. Pontifici sanguine junctus. Hic Majorum excitatus exemplis adolescens Jurisprudentiæ in Patriæ Gymnasio lauream consecutus, ab Urbano VIII. Purpura Romana decoratus est. Inclaruit moderatione, victusque frugalitate usque ad obitum Scipionis Cardinalis Burghesii, cujus pinquia Ecclesiæ Beneficia adeptus lautam instituit vitam, quam brevi mors sequebatur; cum enim a Marco Antonio Burghesio nobile Viridarium ad usum

usum suum accepisset, frigusque opacum ad primas noctis horas captare delectaretur, contracto exin morbo nonnisi quadraginta tres annos natus, & quidem alieno ære gravatus mortalitatem exuit, tumulatus in Sacello Burghesiano ante imaginem B. Virginis, a D. Luca, ut fertur, depictæ, erga quam singulari pietate & Religione semper addictus erat. Sæc. XVII. A. C. 1642.

§. XLVI.

Joannis Doria Cardinalis fata.

Postremus inter Cardinales hoc anno denatos erat Joannes ab Auria, vulgo *Joannetinus Doria* vocatus, patria Genuensis. Hic non tam Avorum, quam propriis meritis ad Philippi II. Hispaniarum Regis preces Cardinalis renuntiatus, a Paulo V. Panormitanum Archiepiscopatum impetravit, quam etiam Ecclesiam summa laude & uberrimo animarum proventu per triginta quinque annos optimus Præsul rexit, Synodumque diœcesanam bis coegit, pleraque decrevit, quæ vigilantissimi Præsulis prudentiam, atque Christianæ Religionis promovendæ studium egregie commendarunt. Tertio etiam Regias vices, amoto Duce Ossunensi Pro-Rege, in Sicilia obibat: postquam *Ciacon. in vita Clem. VIII.*

Sæc. XVII. A. C. 1642.

vero ex Africæ oris captivi Christiani Panormum pestiferam luem intulerant, accepto nuntio Joannes tum valetudinis caussa absens, spretis Medicorum & Parentum dehortationibus in urbem reversus est, ac religioso mortis contemptu ægrotanti populo æger ipsemet adstitit, urbemque omnem singulis diebus circuiens, pestiferos invisit, egenos eleemosynis adjuvit, supplicationes instituit, nullasque partes omisit, quæ ad pium, providum, bonumque Pastorem spectarent. Præterea ad extinquendas omnes epidemiæ reliquias unacum Senatu, Populoque Panormitano sese voto obstrinxit de tuenda B. Virginis immaculata Conceptione. Tandem vero annis, meritisque plenus Panormi die decima octava Novembris pie, ut vixit, obdormivit in Domino.

§. XLVII.

Novi tumultus in Anglia, vicinisque Regnis contra Carolum I. Regem, ejusque fautores concitati.

Salmon Hist d' Angl. t. 1. p. 223. Rapin Thoiras Hist. d' Angl. t. 9. p. 185.

Enimvero Angli ad honestandam seditionem suam onera, quibus populus Regnumque oppressum esset, obtendebant, his autem a Rege penitus sublatis, cum nihilominus novos indies tumul-

tumultus concitarent, inferioris Curiæ Senatores ſat luculenter teſtati ſunt, quod nihil aliud, quam Regem ſua auctoritate exuere, intenderint: Ut vero ſuum aſſequerentur ſcopum, ſupremum Regis Senatum penitus abolere ſtatuerunt, haud ignari, quod Epiſcopi & Catholici, hujus Curiæ Patres, utpote numero ſuperiores eorum conſiliis ſemper obſtituri eſſent. Ea ex cauſſa Puritani Proceres & Prædicantes peropportunum fore cenſebant, ſi fæx populi, & opificum famuli ad concitandos tumultus contra Epiſcopos, Regiosque identidem inſtigarentur: nec ſua eos ſpes feſellit: peſſimis enim ſuis conſiliis ſemper obſequentem experiebantur populum; unde Cornelius Burgheſus Præco Puritanus jactitare ſolebat, *quod infimi ex plebe eſſent ſui canes venatici, quos ad arbitrium ſuum irrumpere juberet, & iterum revocaret:* Die ergo ſeptima Januarii pene innumeri lixæ & calones tam Londini, quam Weſtmonaſterii & Withaliæ confluxerant, inconditis clamoribus, & ejulatibus vociferantes, *faceſſant Epiſcopi, faceſſant Epiſcopi!* ipſum etiam Eboracenſem Archiepiſcopum, cum ad ſupremam Curiam properaret, tam arcte cinxerunt, ut pene a multitudine oppreſſus, ægre eorum manus evadere poſ-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

set. Hydeum vero Regiæ cohortis Tribunum, eoquod furiosos hosce Episcoporum hostes esse jugulandos edixisset, Westmonasterii captum Curiæ inferioris Senatoribus sistunt, quem etiam hi unacum duodecim Episcopis, quos Parlamenti decretis repugnantes proditionis postularunt, custodiæ dederunt, ex seditiosis vero nonnullos, quos Lunsfordius Londinensis Turris Præfectus a Rege constitutus in vincula conjecit, liberos dimitti jusserunt: Cum igitur rebelles haud obscure cognoscerent, quod ejusmodi tumultus Curiæ inferiori minime ingrati essent, ipsa impunitatis spe efferatiores effecti, singulis ferme diebus novos concitarunt motus, quos tamen sedare, adeo non intenti erant Puritani Senatores, ut etiam populo vanos timores, & suspiciones contra Regem, Catholicosque Proceres identidem inspirare adniterentur, quibus egregie opitulabatur Joannes Sedgwickus seditiosissimus Præco, qui suis declamationibus, mendaciis & convitiis populum contra Carolum Regem concitare, toto studio certabat, quamvis ipsemet tam sceleratam ageret vitam, ut in unica die de adulterio, Simonia & Ecclesiarum rapina reus convinceretur.

§. XLVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. XLVIII.

Carolus I. Angliæ Rex Londino excedere, a rebellibus ſubditis ſuis compulſus.

Tantopere inferioris Curiæ odium & populi audacia creſcebat, ut palam arma intentarent Carolo Regi, ni illico iniquiſſimis, quas impudens & rebellis Puritanorum factio eidem dictabat, ſubſcriberet conditionibus. Præprimis igitur decretum, quo cunctos Hiberniæ Catholicos igne, ferroque deleri ſtatutum erat, Regia ſua auctoritate firmare, illosque proditionis reos declarare jubetur: poſtea Puritanorum Prædicantes ad arma nefaria pro roſtris ſuis populum contra Regem concitare non erubuere, dumque pacem Evangelicam Evangelici, ut ſe perperam appellitant, Præcones prædicare debuiſſent, ad Chriſtianorum ſanguinem effundendum atrociter ſubditos excitarunt, quippe in concionibus publicis ad Parlamentum habitis Regem pientiſſimum ſub *Saulis*, *Achani*, *Jeroboami* &c. nominibus inſectabantur, *adeſſe optabant vindices*, *ſi qui ſint Phinees*, *ſi qui Ehudi*, quibus verbis ſacratum Regis caput ipſi ſicariorum ferro haud diſſimulanter deſignarunt. Enimvero probe perſpectum

Rusworth Vol. 4. pag. 476. Nicholſ. Apol. Eccl. Angl. p. 70. & ſeq.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

habebat Rex, quod præcipue quinque ex inferioris Curiæ Senatoribus exteros hoſtes ad invadendam Angliam incitarint, ſparſoque terrore ac minis populum ad tumultus contra Regiam familiam accenderint, Regiasque copias nuper contra Scotos contractas ad defectionem ſollicitarint, Regem contumeliis oppreſſerint, eumque Regia auctoritate ſpoliare, ſuisque ſubditis exoſum reddere, totis viribus conniſi eſſent. Hos ergo tanquam læſæ Majeſtatis reos ſibi tradi, eorumque cubilia, ciſtas, & ſcrinia Regio ſigillo obſignari juſſit: Verum inferior Curia non modo Regis petito obſtitit, ſed etiam ſigilla mox auferri præcepit, illosque, qui ea apoſuere, in vincula conjecit, Regeque adhuc in Curia præſente, Senatorum potiſſimi exclamarunt, Regem violaſſe Curiæ privilegia, cumque Rex Guildhallam, quo hi Senatores de Regis petitione deliberaturi convenerant, ipſus etiam contenderet, non ſine maxima animi ſui amaritudine ſæpius a furente populo: *Privilegia! Privilegia!* exclamari inaudierat, quin imo quidam ad tantam devenerat petulantiam, ut chartam, in qua hæc verba: *Ad Tentoria tua, o Iſrael!* ſcripta erant, in Regis currum projicere auderet. Nondum tamen hiſce injuriis ſatiata erat Puri-

Puritanorum rabies: eapropter urbi Londinenſis Primores incitabant, ut ſcriptotenus Regi exprobrarent, quod ipſe cives ſummo terrore affeciſſet, eoquod Hibernorum rebellionem ab Angliæ Papiſtis, eorumque fautoribus ſuffultam foveret, atque in hujus regni opem validas ferre ſuppetias cunctaretur, Proteſtantes regno eliminare, juncta exterorum ope moliretur, ſuum Palatium Witehalliæ inſolito armorum apparatu muniret, Curiamque inferiorem cum frequenti Tribunorum numero, læſis Parlamenti privilegiis ingreſſus eſſet: quoniam vero ex quatuor Londinenſibus Collegiis Advocati, necnon jurisprudentiæ Candidati oppreſſum Regem defendere polliciti eſſent, eidem Regi crimini datum, quod pronam horum voluntatem gratanter acceptaſſet, & quamvis Rex cuncta hæc accuſationum capita ſolide confutaſſet, nihilominus Puritani Senatores in Parlamento declararunt, quod Rex quia accuſationum capita contra hos quinque Curiæ inferioris Senatores promulgavit, manifeſte Parlamenti privilegia violaſſet, Regnique pacem ſeditioſo auſu perturbaſſet, proin Rex illos, quos hac in re in conſilium vocaſſet, manifeſtaret, ipſusque ad Curiam inferiorem accederet, & horum caſtigationi ſubſcriberet: Tantam

Sæc. XVII A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642. tam Curiæ audaciam plurimum fulciebat Londinenſis populus, qui ad Parlamenti defenſionem a Londinenſi ponte Weſtmonaſterium usque plusquam centum armatas naves ad primi imperii nutum diſpoſitas habebat: Tum primum Rex vitam ſuam extremo diſcrimini expoſitam cognoverat, quocirca Hamptoncurtiam, & biduo poſt Vindeſorium die vigeſima ſecunda Januarii aufugere coactus eſt: inde vero Curiæ Senatoribus miſſo nuntio ſignificavit, quod cunctis læſæ *Majeſtatis reis* veniam offerret, dummodo deinceps Regi ſuo fideles forent: Tanta Regis ſubmiſſio absdubio omnem ſedaſſet tumultum, niſi de Regis excidio jamjam fuiſſet concluſum, quocirca Parlamenti Senatores de ſuorum potentia tumidi, ſpreta Regis gratia, audacter poſtulabant, ut Rex illos, qui quinque Senatorum accuſationem ſuggeſſiſſent, juſtitiæ traderet plectendos, inſuper Procuratorem, eoquod accuſationum capita inferiori Curiæ conſignaſſet, necnon Byronum Londinenſis Turris Præfectum, quia arma, bellicumque apparatum Witehaliam pro Regis defenſione ſubmiſerat, in carceres conjiciebant. Demum minis a Rege extorquebant, ut ipſis totius militiæ imperium, & Turris Londinenſis, aliarumque arcium

cium cuſtodiam relinqueret. Pariter Eſſexiæ & Hollandi Comitibus, quos Rex ad Aulam pro obeundis ſuis officiis vocaverat, Vindeſorium venire inhibuerunt, ac demum nil intentatum inauſumque reliquere, ut auctoritatem regiam imminuerent, atque in omnibus Regis voluntati obluctantes eundem injuriarum mole opprimerent. Nec ipſi etiam Reginæ pepercerunt, ſed illam velut proditionis ream ob interceptas literas inſimulabant: Eapropter ipſa unacum primogenita Filia ſua Maria Guilielmo Arauſionenſi Principi deſponſata ad Hollandos transfugit, ipſe etiam Rex, necnon Walliæ Princeps, ejus Filius, & Eboracenſis Dux Windeſorio Granwichum ac inde Theobaldam omni feſtinatione contendere coacti ſunt. Sæc. XVII. A. C. 1642.

§. XLIX.

Angli Carolo Regi ſuo bellum palam denuntiantes.

Quamprimum Rex Theobaldam pervenerat, confeſtim Puritani quosdam nomine Parlamenti ad eum deputarunt, qui Regi exponerent, quod ob juſtas cauſſas, nec ex vano metu, inſuperhabito ejusdem interdicto milites conſcribere ſtatuiſſent, & quidem primo, *Nalſon t. 2. pag. 805. Salmon l. c. p. 225.*

Sæc. XVII. A. C. 1642. mo, quia Roſſetus Pontificis Nuntius, necnon Epiſcopus ille, qui Romæ negotia Reginæ procurare juſſus eſſet, jam ab aliquot annis religionem in Regno ſparſis etiam hanc in rem libellis immutare machinati ſint, & pro felici ſucceſſu Nuntius Papiſtis jejunia precesque indixerit. II. Eo ex fine a Papiſtis, & Papismi fautoribus Scotiæ bellum ultroneis ſubſidiis nutriatur. III. In Hibernia rebellio a Papiſtis ad Angliæ regnum fuerit propagata ad defenſionem Regiæ auctoritatis. IV. Hiberni Catholici ſe cuncta ex Regis auctoritate egiſſe jactitent, ſuumque exercitum *copias Reginæ* appellare præſumant. V. Quinque Senatores, approbante Rege, falſo fuerint accuſati. VI. Papæ Nuntius pro Regis auctoritate contra Parlamentum tuenda a Franciæ & Hiſpaniæ regibus militum ſubſidia petierit, quod Rex permittere non potuiſſet, niſi Papiſtarum Principum ope ſuam dignitatem defendere, ac religionem immutare intenderet. Poſtquam igitur Deputati die nona Martii temere excogitatas haſce rationes incredibili audacia Regi ſuo expoſuerant, pari temeritate petebant, ut Rex cunctos peſſimosque hoſce Conſiliarios horum motuum auctores, tanquam patriæ hoſtes a ſe amoveret, & una-

unacum Filio suo Walliæ Principe haud procul a Londinensi urbe deinceps habitaret, necnon inferioris Curiæ decretum, quo ipsis in universo Regno exercitum conscribere integrum esset, ultroneeratum haberet: etsi vero, addebant deputati, Rex diutius suum consensum denegaret, nihilominus utraque Curia formidandum exercitum contrahere statuisset, & Anglicæ Nationis Primores ad obtinenda hæc postulata extremam vim esse adhibendam, unanimi suffragio decrevissent. Futiles hasce Deputatorum querelas Rex levi brachio dissolvit, eisque exposuit, se ægerrimo ferre animo, quod ipsi tot falsis suspicionibus, temerariis judiciis, ac sinistris interpretationibus & calumniis sinceras ejus actiones ad populi sui felicitatem directas depravare præsumerent. Percepto hoc Regis responso, utriusque Curiæ Senatores die duodecima Martii præceperunt, ut nulla mora cunctæ Provinciæ ad sustinendum bellum diuturnum instruerentur, & Northumberlandiæ Comes validam classem appararet. Tum vero Rex se omni ope & consilio destitutum cernebat; intempestivo enim suæ indulgentiæ excessu classes suas, thesauros, armamentaria, munitiores arces, copiasque suis subditis cesserat, nil ergo reliquum habe-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642

habebat, nisi ut ad Boreales regiones suas aufugeret: quo comperto Senatores majore adhuc arrogantia Regi denuntiarunt, ut Londini, aut si hæc Urbs sibi suspecta videretur, Eboraci moraretur: condescendit denuo Rex, & ad urbem sibi a rebellibus suis subditis designatam contendit: utque omnem mutandæ religionis, ac Hibernæ seditionis suspicionem a se amoliretur, severissimas leges antea in Catholicos decretas effectui dari jussit, ac semetipsum cum valido exercitu in rebelles Hibernos moturum pollicitus est: Verum Senatores, qui paulo ante ob dilatam Hiberniæ expeditionem Regem in collusionis suspicionem trahere nitebantur, nunc pronam Regis voluntatem respuerunt; verebantur enim, ne Rex hisce copiis instructus, nequaquam Hibernos sibi fideles, sed Anglos rebelles in ordinem redigere quæreret, hoc timore stimulati Regem omni armorum subsidio spoliare, unice intenti erant, ac ideo, quamprimum comperant, quod Rex Eboraco Hullam, quæ propria Regis arx ab ipsomet annona, omnique belli apparatu abunde instructa erat, contenderet, mox Hothamus arcis Gubernator ex Senatorum mandato Regem, ducto in altum ponte, dispositisque ad valla præsidiariis aditu pro-

prohibuit, eumque capto Eboracenſi Duce, quem Rex præmiſerat, Eboracum reverti compulit: Enimvero Rex tanta injuria commotus, Hothamum tanquam læſæ Majeſtatis reum plecti juſſit: Senatores vero ipſum ob generoſam animi conſtantiam amplis honorarunt elogiis, cauſſati, quod Rex Senatus immunitates violaſſet: nec his contenti, Eboracum exploratores decernebant, qui cuncta Regis geſta exacte obſervarent, necnon ad Boreales quoque Provincias Regi adhuc propenſas ſeditionem propagarent, copiasque ad bellum Regi inferendum conſcriberent, cunctosque, qui ſeſe Regi infenſos declararent, de Parlamenti protectione ſecuros eſſe juberent. Poſtquam vero compertum habebant, quod Rex pro ſua ſecuritate duas legiones conſcripſiſſet, illico cunctos, qui contra Parlamentum novos delectus inſtituerent, tanquam patriæ proditores declarabant, necnon Eboracum ſatellites emittebant, qui quosdam Nobiles Regi adhuc addictos in vincula conjicerent: Tam enormis petulantiæ impunitas Parlamenti Senatores ad tantam impulerat arrogantiam, ut die ſeptima Junii declararent, quod ſuprema auctoritas omni tempore penes utramque Curiam fuerit, Carolus autem Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642. ideo duntaxat Rex fuerit, quia nullum tunc Parlamentum exſtitit: Tam manifeſtus Regiæ auctoritatis contemptus non omnibus probabatur, quocirca Litletonus ſigilli Cuſtos relictis rebellium ſtudiis ad Regis ſui vexilla rediit, necnon triginta ſex Proceres mutuo pacto ſeſe obſtrinxere, quod pro tuendo Regis honore, & ſervandis Regni prærogativis extrema quævis perpeti vellent: Quoniam vero Rex die trigeſima Junii promulgato edicto decretum, quo Regis ſubditi ad militaria Curiæ ſigna a Puritanis cogebantur, in opus deduci inhibuerat, hinc utriusque Curiæ Senatores mox contrario edicto pro Parlamenti defenſione contra Regem milites undique conſcribi præceperunt, iisque cum ſummo imperio Eſſexiæ Comitem præfecere, aſſignatis in militum ſtipendia centies mille libris ſterlingicis. Demum intercepta Dubri arce, captisque aliis urbibus cunctos Nobiles, qui Regi adhæſere, captos abſtraxerunt, eorumque bonis militum deprædationi relictis, illos, qui reſtere auderent, trucidari juſſerunt. Die decima nona Septembris Eſſexiæ Comes cum quindecim armatorum millibus Northantoniam, ubi Parlamenti Senatores erant congregati, movit, ad quos Carolus Rex Nottinghamo Legatos

tos tertio post die ablegabat, ut illos denuo ad pacem induceret: Prævaluit tamen apud rebelles Regem suum armorum potentia opprimendi voluntas: Ad eam igitur necessitatem Rex, ut vitam, auctoritatemque suam dubii prælii aleæ committeret, compulsus, cum copiis suis die vigesima tertia Septembris Derbicum, ac inde Schresburium, urbem sibi adhuc fidam contendit, primis expeditionis suæ auspiciis sibi secundis; Goringius enim Bellidux Portus-Ostium primo occupabat impetu, quam tamen urbem Parlamenti copiæ, utpote numero longe superiores paucis post horis recuperarunt. Prospero magis successu Rex Lincolniam subegit, utque Essexiæ Comitem, qui Conventrium urbem intercipere festinabat, præveniret, cum octingentis Equitibus eo contendit; verum Urbis Gubernator adventanti Regi portas occlusit, bellique tormentis Regios Equites dissecit. Hac injuria Rex vehementer quidem offensus, omni tamen ope destitutus Nottinghamum inultus reverti cogebatur. Adeo insuper enormis erat continuata Parlamenti vexatio, ut innoxii Regis sortem miserti quidam Londinenses, clam Carolo pecuniarum suppetias submitterent, imo etiam Oxonienſis & Cantabrigienſis Universitates

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A.C. 1642

omnem ſuppellectilem argenteam eidem donarent, quam Rex per Robertum Principem Palatinum & Byronum Beliducem Schresburium usque transferri juſſit: poſtquam vero hi Vigornium venerant, obvias habuere rebellium copias, quas tamen Robertus intrepide aggreſſus, fudit, fugavitque: nihilominus tamen Cronwellus Cantabrigienſis Univerſitatis ſuppellectilem intercepit, eamque in levandas rebellium neceſſitates convertit. Paulopoſt Eſſexiæ Comes Regem preſſe inſecutus, cum copiis ſuis Keintonam contendit; Rex vero poſitis Edgehillæ caſtris die ſecunda Novembris hoſtem inſtare conſpicatus, aciem diſponit, effuſisque habenis in rebelles effunditur. Proſperum Regiis erat prælii initium; nam hoſtiles Equites primo impetu obtriti retroceſſere, quos tamen cum Robertus Princeps longius ab acie inſequitur, regios pedites neceſſaria ope deſtituit: itaque Comes laxatos peditum ordines invadit, multaque regiorum cæde evertit, eodemque tempore Balfurius Eques circumfuſos Regi pedites adoritur, everſosque cædendo in ſe obverti cogit. Turbata erat utraque acies, & Rex, ac uterque ejus Filius a rebellibus capti fuiſſent, niſi Robertus Princeps, qui fugitivos urgebat, cum ſuo equi-

equitatu reverſus, denuo in prælium rediiſſet: Tum vero ancipiti marte aliquamdiu pugnatum, donec appetens nox prælium dirimeret, & æquata utrinque clade & decore Rex æque ac Comes ſua quisque caſtra repeterent. Cecidere Regiorum circiter mille octingenti, atque inter eos Lindſeyus Comes ſupremus belli Præfectus, cujus filius inter captos numerabatur; nec tamen rebellibus incruenta fuit victoria, quam ſibi adſcripſerant; cæſis enim ſuorum plusquam mille quingentis, Bletskium, & Carolum Eſſexium pluresque alios magni nominis Tribunos, præter centum quinquaginta vexilla, amiſere: nihilominus rebelles ſibi ſolis victoriæ gloriam vindicantes Eſſexiæ Comitem Weſtmonaſterii immenſo aggratulantium applauſu exceperunt, eique in rei optime geſtæ præmium quinque librarum millia dono dederunt. Sæc. XVII. A. C. 1642.

§. L.

Fruſtranea Caroli Regis ſollicitudo pro concilianda pace.

Cum autem tam Londini quam alibi ſecretæ multorum indignationes audirentur, & non pauci ad Curiæ utriusque criminationem devenirent, eoquod Rex a ſuis ſubditis tam indigne habi- *Rusworth Vol. V. p. 52. & 26. Thoiras Hiſt d'Angl. l. 20. p. 336. Calmet Hiſt. Univ. l. 152.*

Sæc. XVII. A. C. 1642.

habitus, velut abjectiſſimum mancipium impune vilipenderetur, ac depreſſa ejus auctoritate Puritani ſupremum Regni Regimen ſibi arrogarent, ideo hanc calumniam a ſe amoturi pacis conditiones Regi præſcribere decreverunt, adeo tamen duras, ut illas a Rege, ſalva ſua auctoritate, nunquam acceptandas proſpicerent, ipſi vero ex hac ipſa repulſa Regem a pace alienum, ac unice Parlamentum opprimere intentum convitiari poſſent. Erant autem conditiones ſequentes. I. Omnes Regii Miniſtri, niſi ſint a Parlamento approbati, ſuis amoveantur officiis. II. Cuncta Regni negotia in Parlamento decidantur. III. Regiarum prolium Moderatores, ejectis famulis, quibus illæ nunc utuntur, deinceps ab utraque Curia ſeligantur. IV. Regiæ Proles absque Parlamenti conſenſu, matrimonio non jungantur. V. Leges contra Jeſuitas, Sacerdotes & Catholicos pronuntiatæ absque omni venia exacte executioni dentur. VI. Proceres Catholici a Parlamento excludantur, eorumque Filii in Proteſtantium Religione educentur. VII. Abolitis innovationibus Regimen Eccleſiaſticum ad meliorem normam reducatur, & Rex Prædicantibus de congruis reditibus proſpiciat. VIII. Rex revo-

revocet ſua decreta contra Parlamenti edictum de conſcribendis militibus. IX. Cunctos & præſertim quinque Senatores officiis ſuis amotos Rex priſtinæ dignitati reſtituat, illosque innocentes declaret. X. Omnes criminum rei a Parlamento in jus vocentur, & puniantur. XI. Præteritorum criminum oblivio a Rege oblata admittatur, ſed cum exceptionibus ad Parlamenti arbitrium addendis. XII. Arces ab illis gubernentur, quos Rex nominaverit, & Parlamentum ratum habuerit. XIII. Rex milites & ſatellites præter morem conductos dimittat. XIV. Rex arctum fœdus cum Batavis, ceterisque Proteſtantibus ineat pro defenſione Religionis contra Papam, eique adhærentes, & propterea ſubditos ſuos in Parlamento excitet, ut pro Palatina Vidua, ejusque prolibus in Electoratum & ditiones ſuas remittendis validam opem ferant. Arrogantes hæ propoſitiones nimis luculenter teſtabantur, quod Parlamentum Regi duntaxat nudum Regis nomen, ſibi vero plenam auctoritatem arrogare intenderet: nihilominus Rex fuſius ad haſce propoſitiones reſpondit, eisdem exprobrans, quod ad opprimendam ejus auctoritatem præprimis nova legum interpretatione arbitrariam poteſtatem invexerint, poſtea novam

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

& a Rege independentem milites conducendi auctoritatem sibi arrogarint, Hullensem urbem Regi eripuerint, & Hothami perfidiam tutati sint, atque in vulgus enormes calumnias contra Regem sparserint. subditos minis & pœnis a Rege abalienarint, Regiis domesticis Eboracum ad Regem venire, vel pecunias recipere inhibuerint, necnon exiguam pecuniarum summam, quam Rex pro emendo pane mutuo acceperat, interceperint, ipsumque Regem cum suis ibidem obsessum tenuerint. Præ ceteris vero Rex ægerrime tulit, quod Parlamentum Regios Ministros amoveri postulasset, haud ignarus, quod non tam hosce Viros a Rege electos peteret, quam quod Regium jus eos seligendi impugnare intenderit. Postea Rex amare querebatur, quod hi Senatores non modo nullam curam de Regia auctoritate, juribus, & ejus securitate tanquam *Principis* haberent, sed ipsum etiam jure, quod ex Dei & naturæ jure ipsi tanquam *privato homini* competeret, exspoliare conati sint, dum ei proles suas in matrimonio collocandi, & educandi jus, libertatemque adimere præsumerent. Æquissimæ hæRegis querelæ adeo non rebellium subditorum animos movebant, ut etiam Regi ad pacem rursus invitanti objicere non erubescerent,

cerent, quod ipsus conciliandæ paci obsisteret, cum adhucdum ejus milites innumeras exercerent violentias, & ipsemet jactatæ hujus pacis beneficio belli Authores protegendi jus sibi asserere niteretur, ac tempore sat importuno, quo nempe Curiæ Senatores tanquam perduelles declarasset, pacem offerret, Catholicos & præcipue Hibernos in suo exercitu aleret, necnon bellicos apparatus, vestesque militares Parlamento auferri jussisset, ut bellum Parlamento inferre posset. Has vero calumnias Rex æquiori jure in Senatores rejecit, eisdem objiciens, quod ipse quidem jam die vigesima tertia Junii severissimis pœnis exactam disciplinam militibus suis injunxisset, Parlamentum vero pariter sub signis suis Hibernos haberet, & ad bellum Regi suo inferendum centies mille libras sterlingicas ad coercendos Hibernos destinatas impendisset, & ex Curia tam suprema, quam inferiori, Senatores Regi addictos plusquam ducentos quinquaginta partim vi, partim promissis, partim minis & pœnis ejecisset. Cum vero ad hasce Regis querelas Senatores respondere haud possent, novis criminationibus caussam ipsius deteriorem reddere certabant, hancque in rem die vigesima secunda Octobris

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

scriptum in vulgus spargebant, quo Regi objectabant. I. Quod repudiato Essexiæ Comitis libello supplici, omnem pacis spem aperta sua necessitudine cum Papistis irritam fecerit. II. Plures Papistæ exterius Anglicanam Religionem simularint, ut in Regis exercitu militaria obire possent munia. III. Ipsemet Rex Protestantium Religionem tueri simularit, ac propterea quosdam Papistas a suis signis dimiserit, interim vero ex Lancastriensi carcere plures Sacerdotes & Jesuitas extrahi jusserit. IV. In Wallia Meridionali Herbertum Protestautibus infensissimum in supremum Regii exercitus Imperatorem nominarit, in Septentrione vero Catholicum Neocastri Comitis exercitum recenti milite Hamburgi & in Dania conscripto auxerit, necnon ad Aulam suam Hibernos admiserit. V. Econtrario plures Anglos tanquam perduelles declararit. VI. Jesuitæ aliique pecunias pro Rege in exteris regionibus corraderent. His ita objectis falsacia rebellibus familiari, Senatores profitebantur, quod nullo aversionis affectu, nec sinistra erga Regem voluntate, nec justis ejusdem prærogativis, honori, vel illius auctoritati quicquam derogandi animo arma sumpserint. Ad hæc vero Rex eis respondit, quod a-

ver-

versam ipsorum voluntatem sat luculen- Sæc. XVII.
ter testati essent, dum eorum copiæ A. C. 1642.
Regem suum debellare non erubuerint: falsum autem esset, quod Papismo faveret, aut Jesuitas &c. liberos dimisisset, cum in Lancastrienſi carcere Catholicorum nullus fuisset detentus, nec ipse unquam de delectu in Dania vel Hamburgi habendo cogitarit: quod autem Catholicos in suo exercitu retineret, & Lancastriæ incolis in sui defensionem arma sumere permisisset, se ad id extrema, ad quam a suis perfidis subditis fuisset redactus, necessitate compulsum fuisse, ac juri naturæ consentaneum esse reposuit, ut a Protestantibus derelictus, oppressus, & ad incitas redactus oblatam a Catholicis sibi semper fidis opem acceptaret. Interim vero accepto nuperæ cladis nuntio Londinenses cives ingenti concutiebantur metu, ac non pauci ex Equitatus Anglici Tribunis, siniſtri prælii periculo territi, fuga elapsi sunt: non deerant igitur, qui Regi persuaderent, ut cum copiis suis Londinum moveret, ipse autem Barburiensi arce & Brughtoniano Palatio expugnatis prævie Londinum die sexta Novembris diploma transmisit, quo cunctis rebellibus, si a Parlamenti signis dilapsuri essent, plenam delicti veniam pollicebatur: altera

autem

Sæc. XVII. A. C. 1642

autem die Rex Oxonium delatus, Parlamenti Legatos, qui novam pacificationem obtulerant, excepit, eorumque propositionibus, quas sinceras fore credidit, annuere, armorumque cessationi subscribere haud dubitavit: Verum se denuo delusum brevi experiebatur, Parlamentum enim Londinenses cives armis instructos Comitis Essexiæ copiis adjunxit, ac propositæ pacis immemor, suos Legatos revocavit, necnon Downingus & Marschallus Puritani Prædicantes plusquam Pontificia auctoritate quingentos illos milites nuper a Rege captos illo juramento solverunt, quo se arma contra Regem nunquam sumpturos antea promiserant. Præterea utriusque Curiæ Senatores Essexiæ Comiti negotium dabant, ut nulla mora Lodinum cum copiis suis contenderet, Regemque aditu prohiberet: postea Scotos rebelles rogarunt, ut cum toto suo exercitu sese in Angliam effunderent, suasque copias Parlamento contra Regem aggregarent. Quoniam vero rebellis exercitus plusquam viginti quatuor armatorum millia recenseret, Regiisque copiis numero & animositate prævaleret, Rex Radingam profugere compulsus est, copiis suis Oxonium ad hiberna dimissis. Postmodum Northumbriæ, Cumbriæ & West-

Weſtmoriæ Provinciæ ad regias partes acceſſere, viciſſim quoque Parlamentum Eſſexiæ, Cantabrigæ, Heliæ, Hartfordiæ, Nortfolciæ, & Suffolciæ Provincias, necnon Nordonicenſem urbem ad armorum ſocietatem ſibi conjunxerat, ceteræ vero Provinciæ, civitatesque neutri parti adhærere ſtatuebant, fuerunt tamen a Parlamento prohibitæ. Sæc. XVII. A.C. 1642.

§. LI.

Conſilium Conſtantinopolitanum adverſus Calvinianam fidei confeſſionem a Cyrillo Lucare editam.

Eodem hoc anno Parthenius, qui Cyrillo Berrohenſi e Sede ſua dejecto, Patriarcha Conſtantinopolitanus creabatur, Menſe Majo Conſtantinopoli alteram habuit Synodum, in qua denuo Calviniana fidei Confeſſio a perfido Cyrillo Lucare olim Patriarcha Conſtantinopolitano edita tanquam orthodoxæ Græcorum fidei omnino contraria damnata eſt. Hujus Synodi cenſura, & decretum, quod *Confeſſio Orthodoxa* inſcribitur, in Moldaviam a Parthenii Legatis eodem anno allatum, ibidemque confirmatum, Jaſii ſeu Giaſii typis mandatum fuit: inde autem ortum videtur, *Concil. Collect. tom. 21.*

Sæc. XVII. A. C. 1642.

videtur, quod Synodus Hierosolymitana anno hujus sæculi septuagesimo secundo die decima sexta Martii a Dositheo Patriarcha celebrata asserere videatur, hanc Synodum Giasii fuisse habitam; Synodus enim Giasii celebrata fuit tantum veluti Appendix quædam Synodi Constantinopolitanæ: nam ibidem, postquam Cyrilli errores Constantinopoli fuerant damnati, Synodica Epistola Parthenii Jasium transmissa ab Episcopi quoque Constantinopolitani Vicariis & Russiæ Legatis annuente Joanne Basilio Moldaviæ Principe subscripta, & confirmata est: uti epistola ad Moldaviæ Principem, quæ Epistolæ Synodicæ subjici solet, luculenter testatur, & insuper ipsa Hierosolymitana Synodus diserte docet, quod Parthenii epistola in Synodo quadam Constantinopolitana fuerit exarata. Quantum vero ad hujus Synodi decreta, in illis omnia & singula Lucarensis Confessionis capita tanquam Calviniana & hæretica fuere perstricta, excepto solo capite septimo, quantumvis in eo Cyrillus in sensu Calviniano asseruerit, Christum cunctis *fidelibus* salutem & gloriam periisse, quod qua ratione intellexerit, ex tertio ipsius articulo de Prædestinatione liquet: nec dissimulandum censemus, quod eadem Synodus processionem

nem a *solo* Patre contra Cyrillum asse- Sæc. XVII.
ruerit: ast circa quartum Cyrilli articu- A. C. 1642.
lum, in quo omnis mali culpa a Deo removetur, hæc Synodus reprehendit, quod hæc doctrina cum tertio capite de Divina Providentia non consentiat; in quinto capite Cyrillus Dei Providentiam adorandam potius, quam investigandam esse, tradiderat, Synodus autem observat, quod Cyrillus Divinæ Providentiæ primario tribuat ea, quæ a malis Angelis, & hominibus ex ejus permissione fiunt, idque expresse liquere dicat ex S. Scripturæ testimoniis, quæ ad illum articulum Cyrillus allegavit. Præterea Synodus Cyrillo, fors minus æque, imputat, eum docuisse, quod baptizatus nullo modo perire valeat. Denique observandum, quod neque hæc Synodus, neque Concilium Giasii habitum *nominetenus* Cyrillum, sed duntaxat eum, qui hæc capita vulgavit, anathemate perculerit, econtra autem prior Synodus Constantinopolitana sub Cyrillo Berrohensi celebrata eidem nominatim anathema dixerit, hocque judicium Hierosolymitana Synodus confirmarit, addita licet hac restrictione, *si ejus Auctor reipsa hæreticus Calvinista fuerit, neque resipuerit.* Ceterum hujus Synodi acta præter Jasianam editionem Parisiis anno Christi mil-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo tertio, & biennio poſt in Belgio a Bartholomæo Nihuſio, & denique ab Allatio in tractatu de conſenſu Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis anno hujus ſæculi quadrageſimo octavo, necnon a Coſſartio tomo Conciliorum decimo ſeptimo typis vulgata fuere. Porro hæc Synodi Conſtantinopolitanæ Confeſſio ab omnibus Græcis, qui progreſſu temporis calamos ſuos exercuerunt, ſummis elogiis celebratur, cum maximi ſit momenti, eoquod Eccleſiæ Græcæ fidem orthodoxam circa Euchariſtiæ Sacramentum aperte teſtetur.

§. LII.

Joannis Biarotte Ord. FF. Prædicatorum contentio cum Pariſina Facultate Theologica.

Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 48.

Invaluit apud Sorbonam ſententia, qua tradebatur, Reges ob nullum omnino crimen a poteſtate Eccleſiaſtica excommunicari, ac dominio ſpoliari poſſe, quoniam vero P. Joannes Biarotte Ord. FF. Prædicatorum Theologus hanc theſin: *propter apoſtaſiam per ſententiam denuntiatus, atque excommunicatus dominium & jus in ſubditos amittere poteſt*, publici juris fecerit, eandem juxta Regia decreta delere ab Antonio de Bredo Facul-

Facultatis Theologicæ Synodo juſſus eſt; cum autem illam in theſium ſuarum authographo deletam rurſus eidem inſereret, & imprimi curaret, hinc Syndicus die prima Menſis Julii deſuper queſtus, petiit, ut pro criminis gravitate Facultas ſevere in hunc Theologum animadverteret. Priusquam vero Facultas quicquam hac in re decerneret, ipſam hanc theſin maturius examinandam, illiusque Authorem deſuper eſſe audiendum cenſuit. Comparet igitur Biarottus, atque a Joanne Mulloto Decano interrogatus, cur præfatam propoſitionem a Syndico deletam, in ſuis theſibus repoſuerit? ad hæc reſpondit Biarottus, eam non ſua culpa, ſed typographi, ejusque, qui corrigendi curam ſuſceperat, errore fuiſſe impreſſam, ſeque de ejusdem veritatis confeſſione teſtimonium proprio chirographo munitum Decano & Syndico jam ab aliquot diebus tradidiſſe, quo ſatis conſtaret, ſe hanc propoſitionem nolle intelligi de ſupremo aliquo Principe, aut Rege, ſed duntaxat de aliquo Superiore, ſubdito poteſtati temporali, v. g. Prætore, vel Præfecto: quocirca ſe veniam a Facultate petere, paratumque eſſe, illius juſſis obtemperare: nihilominus regeſſit Syndicus, hanc propoſitionem de induſtria, & per-

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

verso animo, non errore typographi typis excusam fuisse, ac Biarottum, ut sibi viam faceret huic suæ excusationi, lineas & propositiones aliquas eodem prorsus modo deletas, nova & crassiore linea, novoque atramento abrasisse, intacta propositione, de qua ageretur. His ita expositis, ac perpensis Facultas Biarottum non modo a prima Doctoratus laurea excluſit, sed omnino a suo consortio rejecit.

§. LIII.

Diversæ Urbani VIII. Papæ Constitutiones.

Bull. magn. Urb. VIII.

Inter varia decreta, quæ hoc anno summus Pontifex circa particulares eventus promulgaverat, universalia magis huc adducemus: Prohibuit igitur die vigesima quinta Martii, indicta etiam anathematis pœna, ne quis e Bibliothecis Conventuum Ordinis FF. Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Hispanicæ libros vel scripta extrahat. Cum autem quidam ex Romanis Pontificibus, imo ipsemet etiam Urbanus Papa Cardinalibus facultatem liberam disponendi de vasis & ornamentis Sacris concessissent, nunc tamen Pontifex inde Sacristiæ & ærario Pontificio detrimentum accedere ratus, die

Sæc. XVII. A. C. 1642.

die nona Julii ſtatuit, ut deinceps omnia veſtimenta Sacra, calices, vaſa, ceteraque utenſilia, quibus Cardinales in ſuis Sacellis uſi fuerant, poſt eorum obitum ad Sacriſtiam Pontificiam deferantur. Inhibuit etiam die decima ſeptima Novembris, ſub excommunicationis pœna, ne Fratres laici Ordinis Fratrum Minorum ſtrictioris obſervantiæ præcedant Clericos Profeſſos. Die autem vigeſima ſecunda Decembris decretum promulgari juſſit, vi cujus ad Archipræſulum & Epiſcoporum preces feſtorum multitudinem reſtrinxit, eo quod tum ea ob quotidiani victus labore comparandi neceſſitatem valde damnoſa eſſent, & non pauci homines ipſa feſtorum multitudine non ad ædificationem, & ad Deum in Eccleſiis laudandum uterentur, ſed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non reformidarent: Cunctos ergo feſtivos dies abrogavit Pontifex præter ſequentes: Dominicos ſcilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus feriis, Sanctiſſimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Chriſti, & Inventionis S. Crucis, necnon feſtivitatum Purificationis, Annunciationis,

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Assumptionis & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis & Judæ, & S. Mathiæ Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papæ & confessoris, S. Josephi etiam confessoris, & S. Annæ Deiparæ respective sponsi, ac genitricis, Solemnitatis omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque regno, sive Provincia, & ulterius pariter principalioribus in quacunque civitate, oppido vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.

Decrevit etiam Pontifex, imagines Christi & B. V. necnon Sanctorum non esse sculpendas vel pingendas cum alio habitu, quam in Ecclesia Catholica ab antiquo consueverit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, nec etiam in Ecclesiis, earumque frontispiciis exponantur imagines profanæ, vel indecentiam & inhonestatem præseferentes.

§. LIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. LIV.

Variæ SS. Congregationum deciſiones.

Ad varia dubia ſubinde mota Sacræ Congregationes hoc anno ſuas dederunt deciſiones, & quidem primo, Marcus Antonius Gentilis Abbas & Procurator Generalis Canonicorum Regularium Lateranenſium expoſuit, quod Archidiaconus Metropolitanæ Eccleſiæ Bononienſis in Eccleſia propria præfatorum Canonicorum aſperſorium Cardinali legato occaſione ſupplicationis ad eorum Eccleſias ingredienti porrigere prætenderit: Rogabat igitur Abbas, ut quid ſtatuendum, decidatur. Sacra autem Rituum Congregatio die decima quarta Februarii reſpondit, aſperſorium Cardinali non ab Archidiacono, vel aliis de Capitulo Metropolitano, ſed a digniore illius Eccleſiæ, ad quam Cardinalis quacunque ex cauſſa accedit, eſſe porrigendum. Sciſcitabatur etiam Promotor Curiæ Atchiepiſcopalis Tarentinæ, an Fratres Minores reformati ad Rogationum & S. Patroni ſupplicationes accedere teneantur, & utrum ad id cenſuris compelli poſſint? ad hoc dubium eadem Congregatio die tertia Maij reſpondit, Regulares non

Deciſ. SS. Congr.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

privilegiatos pœnis arbitrariis ab Epiſcopo ad id cogi poſſe. Ejusdem Menſis die decima ſexta Maij Congregatio Epiſcoporum decidit, quod Epiſcopi vaſis argenteis, vel alia Sacriſtiæ ſuppellectili non utantur in Menſa vel ad alios profanos uſus, imo nec ad Sacros extra Cathedralem, ſed ea ibi pro Eccleſiæ ſervitio relinquant. Sacra autem Concilii Congregatio die vigeſima Septembris declaravit, quod Archipresbyter Cathedralis, cui incumbit cura animarum, non poſſit eſſe Confeſſarius Ordinarius Monialium, nec Epiſcopus Monialibus petentibus bis vel ter in anno Confeſſarium extraordinarium denegare valeret, imo eum offerre teneretur: confeſſarii vero ordinarii non modo non poſſint durare ultra triennium, & maxime per longum tempus, ſed ſingulis trienniis mutandi ſint: denique Monialium Confeſſionalia non poſſint eſſe in Sacriſtiis, vel domibus, quas inhabitant Confeſſarii, ſed extare debeant in Monaſteriorum Eccleſiis. Declaratum quoque die tertia Octobris a S. Epiſcoporum Congregatione, quod cæremoniarum Magiſter, cui incumbit Epiſcopo ſignificare, quando ad Eccleſiam pro functione Epiſcopali accedere debeat, id eidem perſonaliter ſignificare teneatur.

§. LV.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. LV.

Principum ac illuſtrium obitus.

Inter Reginas fortunæ varietate jactatas facile præcipuum ſibi locum vendicat Maria Medicæa, Henrici IV. Galliarum Regis conjux, & Ludovici XIII. Mater, vivum rerum humanarum documentum: Hæc trucidato Marito ſuo totius Regni adminiſtrationem ſibi ſoli vendicabat, non ſine maxima Regiorum Principum invidia, quorum ac præcipue Luynæi impulſu Aula exulare juſſa, Bleſis in carcerem detruſa eſt, inde vero Eſpernonii Ducis, qui hoc item anno deceſſit, ſubſidio erepta, Aulæque reſtituta, fortuna rurſus aſpirante non modo priſtinam auctoritatem, ſed & imperium in Regem, regiosque obtinuit, eodemque felicitatis veſtigio diu ſtetiſſet, niſi Richelium Cardinalem ad ſupremum gloriæ apicem extuliſſet: æmulatione enim inde exorta, dum initis unacum Regis Ludovici Fratre & conjuge pactis, eundem Cardinalem poſtea deprimere moliebatur, eo demum ſe ab eodem, quem evexerat, redactum vidit, ut rurſus Aula & Regno excedere, ac in Belgium, in Hollandiam, ac demum in Angliam ad Filiam ſuam aufugere cogeretur: cum

Vaſſor hiſt. de Louis XIII. Morgues recueil. des Pieces.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

autem ab Anglis obtento Religionis periculo, Regno excedere jussa, nec in Belgium, nec in Etruriam, minus vero in Hispanias sese recipere vellet, Coloniam contendit, ubi rebus omnibus ad vitam necessariis destituta, omnium præterquam sui Filii, ac Richelii clientis miserationem concitabat, demum vero inter opera Christianæ pietatis & patientiæ anno ætatis suæ sexagesimo octavo ibidem decessit. Eodem ferme tempore, quo Maximilianus Henricus Maximiliani Bavariæ Electoris ex Fratre Nepos in Ferdinandi Colonienſis Archiepiscopi Coadjutorem fuerat designatus, & a summo Pontifice confirmatus, repentina suffocatione extinctus est Franciscus Hatzfeldius Herbipolensis, & Bambergensis Episcopus, necnon Franciæ Orientalis Dux: Habuit Successorem in Herbipolensi Ecclesia, Joannem Philippum Comitem de Schönborn, in Bambergensi vero Melchiorem Baronem Voit de Salzburg, ambos sapientia rerumque usu Principes celeberrimos.

§. LVI.

Scriptores Ecclesiastici religione Catholici hoc anno mortui, eorumque opera.

Hunc

Sæc. XVII. A.C. 1642.

Hunc quoque annum ex Scriptoribus Eccleſiaſticis non pauci vitæ ſuæ exitialem habuere, & primo quidem Antonius Ricciulus Coſentinus Epiſcopus die decima Maij deceſſit, poſterisque reliquit tractatum de perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſantur, & de jure Perſonarum extra gremium Eccleſiæ exiſtentium præter lucubrationes Eccleſiaſticas. II. Nicaſius Baxius ex Ord. FF. Eremitarum S. Auguſtini Antverpiæ obiit, poſtquam varia poemata, orationes, eloquentiæ medullam, Syntaxin græcam, necnon Synopſin vitæ B. Thomæ Villanovæ, & B. Joannis Sahaguntini elucubraverat. III. Joſephus a Ryckel ex eodem Ordine plusquam ſexagenarius die vigeſima prima Octobris vita functus eſt, ſcripſitque vitam S. Beggæ, Ducißæ Brabantinæ, Ancile Sacrum pro animabus in Purgatorio, de Sodalitiis in ſubſidium earum erectis, necnon Officium Defunctorum gloſſa illuſtratum, diurnale Marianum, Hiſtoriam S. Gertrudis, & præter plura alia tractatum de cultu SS. Trinitatis, & Nominis Mariani. IV. Nicolaus Neſſelius Leodienſis Canonicus edidit Theatrum æternitatis, tractatum de Avaritia, & Theſaurum ſpiritualem de S. Capite Divæ Virginis Petronillæ. V. Joannes Baptiſta Brancaleo

Miræ. Script. Sæcul. XVII. Alegamb. Bibl. Script. S. J. Eckard Script. Ord. FF. Præd. Bibl. Carmel.

Sæc. XVII A. C. 1642.

caleo Sacerdos scripsit præter Itala carmina, Memoriale animæ fidelis. VI. Felix Ciacrus ex Ord. S. Francisci Perusinus elucubravit Historiam Perusinam, variaque sui Ordinis & Patriæ Historiam illustrantia. VII. Hieronymus de Panormo, Canonicus Panormitanus, conscripsit varia opuscula Ascetica, & meditationes de rebus Sacris. VIII. Joannes Baptista Pilus Canonicus Regularis publici juris fecit librum, cui titulus: *Eremus Sacra, seu S. Eremitarum vitæ* unacum modo animam a mundo abstrahendi, & uniendi cum Deo &c. IX. Jacob de la Peyre edidit librum de vita perpetua Melchisedechi contra Salianum, & tractatum de Jobo contra Petavium, contra quem etiam scripsit disciplinam temporum, Chronologiam Sanctam, & Sanctam Geographiam unacum alio libro, cui titulus: *Antibaban contra Patrem Boldducum:* posteriores tamen hæ lucubrationes pluribus nævis scatent.

Ex Societate obierunt I. Petrus Ræstius Belga, qui tractatus de S. imaginibus & reliquiis, necnon de justificatione, communione sub utraque specie, & Paradiso terrestri & Adamo bono & malo, Apologias pro jure Canonico & Domo Lauretana, præter Pseudo-Jubilæum Lutheranorum edidit. II. An-

II. Antonius Beatillus scripsit Historiam vitæ S. Irenes & S. Nicolai Mirensis, necnon S. Sabini & Civitatis Barii. III. Franciscus Loviot Anglus, qui posteritati reliquit secreta moralia cordis humani, tractatum de passionibus humanis, Paralellum Divini & humani amoris, & insignes Divini amoris affectus. IV. Augustinus Bernal elucubravit disputationes de incarnatione, & Sacramentis. V. Rodericus Figueyredo Lusitanus scripsit tomos duos variarum precum, & explicationem totius fidei Christianæ. VI. Ludovicus Valdivia edidit catechismum in lingua Chilensi & tractatum de casibus reservatis. Sæc. XVII. A. C. 1642.

Ex Ordine Fratrum Prædicatorum celebrantur. I. Archangelus Caraccia, qui tractatum publici juris fecit de quarta funeralium præter vitam S. Baldolini & Pii V. unacum brevi enarratione gestorum ejusdem Sancti Pontificis. II. Franciscus Capronius, qui edidit commentaria in universam S. Thomæ summam, necnon tractatus de conscientia & Ecclesia præter quæstiones disputatas, & quasdam orationes Sacras. III. Michael Zanardi scripsit præterPhilosophica, Directorium Theologorum & Confessariorum circa omnes ferme

Sæc. XVII A. C. 1642.

ferme casus, & commentaria in primam partem summæ D. Thomæ.

Præter hos ex Ordine Carmelitano inclaruere Joannes Masqueret, qui edidit epitomen veritatum SS. Eucharistiæ cum responsionibus ad hæreticorum objectiones, necnon librum de Baptismo, & alium, cui titulus: *Fons apertus Domus Davidis.* II. Alphonsus a S. Hilarione Carmelita Excalceatus Biatinis literis excudi fecit tres libros de SS. Trinitate, Incarnatione & peccatis præter plures conciones & Discursus Morales.

§. LVII.

Scriptores Acatholici hoc anno defuncti.

Freher Theatr. Erud. p. 1. sect. 3. Wite Diar. Biog. König. Bibl. vet. & nov.

EX Scriptoribus Acatholicis plures suis lucubrationibus nomen sibi gratum apud posteros suos reliquere: Hos inter præcipuus est. I. Festus Hommius, qui Collegium edidit Anti-Bellarminianum, specimen controversiarum Belgicarum, narrationem Historicam ortus & progressus earum, & disputationes Theologicas de S. Scriptura contra Pontificios. II. Bertholdus Krakewitzius, qui edidit commentaria in Oseam & Jonam, tractatum de conjugio, disquisitionem Theologicam de Cæna

Cæna Domini confessioni Calvinisticæ ab Electore Brandeburgico publicæ oppositam, præter demonstrationem mediorum, per quæ doctrina Calvinistica passim hodie propagatur; scripsit quoque plura alia, quibus tamen palmam eripit ejusdem confutatio Theologica, quo Principibus Lutheranis Calvinianum Ministerium suspectum esse debere, & fugiendum ostendit. III. Ludovicus Lucius posteris reliquit historiam Jesuiticam, tractatum de Providentia & prædestinatione, notas in Apocalypsin, dissertationem de caussa meritoria justificationis, pluraque alia livido calamo exarrata. IV. Ludovicus de Dieu edidit commentaria in quatuor Evangelia, & vetus Testamentum, necnon animadversiones in acta Apostolorum. V. Sueno Jonæ publici juris fecit Elementale Theologicum, Catechesin minorem Syriace & latine, disquisitionem Philologicam de constitutione Sacri Ordinis, & Institutiones Hebraicas. VI. Oligerius Rosenkranzius vulgavit Psalterium Davidicum cum explicatione Cænæ Domini, & benedictionis Aaronis. VII. Joannes Himmelius scripsit compendium Historiæ a nato Christo usque ad Lutherum, dispositionem analyticam Bibliorum, Postillam Academicam in Epistolas

Sæc. XVII. A. C. 1642.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

las & Evangelia, refutationem P. Becani, Anti-Meierum, Collegium Irenicum, Calvino-Papismum, & plura alia memoratu haud digna. IX. Henricus Höpfnerus, qui prælo subjecit sua Commentaria in Michæam & Habacuc, varias disputationes contra Catholicorum dogmata, tractatum de Cæna, præter varios commentarios. X. Nicolaus Vedelius Calvinista, qui publici juris fecit arcana Arminianismi, notas in epistolas D. Ignatii, commentaria de tempore utriusque Episcopatus S. Petri, rationale Theologicum, Panaceam Apostasiæ, tractatum de Episcopatu Constantini Magni, de Cathedra Petri, de prudentia Veteris Ecclesiæ, & de libertate conscientiarum. XI. Petrus Schmart Puritanus Præco, edidit tractatum de vanitate & superstitione cæremoniarum Papisticarum. XII. Hermanus Samson, scripsit Enchiridion articulorum fidei, disputationes ethicas, syntagma historicum Passionis Dominicæ, Anti-Jesuitam, & Vindicias centum triginta & duarum veritatum Evangelicarum contra Jesuitas, a quibus acriter exagitatus, nonnisi convitia obsoletasque merces opponere valuit.

§. LVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1642.

§. LVIII.

Fervens Cæsaris erga pacem studium.

Complanatis tandem difficultatibus circa securitatis literas motis Ferdinandus Imperator maturandæ pacis studio accensus, per castra ac Cæsarea passim præsidia, ut hæ literæ ab omnibus sacrosancte haberentur, promulgari jussit, idem quoque urgente Cæsaris Legato Torstensonius a Sueciæ Regina fieri jubebatur: Postea Imperator Francofordiæ, ubi Imperii Ordines comitia agebant, cunctos hortabatur, ut tandem circa prævios pacis pertractandæ articulos suam explicarent mentem, ac præprimis certam diem, qua Monasterii & Osnabrugæ conveniretur, præfigerent: sub idem tempus Daniæ Rex, qui conciliatoris partes in se susceperat, per Langermannum Oratorem suum de nocivis, quibus datæ securitatis literæ a quibusdam carperentur, cavillationibus acriter questus, pro tradendis hisce literis diem vigesimam octavam Aprilis, pro inchoando autem pacis conventu diem decimam quintam Maij decrevit. Hunc terminum nimis angustum esse querebantur Sueco-Galli, qui, etsi ardens pacis desiderium simularent, seque die unde-

Jæger. hist. Eccl. l. 3. cap. 1. Brachel. Hist. l. 6. Bougeant Hist. belli tric. part. 1. l. 4. §. 52.

Sæc. XVII. A. C. 1642.

undecima Junii ad inchoandas pacificationes Osnabrugæ adfuturos, in vulgus ſparſiſſent, indies tamen alias ex aliis protelationum cauſſas nectebant: Horum nihilominus importunitati cedens Imperator, terminum ad proximum Menſem Julium currentis anni ſupra milleſimum ſexcenteſimi quadrageſimi tertii extendit.

§. LIX.

Prævii pacis pertractandæ articuli.

Adlzreit. annal. Boic. l. 28. §. 4. Barre hiſt. d'Allemagn. tom. 9.

Tandem poſt quinquennii labores mutuo partium conſenſu admiſſi fuere præliminares, ut vocant, pacis articuli, quos Conradus Lutzovius Cæſareæ Majeſtatis Legatus Arauſio Comiti Franciæ Oratori tradidit, ac demum communi omnium applauſu promulgavit, in hanc ſententiam:

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii Aulico-Conſiliarius ad Circulum inferioris Saxoniæ, & ad pacis præliminaria cum poteſtate Deputatus Legatus, Conradus a Lutzaw, &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, conſtare volumus; poſtquam multis retro annis agitari cæperunt rationes inſtituendæ de pace univerſali tractationis, atque aliæ difficultates in præliminaribus emerſerunt; tandem, Deo aſpirante,

rante, & Sereniſſimi Regis Daniæ, tanquam Mediatoris interpoſita auctoritate factum eſſe, ut inter nos, pro ſua dicta Cæſarea Majeſtate, & Rege Hiſpaniarum ex una; & Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Legatum Dominum Claudium de Mesmes Comitem d'Avaux pro Rege Chriſtianiſſimo, ex altera parte; dicta prælimi-naria concluſa ſint ſequentem in modum. Sæc. XVII. A. C. 1643.

Loca univerſalis tractatus ſint Monaſterium & Osnabruga in Weſtphalia: ex quorum utroque ſtatim poſt commutatos, ut infra dicetur, ſalvos conductus, educantur militaria partium præſidia, & durantibus congreſſibus dictæ civitates ſacramento erga utramque partem ſolutæ ad neutralitatem obligentur.

Magiſtratui interim proprio cum milite & civibus ſua cujusque urbis cuſtodia relinquatur. Ipſe viciſſim dato reverſali obſtringatur ad fidelitatem & ſecuritatem toti conventui præſtandam, & tractantium res ac perſonas, comitatumque ſancte habendum & cuſtodiendum: & ſi quid ab eo pro communi tractatus bono requiſitum fuerit, præſtet ſe quidem obſequentem, neutrius tamen partis juſſa exequatur, niſi

Sæc. XVII. A. C. 1643

ab utroque Legatorum corpore collegiatim insinuata.

Uterque consessus pro uno habeatur; atque ideo non solum itinera inter Monasterium & Osnabrugam, omnibus, quorum interest, ut ultro citroque libere secureque commeari possent, tuta sint; sed & quicunque interjectus locus particulari tractantium conventui pro mutua communicatione commodus visus fuerit, eadem, qua dictæ urbes securitate fruatur.

Si vero, quod Deus avertat, tractatus universalis, re infecta, dissolvetur, recipiant Monasterium & Osnabrugam statum & præsidia, quæ nunc habent omni ex parte. At sancte religioseque servetur neutralitas ad sex hebdomadas post abruptum tractatum.

Salvi conductus ad Monasterienssem congressum infra enumerati commutentur utrinque omnes intra menses duos a die hujus conventionis. Et ne diversis dissitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium, ac novas afferat moras, fiat illa Hamburgi per Regis Daniæ Ministros.

Et quidem ex una parte tam Imperator, quam Rex Hispaniæ tradant sequentes salvos conductus quisque suos.

1. Pro

Sæc. XVII. A. C. 1643.

1. Pro plenipotentiariis Regis Chriſtianiſſimi.
2. Pro reſidente Suecico.
3. Pro plenipotentiariis Sereniſſimæ Duciſſæ Sabaudiæ.
4. Pro plenipotentiariis Ordinum generalium fœderati Belgii.
5. Pro deputatis Electoris Trevirenſis.
6. Pro Principe Carolo Ludovico Comite Palatino Rheni ejusque fratribus aut eorum deputatis.
7. Pro Ducibus Brunsvicenſibus & Luneburgenſibus aut eorum deputatis.
8. Pro univerſis imperii ordinibus Galliæ fœderatis & adhærentibus in genere aut eorum deputatis.

Ex altera parte per dictos Daniæ Miniſtros, dictoque loco & tempore tradantur ad eundem congreſſum Monaſterienſem Chriſtianiſſimi Regis ſalvi conductus.

1. Pro Plenipotentiariis Imperatoris.
2. Pro Plenipotentiariis Regis Hiſpaniæ.
3. Pro utriusque fœderatis & adhærentibus in genere, aut eorum Deputatis.
4. Pro Deputatis Electoris Colonienſis.
5. Pro Deputatis Electoris Bavariæ.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Salvi conductus Cæsarei & Hispanici pro Plenipotentiariis Ducissæ Sabaudiæ sub ea forma concepti tradantur, quæ in exemplari apud Serenissimum Daniæ Regem depositio expressa est, addito tantum titulo *Tutricis* filii sui Sabaudiæ Ducis & ejus statuum *Regentis*.

Cæteri vero omnes & singuli tam ex parte Imperatoris & Hispaniæ, quam ex parte Galliæ, ab eadem formula, quæ noviſſime per Mediatorum Legatos communicata partibus, & ab illis probata fuit, concepti extradantur.

Quo facilius ex parte Hispaniæ salvorum conductuum commutatio procedat, valeant, qui antehac a vivente Serenissimo Cardinali Infante in forma supra dicta expediti fuerunt, si a Rege Catholico confirmentur, & ratihabeantur.

Singulis salvis conductibus dicta tractatus universalis loca diesque ex præscripto sequentes articuli inserantur, & præsentis tractatus autographum, data singulis Legatis copia authentica apud Serenissimum Daniæ Regem deponatur. Dies autem auspicando utrique congressui, Monasterienſi nimirum & Osnabrugenſi, dicta constitutaque esto vigesima quinta mensis Martii proxime venturi. Quod felix fau-

fauſtumque orbi Chriſtiano det eſſe Deus. Sæc. XVII. A. C. 1643.

Præſens tractatus cum altero ſuper iisdem pacis univerſalis præliminaribus hodierna quoque die concluſo inter nos Conradum a Lutzaw pro Sereniſſimo Imperatore ex una, & Illuſtriſſimum Legatum Dominum Joannem Salvium pro Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ ex altera parte, unus idemque ſit tractatus, nec niſi adimpletis utriusque conditionibus alteruter pro impleto habeatur.

In quorum omnium fidem præſentes manibus noſtris ſignatas ſigillis quoque mutuis confirmavimus: earundem ratihabitionem a Principalibus utrimque noſtris factam una cum ſalvis conductibus ſtatuto tempore ac loco inſinuandam promittentes. Actum Hamburgi, &c.

§. LX.

Gallo-Vinarienſes a Cæſareis multiplici clade proſtrati.

Minus ſincera quorumdam paciſcentium fuiſſe conſilia, ſat luculenter teſtabantur bellici apparatus, hoſtiles invaſiones, necnon renovatæ armorum ſocietates; præprimis enim, Torſtenſonus Suecici exercitus Dux pluribus oppidis qua vi qua deditione captis, *Puffend. rer. Suec. l. 15. pag. 526.*

Sæc. XVII. A. C. 1643. universam Moraviam & Bohemiam incendiis ac deprædationibus emensus, ipsi etiam Austriæ omnem pestem inferre parabat, cæsisque Cæsareis, atque expugnatis Cremosio & Steino tantum Cæsari intulit terrorem, ut utrumque Filium suum securitatis studio Græcium mitteret. Dein Suecus incassum tentata Fribergæ obsidione in Silesiam reversus, expilatis incensisque Wratislaviæ suburbiis in Holsatiam cum tota mole sese contra Danos *infudit: insuper* Vinarienses Sueci *ductore Gallo* Comite Guebriando per Sylvam Turingicam, occupatis ad Mænum variis urbibus, in Franconiam irrupere, totamque Provinciam fœde devastarunt, incassum Episcopo Herbipolensi suorum calamitatem sponte oblatis donis redimere adlaborante. Cum autem Maximilianus Bavariæ Elector hanc belli tempestatem suis ditionibus impendere pertimesceret, ductore Francisco Mercio cunctas, quanta licuit celeritate, legiones contraxit, variasque Palatinatus & Sueviæ urbes hosti inimicas validis munivit præsidiis. Peropportune tunc Lotharingi milites sese Maximiliani copiis sociare festinabant; quo comperto Guebriandus occupato ponte Lauffensi horum conjunctionem præpedire nitebatur, incassum tamen, quippe Mer-

Mercius, poſtquam Joannes Werthius duas hoſtium Legiones oppreſſerat, capta Gæppinga Wirtembergici Ducatus urbe, Sueco-Gallos Kirchemium usque repulit. Subſtitit ibidem Guebriandus cum toto ſuo exercitu, quem in colle vicino in aciem diſpoſuit: certatur eminus integro die mutuis tormentorum exploſionibus, Gallis autem prælium declinantibus Mercius Auracum reverſus, velitaribus pugnis hoſtium terga laceſſivit: Sub idem tempus Joannes Werthius Ramenſpaci præter opimam prædam tres Suecorum legiones profligavit, Truckmillerus quoque cæſo hoſte Tubingam invaſit: accurrerant equidem Galli laborantibus præſidiariis, ita tamen a Bavaris excepti, ut vix integra legio ſalva evaderet. Poſtea Mercius Hatzfeldicis Franconicisque ac Lotharingis ſuppetiis auctus, Suecis Hemmendorffii & Rotenburgi bina clade protritis, Guebriandum ad Rhenum retrocedere compulit, & Lauffa, necnon Steenfelſa occupatis milites ſuos tot expeditionibus fatigatos in hiberna diſtribuit, Interim Guebriandus novo ex Galliis ſupplemento firmatus die vigeſima quinta Rotweilam obſidere aggrediebatur; verum altera die non ſine ſuorum clade repulſus, in Kintzingenſem

Sæc. XVII. A C. 1643.

Sæc. XVII. A. C. 1643. vallem ſeſe recepit: ſiniſtro tamen hoc ſucceſſu nondum territus, iisdem in regionibus cis Rhenum, in quibus jam bis profligatus erat, tertio aleam tentare ſtatuit: igitur ponte, quem Ottenheimii ſtruxerat, exeunte Menſe Octobri Rhenum trajicit, atque ad Fridburgum Brisgoiæ caſtra ponit: quo comperto Sporkius noctis beneficio uſus Gallo-Suecos omni metu ſolutos improviſa irruptione obruit, plerisque vel cæſis vel captis, aut diſſipatis. Præter ſex vel ſeptem millia gregariorum venere in cenſum captivorum ipſemet Roſa ſupremus Guebriandæ legionis Structor, quinque præcipui caſtrorum Præfecti, cum multis aliis Tribunis, Centurionibus & Vexilliferis: capta inſuper cum tormentis æneis impedimenta omnia, in quibus fuit ingens vis auri argentive præter menſtruum totius exercitus ſtipendium. Accepta hac clade Guebriandus Rotwillam rurſus obſidere tentat, aſt dirigendis in urbem machinis intentus, tormenti globo brachium amittit, ac vivens quidem victor urbem ingreditur, ſed paucis poſt diebus ibidem decedit.

§. LXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1643.

§. LXI.

Iterata Vinarienſium clades.

Capta hac urbe Gallo-Vinarienſes hoſtium ſecuri legiones ſuas partim Tutlingæ, partim Mulenii & Mæningæ diſperſos habebant, bellique tormenta, omnemque bellicum apparatum haud procul Tutlinga reponebant, oppoſito milite, qui præſidio eſſet: Inconſulta hæc ſecuritatis fiducia Mercium invitabat, ut inopina vi hoſtem opprimeret. Jubetur igitur Joannes Werthius, trucidatis excubiis, hoſtilia belli tormenta occupare, quibus die vigeſima quarta Novembris potitus Hamburgenſem quoque arcem omni capto Gallorum præſidio in ſuam redegit poteſtatem, ipſamque Tutlingam urbem tam arcte undique cinxit, ut nec Galli, nec Vinarienſes obſeſſis opem ferre poſſent. Tentabat quidem Roſa Sueci Equitatus Dux cum ſuis Bavaros aggredi, ad primum tamen hoſtis conſpectum retroceſſit: Inſtitit fugientibus ipſemet Mercius, qui eos Melenii aſſecutus, tres peditum catervas ſudit, ac disjecit: Werthius quoque cum ſuis Equitibus decem Gallicas legiones, plurimis cæſis, captisque in fugam egit: Ita facile Cæſarei

Le Blanc. Hiſt. de Bav. t. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1643. Tutlinga urbe potiti, reliquas Gallorum, Suecorumque ſtationes, prout inter Cæſareo-Bavaros Belliduces convenerat, aggreſſi præter Italicam Mazarini Cardinalis legionem quamplurimos internecione deleverunt, diviſas vero Gallorum legiones ad deditionem compulere: Pauci cum Roſa Sueci Equitatus Præfecto ultra Rhenum fuga elapſi ſunt, ceteri omnes, plusquam ſex millia, unacum pecuniis, bellicoque apparatu, & vexillis ſine ulla ferme ſanguinis effuſione intra biduum in poteſtatem Victorum venere. Die autem vigeſima ſexta Novembris Bavari promotis Tutlinga caſtris Rottwillam obſedere, ac tertio poſt die paulo ante a Vinarienſibus expugnatam recuperarunt, captis præſidiariis, ſoloque Friderico Wirtembergico Duce cum præcipuis Tribunis, ſarcinisque diſcedere permiſſis: Gallici quoque exercitus reliquiæ in Alſatiam profugere.

§. LXII.

Hiſpani a Gallis profligati,

Ferrer. hiſt. contin. Hiſp. cap. 2. t. 13. Felicius cecidit belli alea Gallis in Catalonia ad caſtellum Mirabellam, cujus urbis obſidionem Hiſpani non ſine magna ſuorum clade die prima Martii

tii ſolvere coacti ſunt: Poſtquam vero Franciſcus de Melo Hiſpani exercitus Imperator in Galliis Richelium Cardinalem obiiſſe, & in Hiſpaniis Olivarium Regis gratia excidiſſe compererat, animum ad magnos auſus erigens, in Campaniam cum valido exercitu irrumpere ſtatuit: Igitur die ſecunda Maij ut ſibi aditum in Gallici Regni præcordia aperiret, Rupem Regiam, ſeu Rocroam validam Hannoniæ urbem arcta obſidione preſſit, jamque obſeſſos ad tantam extremitatem redegit, ut deditio ſingulas in horas expectaretur: Verum tantæ urbis jacturam minime ferendam ratus Ludovicus Dux Anguinius Gallici exercitus imperator, cum Hoſpitalio atque Gaſſione fortiſſimis juxta ac expertiſſimis Ductoribus laboranti urbi contractis omnibus copiis in auxilium accurrit. Inclinante jam in Veſperam die in conſpectum hoſtilium caſtrorum venit, eaque aggreditur, præfeſtinam tamen pugnandi cupiditatem gravi ſuorum clade expiare cogitur. Ipſa vero Martis fruſtratione accenſus, poſtridie vixdum albeſcente aurora in Hiſpanos acriore impetu effunditur, eosque tanta delet clade, ut ſi ea victoribus innotuiſſet, actum fuiſſet de Belgio: Fuſo enim fugatoque equitatu deletus eſt omnino Hiſpanorum peditatus, capta impe-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

impedimenta, & militare inſtrumentum omne: Auxit quoque cladem Fontanus Comes, qui oblatam ab hoſtibus vitæ gratiam reſpuens, cum tota legione ſua gladiis jugulatus eſt. Comes quoque Joannes Ritbergicus ſeptem vulneribus ſaucius libertatem amiſit: facta demum major eſt in fuga cædes, ſparſis per ſylvam ruſticis, qui fugientes locorum ignaros fuſtibus, ſudibusque trucidarunt, ſive ſpe prædæ, ſive ultionis cupiditate. Hac victoria potitus Dux Anguinius, *Theonisvillam* urbem circumſedit, eamque non omnino bimeſtri oppugnatione ad deditionem ingenti ſuorum ſtrage compulit, ſexcentis præſidiariis, qui adhuc ſupererant, Lucemburgum abire permiſſis.

§. LXIII.

Ragotſius cum Valachis Cæſari bellum inferens.

Jæger. Hiſt. Eccl. l. c. Adlzr. Annal. Boic. p. 3. l. 28. Barre hiſt. d'Allemagn.

Sub idem ferme tempus, quo Torſtenſonus Sueciæ Reginæ juſſu Holſatiam invaſerat, captisque jam pluribus oppidis Daniam infeſtis armis inundaverat, Chriſtianus Rex viribus impar, a Ferdinando Cæſare opem implorabat: Nec ei deerat Imperator; Galaſſum enim Comitem, qui denuo militare Imperium in ſe ſuſceperat, cum

cum valido agmine in Holſatiam emiſit, Suecosque ex Jutia expellere juſſit: Hæc tamen expeditio optato caruit ſucceſſu, partim ob diſſidia inter Danos & Galaſſum exorta, partim ob Valachorum defectionem; hi enim ob ſectæ ſocietatem jam aliquamdiu clandeſtina cum Suecis foverant conſilia; quamprimum vero Urangelium Sueciæ Belliducem cum tribus equitum millibus ponti Viennenſi adſidere compererant, hac opportunitate utendum rati, deſerto Cæſare, magno numero ad Suecos defecerunt; hujus vero perfidiæ cauſſam nonniſi ex ſectæ ſuæ ſtudio petendam eſſe, ſat luculenter teſtati ſunt, dum ſuis vexillis hæc verba: *Pro verbo Dei, & patria ſuſcipimus hæc omnia*, inſcribi curarunt: Inſuper Ragotſius Tranſylvaniæ Princeps libertatem a Cæſare violatam cauſſatus, Hungaros Proteſtantes ſollicitabat, ut Cæſari arma ſua extra Panoniam jungere, conſtanter detrectarent: Annuere ejus votis Hungari, eo proniore voluntate, quo certius per Ragotſii violentias denuo ſe Templa ſua recuperaturos ſperabant.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXIV.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXIV.

Lovanienſis Univerſitatis Doctores in Janſenianæ doctrinæ cauſſa Romam deputati.

Argentre coll. Jud. t. 3. p. 246. Abrege chronol. t. 3. pag. 451.

Jamjam hoc anno bellum Eccleſiæ funeſtum ob Janſenii doctrinam non modo in Belgio, ſed & in Galliis exardeſcere cæperat: præprimis enim die decima nona Junii hujus anni promulgata Urbani VIII. Bulla, Lovanienſis Univerſitas per ſuum Syndicum coram Rectore Joanne Sinnichio die vigeſima ſecunda ejusdem Menſis declarabat, hujus Conſtitutionis promulgationem minus legitime, ac ſine Regis Hiſpani venia factam fuiſſe. Reclamabat Bruxellenſis Nuntius Pontificius, nihilominus Brabantiæ Senatus hanc cauſſam unice ſui fori eſſe contendebat. Hujus auctoritate ſuffulti Lovanienſes ſparſerunt, Urbani Bullam Coloniæ a Fabio Chiſio Pontificis Nuntio fuiſſe adulteratam, pluresque ſubreptionis notas præſeferre: eapropter duos Doctores ad Bruxellenſem Papæ Nuntium deputabant, ſupplices, ut authenticum hujus Bullæ exemplar Roma ſibi transmiſſum publici juris faceret: Haud parum indignabatur Nuntius, quod hi Doctores nequidem demandatæ facultatis

tatis literis instructi, fidem Nuntii Apo- Sæc. XVII.
stolici suspectam habere præsumerent: A. C. 1643.
nec tamen propterea cedendum existimabat Universitas, sed annuente Senatu Brabantino, Mechlinienſi Archiepiscopo, & Gandavensi Præsule Joannem Sinnichium, & Joannem Papium Doctores Romam ablegavit, qui die vigesima secunda Septembris Bruxellis Romam profecti, superatis variis adversantium insidiis die octava Novembris eo pervenerunt. Comperto horum discessu quidam ex Doctoribus Molinisticæ doctrinæ addictis die prima Octobris, datis ad Barberinum Cardinalem literis hosce Deputatos tanquam Sedis Apostolicæ rebelles, ac subleſtæ fidei homines nigro calculo depingebant, interim vero ceteri Molinæ fautores Romæ, ut Pontifex hujus Bullæ promulgationem Bruxellis urgeret, nil intentatum, inausumque reliquere; nec irrito conatu; quippe ad Belgii Gubernatorem, Mechlinienſem, & Cameracenſem Archiepiscopos, Antverpianum Episcopum, Lovanienſem & Duacenſem Universitates die decima quarta Octobris Apostolicæ dabantur literæ, quibus Bulla recipi ac promulgari jussum erat. Tandem vero Lovanienſes Deputati Romæ die vigesima Novembris ad Pontificii Nepotis Barberini Car-

Sæc. XVII A. C. 1643. Cardinalis alloquium admittebantur, coram quo demandatum ſibi negotium expoſuere. His vero repoſuit Cardinalis, æquum eſſe, ut Lovanienſes ſeſe Sacræ Sedis deciſionibus ſubjicerent, non vero opponerent. Ad hæc Sinnichius reſpondit: „nequaquam „Sedi Apoſtolicæ, ſed his, qui eandem decipiunt, nos opponimus; ſi enim „Sacræ Sedi non eſſemus ex aſſe addicti, „nec tot periculis, nec tam immodicis „impenſis Romam veniſſemus, ſed cum „pluribus aliis Academiis hanc Bullam tanquam Sede Apoſtolica indignam, ac nonniſi Moliniſticæ fraudis „artificium neglectui habuiſſemus: de „cetero nequaquam Janſenii Yprenſis „Epiſcopi ſtudio, ſed unice Sancti Auguſtini auctoritatem a Moliniſtis depreſſam tuendi animo Romam venimus:„ tum vero differentes Cardinalis interrupit, hæc aſſerens, *quænam ergo Sancto Auguſtino infertur injuria, ſi Janſenii proſcribuntur opera?* mox autem repoſuit Sinnichius, *Janſenius puram S. Auguſtini doctrinam tenuit, nec ullus hucusque eum ab hujus Doctoris ſemita deviaſſe demonſtrare potuit:* Tandem finito colloquio Cardinalis Deputatos altera die adeſſe juſſit, ut ad Pontificis alloquium admitterentur. Præſtituta igitur die Pontifex ad expoſitas Deputatorum

torum querelas reſpondit, quod nonniſi Sæc. XVII.
Conſtitutiones Pii V. & Gregorii XIII. A. C. 1643.
confirmare intenderit, ac Janſenii nomen reticeri ſedulo caverit; inde vero Deputati Bullam de ſubreptionis vitio arguendi anſam ſumpſere, eoquod ſæpius *nominato* Janſenio ejusdem liber tanquam pernicioſus fuiſſet damnatus: cum autem Pontifex deſuper Albizium, qui hanc Bullam concinnabat, conſulendum diceret, eundem acceſſere Deputati, exponentes, quod a Procuratore Generali Auguſtinianorum, P. Luca Wadingo Franciſcano, & P. Mario Dominicano, Viris omni fide digniſſimis comperiſſent, Bullam ad Jeſuitarum arbitrium fuiſſe concinnatam, & duntaxat a Dataria, non vero, uti oportuiſſet, a Sancto Officio ſubſcriptam. Ad hæc Albizius varia obtendens, Janſenium arguebat, quod Pii V. Conſtitutioni contra Baium emanatæ ſeſe ſubjicere tergiverſatus, eundem Papam ignorantiæ inſimularit: demum multis ultro citroque allatis hoc colloquium diſſolutum eſt. Poſtera die quinta Decembris Bruxellenſis Nuntius acceptis Roma literis Bullæ acceptationem urgere jubebatur; Pontifex vero ad hujus cauſſæ diſcuſſionem tres Cardinales, Spadam, Pamphilium, & Falconerium nominabat, ac die ſexta Junii

Sæc. XVII. A. C. 1643.

condito decreto ad dignoſcendam rei veritatem Lovanienſibus Deputatis authenticam Bullæ copiam tradi præcipiebat.

§. LXV.

Tumultus in Galliis exorti ob Urbani VIII. Bullam.

Bibl. Sorb. arm. 1. 3. 15. tit. Hiſt. de Bajan. Sfondr. Gall. vind. Diſt. 3. pag. 770. Arnald. Apol. III. cap. 12.

Nec magis pacato animo Janſenianæ doctrinæ fautores Urbani VIII. Conſtitutionem receperunt in Galliis: Equidem hujus Conſtitutionis exemplar ad Cardinalem Grimaldum tunc Apoſtolicæ Sedis in Francia Legatum Roma transmiſſum, quo fato ignotum, fuit deperditum, nihilominus varia illius tranſumpta paſſim omnium terebantur manibus; unde in Pariſinæ Urbis Eccleſiis quotidie audiebantur declamationes Concionatorum, quorum alii Yprenſis Epiſcopi doctrinam ſuper aſtra extollebant, alii vero, atque inter eos præcipue Habertus, poſtea Vabrenſis Epiſcopus Janſenii librum plusquam quadraginta hæreſibus ſcatentem damnabat: Præfeſtino horum judicio offenſus Joannes Franciſcus Gondius Pariſienſis Archiepiſcopus promulgato edicto die quarta Martii inhibuit, ne quæſtiones tum controverſæ ex ſuggeſtu in Eccleſiis agitarentur. Nihilo-

Nihilominus Antonius Arnaldus, quem ad id San-Cyranus Abbas datis ad eum literis hoc anno die prima Februarii ex suo carcere sollicitabat, Jansenium ejusque doctrinam editis duabus apologiis pro aris & focis tueri aggrediebatur, ac Pontificis Bullam *fraudibus, & fictis relationibus extortam, neque pro vera & legitima habendam esse* dictitabat, non tamen deerant alii, qui Urbani VIII. Bullam omnino suppositiam esse, demonstrare niterentur; hanc in rem prodiere duo libelli, quorum titulus: *observationes in falsam Bullam paucos ante dies disseminatam contra S. Augustini doctrinam in Jansenii libro explanatam.* Has Grimaldus mox ad summum Pontificem transmiserat, questus, quod genuinum hujus Bullæ exemplar Roma nondum recepisset: postquam vero unacum solida harum observationum confutatione die quinta Septembris authenticum exemplar receperat, Parisiensem Archiepiscopum tantopere urgebat, ut hic die undecima Decembris Urbani VIII. Bullam in sua Diæcesi recipi juberet, ac Jansenii librum proscriberet, vulgato hanc in rem edicto sequenti. Sæc. XVII. A. C. 1643.

„Joannes Franciscus de Gondi, Dei „& S. Sedis Apostolicæ gratia, Pari„siensis Archiepiscopus, omnibus per-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

„ſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus & „Regularibus, atque etiam Laicis in „Diæceſi noſtra conſtitutis, Salutem in „Domino. Ex quo tempore gravem „& periculoſam de Divinis Auxiliis „Summorum Pontificum Gregorii XIII. „& Pii V. cura, contentionem extinctam a doctis nonnullis hominibus „vehementius excitari, & renovari dolentes vidimus, Paſtoralis noſtræ ſollicitudinis eſſe duximus tanto malo „quantocius occurrere, ac efficere, ut „omnes, quibus Deus nos invigilare pro „ſua benignitate voluit, ſolliciti eſſent „ſervare unitatem Spiritus in vinculo „Pacis. Eo fine decretum edidimus „die 4. Martii præſentis anni, quo di„ſtricte cavimus, ne in Concionibus, „quæ ad populum fiunt intra Diæceſis „noſtræ fines, ullus cujusque Ordinis, „Qualitatis & Conditionis eſſet, harum occaſione controverſiarum in „contraria ſibi ſentientes inveheretur, „doctrinam, quam non probaret, hæreſis aut erroris condemnaret: neve „omnino in iisdem concionibus, ſub „quocunque prætextu eas difficultates „in contentionem diſceptationemque „vocaret; cum vero acceperimus Con„ſtitutionem a SS. D. N. Papa, qua fi„delium ille omnium Pater, Prædeceſ„ſorum veſtigiis inhærens, in hoc im„minen-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

„minenti periculo discordiarum, Ecclesiæ paci consultum voluit; ex officii nostri ratione censuimus, esse eam „vobis significare, uti tanquam ab ea „Sede prodeunte excipiatis: unde Apostolici Spiritus oracula referantur: „Illi, qua decet, reverentia & animi „demissione obtemperetis, & qui sententiarum varietatis, quam simplicis „atque unius veritatis cupidiores, inconsultius se ferventiusque gesserunt, „ad unam Catholicam doctrinam sestandam, Christianamque mansuetudinem, ac tranquillitatem amplexandam, communis omnium Pastoris voce „revocentur. Ad hujus itaque mentem ac voluntatem toto affectu accedentes, librum, cui titulus est: *Augustinus*, sub nomine Reverendissimi „Domini Cornelii Jansenii Yprensis olim Episcopi editum, *propositiones* a „summis Pontificibus *damnatas contineri*, theses etiam a Patribus Societatis Jesu. Universitatis Lovaniensis „occasione hujus libri editas, & quidquid tam contra, quam pro eo libro „& thesibus istis impressum est, ordinaria nostra authoritate prohibemus. „Et ne quis cujuscunque status, conditionis, gradus, Ordinis ac dignitatis existat, mandare aut mandari curare typis ullum possit opus de Divi-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

„nis Auxiliis absque speciali nostra li-
„centia sub anathemate interdicimus.

„Renovantes præterea nostrum præ-
„cedens Decretum, sub eadem excom-
„municationis pœna vetamus, ne ul-
„lus in Concionibus & Catechismis
„eas quæstiones moveat, quæ conten-
„tiones ejusmodi excitant, nec faciunt
„ad ædificationem; ac denique ne
„quisquam *ausu temerario damnatas in*
„*ea constitutione propositiones ullo pacto*
„*propugnet.* Datum Parisiis die unde-
„cima Decembris anno *Salutis* milleſi-
„mo sexcentesimo quadragesimo tertio.„

Insuperhabito tamen hoc edicto Jansenii Fautores sub specioso Augustinianæ doctrinæ veritatem tuendi obtentu sese Constitutioni Pontificiæ totis viribus oppossuere: optandum tamen fuisset, ut Jansenii vindices ejus quoque modestiam fuissent imitati; si enim eum ut Magistrum agnoscunt, cur non æque illius humilitatem, modestiam, obsequiumque erga Sacram Sedem imitantur? forte eos pudet ab illo discere virtutes, a quo didicerunt errores.

§. LXVI.

Quidam Abbatis San-Cyrani liber a Parisiensi Archiepiscopo proscriptus.

Ineunte

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Ineunte hoc anno die vigesima septima Januarii idem Joannes Franciscus Parisiensis Archiepiscopus inhibuit, ne liber, cui titulus: *Theologia familiaris seu succinta instructio de iis, quæ Christiano credenda, & pro salute in hac vita agenda sunt*, in sua Diæcesi legeretur, aut a Bibliopolis venderetur. Eundem hunc librum Sacra Romanorum Inquisitorum Congregatio die vigesima tertia Aprilis anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto inter libros reprobatæ doctrinæ recensuit. Erat hujus operis Auctor Joannes Vergierus Abbas San-Cyranus, qui in animo habebat antiquam disciplinam Ecclesiæ restaurare, & mysteria fidei naturali ratione explanare, sed cum Ecclesiam jam corruptam temere existimaret, mysteriaque fidei ratione sua metiretur, perversam doctrinam clanculum disseminabat, quam S. Vincentius a Paulo, a quo sodalitas Presbyterorum missionis instituta est, manifestam fecit, ut in ipsius vita describitur, & nos supra memoravimus.

Index libr. proh. Lib. V. p. 286. Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 246.

Vid. supra l. 199. §. 99. p. 335. t. 60.

Ejusdem San-Cyrani epistolæ ad Jansenium sua manu exaratæ atque eidem, cum in carcerem captus abducebatur, ablatæ Parisiis in Bibliotheca Claromontani Collegii apud Jesuitas extitisse dicuntur, habentur quoque

Sæc. XVII. A. C. 1643.

aliqua ex istis literis excerpta, atque in lucem publicam edita, an vero genuina, & non adulterata fuerint, a multis dubitatur, saltem nunquam eorum authographa fuerunt exhibita, quamvis Jansenistæ id sæpissime, ac importune petiissent: genuinas vero San-Cyranni literas esse obtendunt Jansenistæ, quas Arnaldus Andillius anno hujus sæculi quadragesimo quinto publici juris fecit.

§. LXVII.

Antonii Arnaldi liber de frequenti Communione.

Abrege de l'hist. Eccl. p. 3. fol. 453. Hist. Jansen. Leyd. l. 3. p. 487. Arnald. in præf. & part. 3. c. 16.

Prodiit hoc anno liber *de frequenti Communione* ab Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico compositus, & a pluribus Episcopis, universo Auschianæ Provinciæ Clero, necnon a viginti quatuor Sorbonæ Magistris approbatus. Hujus libri occasio erat alius libellus per Franciam hoc anno sparsus, quo Jesuitæ frequentem imo & hebdomadariam communionem statim a confessione pœnitentibus commendabant, etsi adhuc amore sui & mundi pleni essent: cum autem eo tempore nil magis familiare esset, quam quod Jesuitæ Jansenistis Calvinianam hæresin de gratia, & vicissim Jansenistæ Jesuitis relaxa-

laxatam Religionis praxin objicerent, hinc confeſtim divulgato Jeſuitarum libello Janſeniſtæ exclamare cæperunt, hujus libri doctrina denuo latam ad ſacrilegia viam aperiri: quinimo ipſemet Octavius de Bellegarde Archiepiſcopus Senonenſis datis ad Cardinalem Barberinum literis acriter deſuper declamabat, his verbis: „Deſidia & diſſolutio „animarum, atque infirmitas lanquen„tis diſciplinæ ad hunc exceſſum per„venere, ut fere non liceat de vera „pœnitentia, & ſincero Dei amore ver„ba facere. Atque hoc artificium eſt, „quo utitur generis humani hoſtis, quo „vult, ut loco veræ pietatis hæc ſpu„ria & remiſſa commendetur, quaſi id „foret a recta ſemita recedere, errores „relinquere, ut ad rectam viam redeas. Sæc. XVII. A.C. 1643.

„Itaque videmus Apoſtoli verba eſſe „impleta in pluribus, *quod non poterint „homines ferre ſanam doctrinam, ſectaturi „Doctores adulantes, & occluſuri aures „veritati, ut eas fabulis & figmentis aperiant.* „Sane fovent nonnulli omnium vitio„rum licentiam, & irritam faciunt cru„cem Chriſti. Namque ex vero dicere „liceat, quod ludus a plurimis maxi„ma fiant crimina, & fere ipſa pœ„nitentia.„

Ejus tenoris literas dabat Octavius ad Papam, aſſentientibus Archiepiſcopis

Sæc. XVII. A. C. 1643.

pis Toloſano, Burdigalenſi, & Turonenſi, necnon duodecim aliis Franciæ Epiſcopis: quoniam vero in Jeſuitarum libro maxime San-Cyrani dogma, quo pœnitentes diu exercitiis pœnitentiæ, antequam ad Sacrum Altare accederent, ſe a peccatis perpurgare jubebantur, recta impeteretur, hinc Antonius Arnaldus intimus San-Cyrani amicus Magiſtri ſui doctrinam vindicare ſtatuit, ſuumque librum *de frequenti Communione* oppoſuit, ingenti applauſu a San-Cyrani fautoribus exceptus, ab adverſariis vero ac præcipue a Vaurenſi in Occidania Epiſcopo vehementer exagitatus; illico enim plurimi edebantur libri, quibus Arnaldi paradoxa, hæretica, & cum Abbatis San-Cyrani doctrinis conſona perſtringebantur, ipſe etiam Condæus Princeps gravem de hoc libro querelam ad Franciæ Reginam detulit, Prodiit eodem quoque anno Pariſiis contra Arnaldum liber, cui titulus: *Chriſtianæ & Catholicæ obſervationes in librum de frequenti Communione*, in quo Auctor, qui Princeps Condæus credebatur, Arnaldo exprobrat, quod nova & pernicioſa ſua doctrina fideles a Sacramentis abſterreat, plurima bona opera impediat, atque etiam pios pervertat, ita ut metuant ad Sacramenta accedere, imo ad mortem

Sæc. XVII. A. C. 1643.

tem usque eorum usum differant. Insuper Arnaldum perstrinxerat, quod D. Petrum & Paulum æqualia esse Ecclesiæ capita statuat, ex obliquo absolvendi potestatem, Confessionem & pœnitentiam abroget, & publicæ pœnitentiæ necessitatem inducere conetur. Non deerant, qui Arnaldi librum Romana censura perstringi adlaborarent, quod etiam sequenti & rursus anno hujus sæculi nonagesimo ab Alexandro VIII. factum est, frustra intercedentibus quibusdam Franciæ Archiepiscopis & Episcopis, qui Authorem amplis honorabant encomiis: ipse etiam Arnaldus semetipsum contra P. Petavium, adversarium suum vindicaturus edidit librum hoc titulo: *Traditio Ecclesiæ circa Pœnitentiam & Communionem* &c. Hunc partum velut Palinodiam Arnaldus Reginæ obtulit, hæc vero dolum subodorata & Arnaldi librum nequidem aspectu dignata, tertio jussit, ut Arnaldus sine mora Romam contenderet, ibidem suæ doctrinæ rationem redditurus: ipse vero fors caussæ suæ diffisus, Parisiis per plures annos se absconditum in latebris tenuit, a suis duntaxat sæpe visus: favebant enim ei quidam Sorbonæ Doctores, ipsum etiam Parlamentum inter se divisum erat, cui tandem a Regina injunctum, ut

Sæc. XVII. A. C. 1643

ut per Deputatos in rei momenta inquireret Regiamque ſententiam expectaret. Nec tamen propterea Arnaldus librum ſuum a cenſuris vindicare poterat; quippe præter Veſuntinum Archiepiſcopum, ipſa etiam ſuprema Burgundici comitatus Curia *Arnaldi & San-Cyrani opera in Provinciam invehi, perlegi aut lecta audiri, vel ab ullo retineri prohibuit*: demum ipſe Humbertus de Præcipiano Mechlinienſis Archipræſul ad ſaniora reverſus, die decima quinta Januarii anno hujus ſæculi quinquageſimo nono hunc librum damnavit, eoquod *frequentationem Sacramenti Pœnitentiæ ſubdole arrodat, atque ad omnem ejus uſum penitus abolendum viam ſternat:* Hanc vero labem Arnaldi librum Eccleſiæ intuliſſe, teſtatur ipſemet S. Vincentius a Paulo in ſuis ad Argnyum Congregationis Miſſionariorum Sacerdotem literis die vigeſima quinta Junii anno Chriſti milleſimo ſexcentelimo quadrageſimo octavo Pariſiis datis: ubi hæc habet: „Videamus, de „quo agatur, de libro *de frequenti communione* ſcribis . . . . verum eſt, tan„tum abeſſe, ut efformatus in hunc „modum liber legendi deſiderium ac „ſtudium frequentis communionis affe„rat, ut potius eundem ab ea avocet, „& retrahat. Jamque ipſo etiam tem„pore

Collect. Bottagriſſiana t. 17. p. 330.

„pore Paſchali is frequens Sacramento- Sæc. XVII.
„rum uſus non eſt, qui alias vigebat. A. C. 1643.
„Non pauci Curiones Pariſienſes que-
„runtur de infrequentia, & longe ra-
„riores fuiſſe communiones teſtantur,
„quam annis prioribus. Curio ad S.
„Sculpitii tria millia eorum numerat,
„qui hoc anno ad ſacram Menſam non
„acceſſere. Curio ad S. Nicolai de
„Cardineto, cum omnes, quæ Parœ-
„ciæ ſuæ addictæ ſunt, ædes & per
„ſeipſum, & per alios luſtraſſet, non
„multo abhinc tempore aſſeruit, e ſuis
„Parochianis omnino mille & quingen-
„tos ab Euchariſtica menſa abfuiſſe. Et
„ſic idem ſentitur ac dicitur de aliis. Non
„ſunt fere amplius, vel certe nonniſi
„rari, qui cæleſti epulo accumbant
„prima menſis Dominica, aut feſtis ſo-
„lennibus; neque plus aliquid præſtari
„cernimus in templis Religioſorum,
„niſi quod adhuc pauci quidam ſacra-
„menta frequentent in illo, quod Je-
„ſuitarum eſt. Et hoc ipſum ſpecta-
„bat San-Cyranus, eoque ſua refere-
„bat conſilia, ut Jeſuitas apud omnes
„invidiæ ac contemptui objiceret. Cha-
„vignyus paucis abhinc diebus narra-
„bat amicorum ſuorum uni, faſſum
„ſibi eſſe San-Cyranum, quod inito
„cum Janſenio fœdere ratum utrique
„ſit ac fixum, juncta opera id conari,
„ut

Sæc. XVII. A. C. 1643. „ut ſanctus hic ordo omni ſua fama ac „fide excideret, atque in rebus ad do„ctrinam & pia in procurandis ſacra„mentis obſequia pertinentibus, pro„bro ac infamia notaretur. Ego ipſe „prope quotidianos ejusmodi ſermones „audivi, in quibus de infamandis & „opprimendis Jeſuitis deliberationes „habebantur. „

„Cum primum Arnaldus, qui li„brum *de frequenti communione* ſuo nomi„ne inſignitum in publicum emiſit, pœ„nitentiam publicam, & *illam alteram*, „quam S. Communioni *præmitti* vole„bat, a multis impeti & erroris accu„ſari cerneret, pro tuenda cauſſa ſua „id unum repoſuit, ſibi nonniſi *de ab„ſolutione declaratoria* ſermonem fuiſſe. „Sed quomodocunque obtentus hic ſe „habeat, plures alii errores in eo libro „ſunt, quemadmodum aſſeverarunt „Grandius Profeſſor Navarræus, Vir „ex doctiſſimis noſtri temporis homini„bus, Confeſſarius regius, Cornetus, „& Coqueretus, qui de hoc ipſo nego„tio collaturi conſilia in noſtra Domo „convenerant; illudque adjecere, *ejus„modi declarationem plenam fraudis ac „præſtigiarum eſſe*, multaque alia com„plecti, quæ nihilo plane ſaniora ſint „iis, quæ in primo libro ſcripſiſſet. „Num enim id, quod ait: Eccleſiam,

„cum

„cum primis ſuis temporibus ante ab- Sæc. XVII.
„ſolutionem ſuſcipi & agi voluerit pœ- A. C. 1643.
„nitentiam publicam, ſemper habuiſſe
„in animo illam inſtaurare, & in uſum
„revocare; alioquin, ſi ab hac mente
„unquam ſua deſiſteret, non fore am-
„plius incorruptæ & perennis verita-
„tis columnam, ſed errorum ſynago-
„gam; num hoc, inquam, non gravi-
„ter offendit animos, & in errorem in-
„ducit? quid? num forſan Eccleſia,
„quæ in doctrina fidei eadem ſemper,
„ac pura & integra eſt, in modo di-
„ſciplinæ mutandi quidpiam poteſtate
„& authoritate caret? An non ipſe
„Deus, in ſeipſo infinite immutabilis,
„variavit rationem agendi cum homi-
„nibus? an non interdum etiam ſuam
„divinus Filius: ſuam Apoſtoli? Quo
„animo igitur, aut quem in finem fin-
„git hic homo, Eccleſiam abituram a
„via veritatis, ſi non perſeveret in con-
„ſilio redintegrandi eam pœnitentiæ
„formam, quam olim in mores indu-
„ctam exerceri volebat? num hic ho-
„mo Catholicus eſt?„

§. LXVIII.

Alia Facultatis Acta.

Sub idem tempus Jacobus Nouet Je- *Comm. Cler. Gall. tom. 1. p. 580.*
ſuita arguebatur, quod in publicis Concionibus, librum Arnaldi *de frequenti Communione*, ſcriptis Lutheri & Cal-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Calvini pejorem esse, asseruisset; attamen desuper interrogatus, hæc a se fuisse dicta, constanter pernegabat, ejusque confessio hac de re facta in novam Collectionem Commentariorum Cleri Galliani typis inserta exstat.

Præterea Mense Decembri Universitatis Parisinæ Rector apud Regii Senatus Curiam questus erat, quod Pater Airaultus itidem Jesuita quosdam ediderit libellos, in quibus propositiones de homicidio, Regibus & Principibus adversæ continerentur: has igitur Regius Senatus anno sequenti condemnavit. Insuper quædam theses apud Jesuitas Parisiis in Collegio Claromontano propugnatæ offensionem dederunt, eoquod naturali attritioni honestæ nimiam vim tribuerent ad veniam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, quocirca Innocentius hanc damnavit propositionem: *probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

§. LXIX.

Initia Congregationis Eudistarum, & Filiarum Charitatis.

Mem. du tems. Heliot Ord. Monast, t. 8. pag. 159.

Ad hunc annum referuntur initia novæ in Francia Congregationis sub invocatione Jesu & Mariæ: Hujus instituti Auctor erat Pater Eudes Mezeraii Regii Historiographi Frater, qui die

die vigesima quinta Martii anno hujus sæculi vigesimo tertio sese Congregationi Patrum Oratorii adjunxit, ac tertio post anno Sacris initiatus totum sese Apostolicis laboribus dicavit: cum autem ad Missiones cum amplo animarum proventu obeundas nil magis quam Seminaria, in quibus juvenes Sacerdotes in dignos Ecclesiæ Pastores ac Operarios efformarentur, conducere agnosceret, relicto Oratorii instituto in Cadomensi urbe octo Presbyteros Evangelico spiritu animatos sibi aggregavit, obtentisque hoc anno Regiis literis prima Congregationis suæ fundamenta ibidem die vigesima sexta Martii jecit: Appellabantur hi Sacerdotes a Fundatoris sui nomine Eudistæ, qui nec habitu a ceteris Presbyteris sæcularibus distincti aucto suorum numero unice eo intenti sunt, ut in Seminariis, quorum plura in Galliis fuere erecta, juvenes Clericos in omnibus pietatis, & Pastoralis Theologiæ exercitiis imbuerent, & in variis Franciæ Urbibus sacras expeditiones obirent. Sæc. XVII. A. C. 1643.

Eodem hoc anno (*) Ludovica de Marillac illustris Legrasii Vidua in Galliis *Abrege de l'hist. Eccl. t. 10. p. 350.*

(*) Alii Scriptores referunt, hujus Instituti fundatricem extitisse Nobilem Virginem de Grao.

Sæc. XVII. A. C. 1643. liis inſtituit Ordinem *Virginum de charitate*, quæ vulgo ob habitus ſui colorem *Griſeæ Sorores* nominantur. Harum Regimen eadem Matrona commiſerat Sancto Vincentio a Paulo, ejusque Succeſſoribus, quorum directione novum hoc inſtitutum ad curandos pauperes ægrotos deſtinatum intra breve temporis ſpatium tam ampla cepit incrementa, ut non modo in Francia, ſed & in Polonia & Belgio plusquam trecenta ejusmodi aſceteria numerarentur: Nec hoc pietatis ſpecimine exhauſta erat hujus Matronæ charitas; quippe promovente eodem Sancto Vincentio, & concurrentibus aliis Matronis Nobilibus, eadem Pariſiis in Sancti Victoris ſuburbio amplam domum locaverat, in qua expoſitos infantes recipi, atque educari voluit.

§. LXX.

Prima Bollandiſtarum opera.

Abrege de l'hiſt. Eccl. tom. 10.

Jam integrum effluxerat triennium, ex quo Jeſuitæ in Flandria librum ſub titulo: *Imago primi ſæculi Societatis Jeſu* non ſine multorum offenſione publici juris fecerant: majore autem Societatis gloria, & Eccleſiæ utilitate Antverpiæ Joannes Bollandus in laboris ſocietatem adſcito Godefredo Henſchenio

nio acta Sanctorum ab Heriberto Rosweido inchoata perficere aggressus est, atque hoc anno duo volumina, vitas Sanctorum, quorum memoria in Mense Januario occurrit, complectentia Antverpianis typis excudi curavit, & decimo quinto post anno Sanctorum gesta ad Mensem Februarium tribus voluminibus edidit; quo fatis functo ex eadem Societate alii (utinam omnes eadem moderatione & modestia) conspicuum hoc opus prosecuti sunt: Demum funestam hoc anno sortem experiebantur Melitenses Jesuitæ, qui ob graves causas ex hac Insula ejecti, jure an injuria, de avaritia, & morum licentia postulabantur. Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXI.

Anceps Caroli I. Angliæ Regis bellum contra rebelles subditos suos.

Obfirmata rebellis Parlamenti pervicacia Carolum I. Angliæ Regem ad auctoritatem suam armis tuendam, bellumque prosequendum hoc item anno compulit: Enimvero Regina oppresso Marito suo suppetias ferre, toto studio nitebatur, eique navim unam armis, annona, bellicoque apparatu onustam submiserat, nimis tenue tamen erat hoc subsidium contra armatam Pu- *Rusworth Vol. V. pag. 157. Salmon hist. Chron. d'Angl. t. 1.*

Sæc. XVII. A. C. 1643.

ritanorum ferociam, quamvis & illud rebelles ſubditi legitimo ſuo Regi inviderint, ac Comes Warwichus ſeditioſæ claſſis Architaſſus hanc unicam navim acriter inſectatus fuerit, cumque Parlamenti Senatores compertum haberent, quod Regina, opitulante Arauſionenſi Principe genero ſuo, ab Hollandis ſuppetias obtinuiſſet, mox Walterum Stricklandum ad eos deſuper queſtum mittebant: unde Hollandi, cum ita afflictæ Reginæ ſuccurrere vellent, ut tamen Parlamentum non offenderent, arma in Angliam transferri prohibuerunt, clam tamen Reginæ reditum in Angliam paranti amplam arma & copias ſecum devehendi facultatem conceſſere, & nihilominus unam ex Regiis hiſce navigiis interceperunt: Tandem Regina die vigeſima ſecunda Februarii Bridlingtonii portum cum navibus ſuis ingreſſa eſt, Eboracum profectura: altera autem die quatuor ſeditioſorum navigia in eundem portum invehebantur, bellique tormentis Regias naves tam acriter impetebant, ut glandes plumbei in urbem immiſſi ipſam domum, ubi Regina ab itinere feſſa quieverat, magno numero attingerent, eamque ad pauperis ruſtici caſam profugere compellerent: Acrius adhuc in ipſum Regem deſæviebant; poſtquam enim

enim Guilielmus Wallerus Farnhamium, Ciceſtriam, Leedeſiam, Duncaſtrium, & Wackenfeldam ſeditioſis armis Regi eripuerat, cunctas ferme Provincias ad arma contra Regem capeſſenda incitarunt, atque Eboracenſes & Cheſtrienſes, qui neutri parti adhærere decreverant, ut ſeſe Parlamenti partibus jungerent, adhibitis etiam minis compulerunt, ne Rex copias ſuas in uno loco unitas tenere poſſet, ſed illas per univerſum Regnum diſperſas habere cogeretur: Sub idem tempus Rex quosdam, qui in nupero prælio gladium contra Regem ſuum ſtringendo capti fuere, Oxonii capite damnabat, quos tamen Parlamentum non modo liberavit, ſed etiam illos, qui ex debiti obſequii lege Briſtollum urbem Regi ſuo conſervare nitebantur, ſub conjurationis obtentu capite plecti juſſit, incaſſum reclamante, ac comminante Carolo Rege, eodem viciſſim ſupplicio interimendos, qui ex Parlamenti exercitu nuper capti fuiſſent. Ut vero utriusque Curiæ Senatores Regem pacis fiducia ſopirent, ipſi vero vires ſuas augendi ſpatium nanciſcerentur, rurſus primo ceſſationem ab armis, ac demum pacis negotiationem Regi obtulerunt, præſcriptis tamen conditionibus adeo iniquis, ut eas a

Sæc. XVII. A.C. 1643.

Sæc. XVII. A. C. 1643. Rege reſpui, probe proſpicerent. Fracta demum patientia Rex expugnata Marleburgenſi arce Radulpho Hoptonio negotium dedit, ut rebelles armis coercere niteretur: Hic ergo, promotis Leskardum verſus caſtris, in ſeditioſum agmen irruit, captisque plusquam mille ducentis, ceteros unacum Rutheno Plimuthi Gubernatore, in fugam egit, occupatoque belli apparatu, omnique re frumentaria, paulopoſt Stratoriæ iterata clade ſeditioſos fudit, captisque mille ſeptingentis univerſam Cornubienſem Provinciam Regis imperio reſtituit. Parta hac victoria Lucas Regiæ legionis Tribunus Belveriam arcem intercepit, & Robertus Princeps Palatinus expugnata Cicestrienſi arce, captisque mille ducentis præſidiariis unacum Gubernatore, Bromichanam, & Lichelſdiam Parlamenti urbes occupavit, perviumque ac tutum iter Oxonium inter & Eboracum reſtituit. Pari ſucceſſu Regii prope Staffordiam ſeditioſum agmen die vigeſima nona Martii fuderunt, deſiderato tamen Northamptono Regi fideliſſimo. Viciſſim vero rebelles, Maldunenſi urbe Regi erepta, duo in Walliæ Principatu recens conſcriptorum millia in captivitatem abſtraxere, Eſſexius quoque Comes die ſexta Maij Radingam, potius

potius Fieldingi Gubernatoris ignavia, quam oqpugnationis violentia in deditionem accepit, incaſſum Rege laboranti urbi ſuppetias ferre feſtinante: Poſtmodum crebris dimicatum eſt velitationibus, Regiis nunc devictis, nunc victoribus: rebellibus tamen oppido funeſta accidit clades, qua Robertus Princeps expugnatis Eſſexii caſtris ſeditioſos Chalgravii ferme ad internecionem delevit, trucidato etiam Joanne Hampdeno, præcipuo ſeditionis incentore. Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXII.

Scoti rebelles a Parlamenti Senatoribus contra Regem ſuum in Angliam evocati.

Quantumvis Angli rebelles iterata clade, & graſſante in caſtris lue magno numero confecti eſſent, atque inhumanam juxta ac iniquam Regis vexationem abhorrentes Hugo Cholmondlegus, Chudeighus, ejusque Filius, Wilmotus, Bedfordius, Hollandus, & Clavius Comites, Conwayus, Biddifordius pluresque alii primæ dignitatis Proceres abdicato rebellium ſtudio ad Regis obſequium reverterentur, imo ipſemet Rex denuo ſubditis ſuis pacem obtuliſſet, nihilominus tanta *Rapin Thoiras Hiſt. d'Angl. t. 9. p. 427. Salmon l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1643.

erat dominandi cupido, tamque ardens Regem opprimendi aviditas, ut Parlamentum, & Londinenſes Scotorum conjurationem contra Regem initam firmarent, eique accederent, & horum rebellium copias in Angliam accerſerent: Inſuper Reginam eoquod die decima tertia Julii tria armatorum millia, octo belli tormenta, ingentemque armorum apparatum in Regis opem adduxiſſet, tanquam perduellionis ream accuſarunt, demum celebriores quoque Puritanorum Prædicantes habito Weſtmonaſterii conventu & abrogata Anglicana Liturgia, Scoticam ſeu potius Genevenſem in Regis contemptum invexerunt: Præterea Cromwellus, tot funeſtarum revolutionum auctor ex audaciſſimis rebellibus novum contraxit agmen, ſimulque Parlamentum duos exercitus recens conſcribi, ac per univerſum Regnum in militum ſtipendia ſingulis hebdomadibus triginta quatuor millia, octingentas & octo libras ſterlingicas pendi juſſit: Stomkium vero & Chalonerum, necnon Tyburnum Wallerum Nobiles, eoquod Parlamentum ad honeſtas pacis conditiones Regi proponendas, & tollendas ejusmodi exactiones inducere moliti eſſent, capitis ſupplicio damnarunt: fœminas vero Londinenſes, quæ pacem toties promiſſam tandem

dem concludi petentes turmatim West- monaſterium confluxerant, emiſſis duabus Equitum turmis abegerunt, conceſſa reſiſtere auſas trucidandi facultate. Fiennius etiam Briſtolii propugnaculi Gubernator totum Magiſtratum, pluresque cives patibulo affigi juſſit, eoquod hi urbis portas Regi ſuo aperire ſtatuiſſent. Denique ſeditioſi Senatores Joannem Hothamum, ejusque Filium, egregios Tribunos, Londinenſi Turri incluſere, eoquod illos ad Regis ſigna tranſituros ſuſpicarentur. Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXIII.

Briſtollium a Regiis expugnatum.

Aucto Batavorum ſuppetiis exercitu Regio aliquamdiu proſpero pugnabatur Marte, ac die nona Julii Neocaſtellus Comes capta Brudfordia Fairfaxii copias, & Carolus Lucas Middletoni Equitatum profligarunt, ipſa etiam Regina cum valido agmine Oxonium movit, ac Burtoniam urbem irruptione facta ſubegit, demumque Guilielmo Wallero bina clade protrito Oxonium unacum Regio ſuo Marito ſolemni pompa ingreſſa eſt. Die autem prima Auguſti Princeps Robertus Briſtollium cinxit, ac quarto obſidionis die vi cepit; Carnavonus quoque Regis nomine Dor-

Rushworth. Vol. VI. p. 317. & 361. Puffend. introd. a l'hiſt. univ. l. 4. c. 1. tom. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

ceſtriam, & paulopoſt Vimutium, & Vindeliam urbes Regi vindicavit. Pari etiam adſpirantis fortunæ nutu Regii in Septentrionalibus Regni Provinciis ſeditioſos coercebant, & Eſſexiæ Comitem, ut Gloceſtriæ obſidionem ſolveret, compellebant.

Quantumvis vero Rex tot victoriis inclareſceret, nihilominus die quarta Auguſti promulgato edicto Parlamenti Senatoribus omnium criminum veniam, juriumque ſuorum liberum uſum, novasque exemptiones obtulit, dummodo ad obſequium redire vellent: Verum rebelles cuncta pacis conſilia, utpote ſuo Regiam auctoritatem evertendi propoſito omnino adverſa, usque adeo reſpuebant, ut etiam Regem velut Hiberni tumultus Authorem publico proclamate traducerent, omnesque Regis, Reginæ & Walliæ Principis reditus ac proventus ad bellum Regi inferendum interciperent, utque ſuum odium etiam in cineres Jacobi I. Regis ſui exercerent, ejus librum de *oblectamentis in diebus Dominicis* manu carnificis publice comburi jufferunt, ac inſuper die vigeſima prima Novembris, ut iniquiſſimis ſuis edictis auctoritatem conciliarent, novum Regni ſigillum, quod juxta Eduardi III. legem ſolius Regis erat, pro ſe ſolis confici curarunt, palam declaran-

clarantes, quod omnia diplomata, ac literæ ab Carolo Rege a die vigesimo secundo Maij anni supra millesimum sexcentesimi quadragesimi secundi expeditæ deinceps nullius essent valoris, ac vetus Regni sigillum omni careret auctoritate, cunctaque Natio, sicut in ceteris, ita in hoc articulo sese supremæ Parlamenti voluntati subjicere teneretur. Postea omnia vasa argentea, cunctosque thesauros a Regiis Westmonasterii collectos occuparunt, novoque suo sigillo munierunt, imo nequidem Regio Prædicanti argenteum calicem pro administranda Sacra Cæna reliquerunt, caussantes, quod calix ligneus æque pro Rege deservire posset: Denique Danielem Knivetonum & Carpenterum Nobiles a Rege Westmonasterium eo fine missos, ut cunctos Judices Oxonium venire juberent, tanquam exploratores in vincula conjecerunt, & quidem Knivetonum capite damnarunt, alterum vero data vitæ venia in exilium egerunt. Postquam vero Essexius Comes Novoburii regios ingenti clade affecerat, seditiosi Senatores victorem cum suo exercitu die tertia Octobris cum summis honorum ac tripudii significationibus Londini exceperunt: unde Rex fidelibus suis subditis die vigesima septima ejusdem mensis inhibere compelle- Sæc. XVII A. C. 1643.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

pellebatur, ne cum perfida hac urbe, aliisque rebellium urbibus deinceps ullum foverent commercium.

§. LXXIV.

Ludovici XIII. Franciæ Regis obitus.

Hist. de Louis XIV. Liv. 1. t. 1. pag. 4.

Haud parum augebatur Henrietæ Angliæ Reginæ calamitas per funeſtam mortem Fratris ſui Ludovici XIII. Franciæ Regis. Hic Princeps erat gratiæ & naturæ beneficio, præclaris dotibus, juſtitiæ amore, Religionis ſtudio, militari ſcientia animique fortitudine præditus: nonniſi octo annos & aliquot Menſes natus Franciæ imperium moderari cæperat, ſemper quidem glorioſum, dummodo potiſſimam gloriæ partem non ceſſiſſet primario ſuo Miniſtro, ac ſibi duntaxat nudum Regis nomen reſervaſſet: inde enim ortum traxerant inteſtinæ Procerum turbæ, aſſiduæ Regis curæ, inquietiſſimi fluctuantis animi turbines, incertaque ejus conſilia, ac denique immodica ſui ipſius diffidentia, propter quam ſepoſita propria, quantumvis ſaniore, ſententia, illius, quem quidem non amabat, offendere tamen timebat, conſilia ſecutus eſt: Carpitur etiam ob fœdus cum Suecis, Batavisque

que contra Catholicos a Proteſtantibus oppreſſos initum: Tandem vero lenta tabe ejus viſcera corrumpente, die nona Maij ſibi ultimum vitæ diſcrimen impendere ſenſit, quocirca, ut erat ad pietatem natus, inter pietatis exercitia mori voluit, ac præmiſſa præteritæ ætatis accuſatione præprimis deplorabat, quod aliorum impulſu Reginam Matrem ſuam durius habuerit, & cum Hiſpanis pacem inire diſtulerit: Fundebantur per univerſam Galliam vota pro Regis incolumitate; ſed jam debebatur cælo, quo eum avolaſſe ſperatur die decima quarta Maij anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſecundo. Succeſſerat ei Ludovicus XIV. ſub tutela Reginæ Matris ſuæ, ſub conſilio tamen Gaſtonis Ducis Aurelianenſis, & eo abſente Condæi Principis, & Cardinalis Mazarini.

Sæc. XVII. A.C. 1643.

§. LXXV.

Decreta Synodi Tornacenſis, & Antverpienſis.

Hoc item anno Maximilianus Villani a Gandavo Tornacenſis Epiſcopus die vigeſima prima Aprilis Synodum Diæceſanam celebravit, ibidemque Conſtitutiones Synodales ante biennium conditas in ordinem ſub titulis redigi, ac

Hartzh. Conc. Germ. tom. 9.

Sæc. XVII. A.C 1643.

ac promulgari jussit. Ex his præcipue notandæ sunt sequentes. I. Parochi indicta etiam gravi pœna ad pueros in doctrina Christiana erudiendos admoneantur, etsi nonnisi unus duntaxat puer vel duo comparerent; quia diligentia Pastoris continuante, & Deo incrementum dante paulatim auditorum numerus aucturus esset: absentium vero nomina Parochi notent, & Parentes in mittendis suis prolibus negligentes sæpius moneant, & refractarios apud Curiam denuntient. II. Parochi omnes in Sabbato & Profestis primas vesperas cantent. III. Filiæ in supplicatione festi Corporis Christi, & in aliis non induant superpellicea Clericalia, nec Virgines annum ætatis decimum octavum excedentes ad deferendos cereos eligantur. IV. Qui cum literis dimissoriis ad aliam Diæcesin migrant, ad eandem reduces novam teneantur habere facultatem excipiendi confessiones. V. Nec Jesuitæ sine scripta Episcopi licentia confessiones excipiant. VI. Monentur omnes Ecclesiastici, ut abstineant ab usu tabacci, maxime in publico seu consortio Laicorum sub pœna arbitraria. VII. Ad querelam, quod Jesuitæ audirent confessiones, & prædicent in Ecclesiis Parochialibus, quin approbationem ad instar aliorum religio-

religioſorum exhibeant, ſtatutum eſt, ut deinceps illam exhibere teneantur. Sæc. XVII. A. C. 1643.

Die autem vigeſima octava Auguſti ejusdem anni Caſpar Nemius Antverpienſis Epiſcopus ſuam habuit Synodum in qua inter alia præcipue ſancitum. I. Ut Nutriciæ non ſuſcipiant proles alendas, niſi conſtiterit eas eſſe baptizatas. II. Confeſſarii cum fœminis prolixius non colloquantur, nec eas ad frequenter ſibi confitendum invitent, ſed illæ eo confitendi intervallo, quod plerumque Monialibus præſcribitur, contentæ ſint. III. Qui amiſſa voce nequidem ſignum pœnitentiæ dare poſſunt, abſolvendi ſint, ſi fidelium teſtimonio conſtet, eos paulo ante Sacramentum pœnitentiæ petiiſſe. IV. Parochi hæreticorum matrimonio non aſſiſtant, etſi alter tantum ſit hæreticus. V. Nullus præſumat exorciſare maleficiatos, aut a dæmone obſeſſos ſine ſpeciali Epiſcopi commiſſione.

§. LXXVI.

Petri Camporei & Octaviani Raggii Cardinalium obitus.

Nonniſi duos ex Cardinalium Collegio hoc anno deceſſiſſe comperimus. Horum prior erat Petrus Camporeus patria Mutinenſis, qui literis appri- *Maracc. Purp. Rom. Ciacon. in vita Pauli V.*

Sæc. XVII. A. C. 1643.

apprime imbutus, & Romæ in familiam Scipionis Cardinalis Burgheſii admiſſus varias obibat Præfecturas, quibus cum tanta prudentiæ & integritatis laude functus eſt, ut a Paulo V. Curiæ Romanæ oraculum, & a Ferdinando Cæſare, & Philippo Hiſpaniarum Rege induſtriæ, & prudentiæ miraculum appellatus, ab eodem Pontifice Purpuram Romanam promeritus ſit: Poſt Pauli V. obitum a Burgheſianis in Sedis Apoſtolicæ Succeſſorem deſignatus, ab aliis Cardinalibus palam rejiciebatur, uti ſupra memoravimus, quam tamen vexationem æquiſſimo tulit animo, jam dudum nec proſperis extolli, nec adverſis dejici aſſuetus: Sedente vero Gregorio XV. Cremonenſis Epiſcopus renuntiatus, Eccleſiam ſuam nunquam deſeruit, ſed omnia boni Paſtoris officia exacte usque ad poſtremum vitæ diem adimplevit. Utebatur menſa admodum frugali, ab omni pompa alienus, quocirca ingentes conflavit divitias, quarum tamen haud exiguam partem in pauperes, & Eccleſias in honorem B. Virginis exornandas impendit: tandem vero nonagenarius Cremonæ die quarta Februarii deceſſit, in ſua Cathedrali ſepultus.

Vid. ſupra l. 193. §. 44. t. 57. p. 144.

Alter

Alter erat Octavianus Raggius Genuenſis Patritius, qui præter generis nobilitatem, ingentesque opes præcipue animi candore, morum ingenuitate, ac literarum præſtantia excultus, Romæ Protonotarius, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, utriusque Signaturæ Judex, annonæ & Telonii Præſes renuntiabatur: cum autem Urbano VIII. hujus Viri virtus, dexteritas, probitasque tam frequenti ſpecimine comprobata eſſet, ab eodem non modo Purpuram, ſed & prædivites Abbatias, ac demum Alerienſem in Corcyra Epiſcopatum obtinuit: mox autem relicta Romana urbe ad Eccleſiam ſuam contendit, ubi ſublatis morum corruptelis Clerum populumque verbo & exemplo ad meliorem vitæ normam reduxit, pauperes profuſa liberalitate ſublevavit, ſuamque Cathedralem, ceterasque Eccleſias adornandas curavit: Demum vero a Papa Romam revocatus, vix ſalutato Pontifice, ab eoque benigniſſime inter amplexus, lacrimasque exceptus, acuta febri corripitur, eodemque die & hora, qua hanc lucem primo aſpexit, mortis tenebris oppreſſus die decima tertia Decembris obiit, annos natus quinquaginta & unum. Sæc. XVII. A. C. 1643.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXVII.

Quindecim Cardinales ab Urbano VIII. creati.

Ciacon. in vita Urban. VIII.

Die decima tertia Julii Urbanus VIII. Pontifex Maximus Cardinalium Collegio viginti Præſules adſcripſerat, ex quibus tamen, quinque in pectoris ſui ſcrinio reſervatis, nonniſi quindecim evulgavit, & horum quidem inter Presbyteros Cardinales primus erat Joannes Jacobus Panzirolus patria Romanus, ex Patriarcha Conſtantinopolitano Cardinalis S. Stephani in Monte Cælio, quem titulum ab Innocentio X. obtinuit. II. Fauſtus Polus Amaſienſis Epiſcopus, & Cardinalis tit. S. Chryſogoni. III. Lælius Falconerius patria Florentinus Cardinalis tit. S. Mariæ de Populo. IV. Caſpar Mattheius Nobilis Romanus Athenarum Archiepiſcopus, & Cardinalis S. Pancratii, poſtea S. Cæciliæ. V. Cæſar Facchinetus patria Bononienſis, Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum. VI. Hieronymus Grimaldus junior patria Genuenſis, Cardinalis tit. S. Euſebii. VII. Carolus Roſſetus ex Angliæ Legato Pontificio, ſeu potius Miſſionario Apoſtolico Cardinalis Diaconus S. Cæſarii. VIII. Joannes Baptiſta de Alteriis Pres-

Presbyter Cardinalis S. Mariæ ſuper Minervam. IX. Marius Theodolus patria Romanus Presbyter Cardinalis tit. S. Alexii, X. Franciſcus Angelus Ropacciolus itidem Romanus Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ in Via. XI. Franciſcus Adrianus Ceva ex Legato Apoſtolico in Gallias decreto Presbyter Cardinalis tit. S. Priſcæ. XII. Angelus Giorius Presbyter Cardinalis SS. Quiriaci & Julittæ. XIII. Vincentius Coſtagutus patria Genuenſis ex Ferrarienſi Legato Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Porticu. XIV. Joannes Stephanus Donghius Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii in Velabro. XV. Paulus Æmilius Rondinus patria Romanus, Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Aquiro. Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXVIII.

Alii duo Cardinales ab eodem Pontifice Purpura decorati.

Inſuper duos Prælatos idem Pontifex die decima quarta Decembris Romana Purpura honorabat; ex his prior erat Joannes de Lugo ex Jeſuita Cardinalis tit. S. Stephani in monte Cælio. II. Achiles d'Eſtampes Gallus, Eques Ordinis S. Joannis Jeroſolymitani, Cardinalis Diaconus S. Hadriani. *Ciacon. ibid.*

Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXIX.

Diversæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

Bullar. magn. Urban. VIII. Const. 297.

Inter varias Constitutiones, quas Urbanus VIII. Pontifex hoc anno edidit, duntaxat memoratu digniores adducemus, & primo quidem, cum Joannes de Solis Fratrum tertii Ordinis S. Francisci Procurator Generalis declarari peteret, an etiam in festo, ut vocant, Portiunculæ fideles in Ecclesiis quoque Fratrum tertii Ordinis Indulgentiam lucrari valeant, die decima tertia Januarii Pontifex affirmando respondit; quoniam vero Fratres Conventuales in eodem festo ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum decreta supplicatione accessissent, & non sine fidelium offensione partem eleemosynarum, quæ tum erogari solent, sibi vendicare niterentur, hinc reclamantibus Fratribus Minoribus de Observantia, Pontifex die vigesima secunda Martii declaravit, quod deinceps Conventuales nullum omnino jus in colligendis & percipiendis ejusmodi eleemosynis amplius habeant, sed hæ in commodum fabricæ Ecclesiæ, & usum Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum reserventur. Præterea idem Papa die vigesima quarta Februarii decidit,

cidit, quod in voto *de non procuranda vel acceptanda majore dignitate extra Religionem* nullus omnino præter ſummum Pontificem diſpenſare valeat. Quoniam vero Pontifex Breviarii Romani Hymnos minus concinne compoſitos ad purioris latinitatis, metrique leges elegantius revocaverat, hinc die vigeſima ſeptima Aprilis præcepit, ut in omnibus omnino Eccleſiis Hymni ita emendati recitentur. Statuit quoque die decima Maij, ut feſtum S. Norberti die undecima Menſis Julii celebretur, Indulgentiam vero plenariam perpetuam pro viſitantibus Eccleſias Ordinis Præmonſtratenſis eodem die confeſſis, & Sacra Synaxi munitis indulſit. Inſuper die decima ſexta Maij conceſſit, ut Joſaphatus Archiepiſcopus Polocenſis Ord. Sancti Baſilii Monachus & Martyr, tanquam Beatus coli, & de eo in die ipſius Natalis duodecima Novembris Officium & Miſſa celebrari valeat. Sæc. XVII. A. C. 1643.

§. LXXX.

Variæ SS. Congregationum deciſiones.

Emergentibus variis dubiis Sacræ Congregationes Romanæ ſequentibus decretis ſatisfacere ſtuduerunt, & quidem die ſeptima Februarii Sacra Concilii *Decret. SS. Congr. Concil. Rit. &c.*

Sæc. XVII. A. C. 1643. cilii Congregatio decidit, quod consuetudo Canonicorum recipiendi distributiones Matutinales, audiendo Concionem in Cathedrali in habitu Canonicali, non excuset in conscientia ab onere restituendi. Eadem Congregatio die vigesima prima Martii declaravit, quod Episcopo liceat punire Regulares, si qui indecentia vel prohibita in Ecclesiis suorum Ordinum circa Missæ sacrificium committant. Die autem decima octava Aprilis a Sacra Rituum Congregatione, approbante *ipso Urbano* Papa, declaratum, quod Communitates civitatum seu locorum non teneantur ex præcepto servare festa ex Voto earumdem indicta, eoquod sub præcepto duntaxat voventes teneantur. Decisum quoque die decima quarta Augusti a Congregatione S. Concilii, quod regulares, si sub Rosario palam Sacra Mysteria per exhortationes exponere velint, Ordinarii benedictionem petere teneantur: Episcopus quoque vel ejus Vicarius teneatur dare literas approbationis iis, qui fuerunt approbati ab Examinatoribus, ad confessiones, quamvis certus in conscientia credat, hujusmodi approbatos esse minus idoneos; quia ipsius non est reprobare approbatos.

Prohibentur etiam Regulares, ne Eucha-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Euchariſtiam proprio arbitrio ad infirmos deferant: Dubitatum quoque fuit, an Epiſcopo prædicanti ex ſolito ſuggeſtu, ſine Baldachino & in Mozetta & ſtola, Canonici & Dignitates aſſiſtere teneantur? Sacra igitur Rituum Congregatio die decima nona Decembris negando reſpondit, niſi quando Epiſcopus cum Pluviali & Mitra, ad præſcriptum Cæremonialis Epiſcopalis prædicare voluerit.

§. LXXXI.

Joannis Vergeri San-Cyrani Abbatis obitus, ejusque opera.

Janſenianæ Hiſtoriæ ſeries depoſcit, ut vitam, obitum, & opera Joannis Vergerii de Hauranne ſuccincte exhibeamus, ſuſpenſo de ejus Orthodoxia judicio. Erat hic nobili genere Bajonæ ortus, ac primævo naturæ beneficio ad literas natus, quibus, ut ingenium ſuum magis excoleret, ſuadente Bertrando d'Eſcaux Bajonenſi Epiſcopo, primum Pariſios, demum Lovanium contendit, arcta familiaritate Juſto Lipſio, ac poſtea Cornelio Janſenio junctus; unde evenit, quod Vergerius primarius Janſenismi author, parensque a Moliniſtis dicatur: Morabatur aliquamdiu Vergerius Pariſiis, Janſe-

Sammarth. Gall. Chriſt. t. 4. p. 830. Brice deſcript. de Paris.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

nio autem inde Bajonam profecto a præfato Episcopo Cathedralis Ecclesiæ Canonicus renuntiabatur, postea autem a Ludovico Rocheposeo Episcopo Pictavensi Parisios denuo evocatus, atque ad Aulam invitatus, singularia eruditionis pietatisque specimina edidit: an tum virtutis simulatio in fronte emicuerit, intus vero hæretica latuerit fallacia, sibi solis compertum credunt ejus adversarii; id tamen unanimi omnium consensu certum, quod ingentem vitæ austeritatem ac reformandæ Ecclesiæ Zelum præsetulerit, & totum sese evolvendis Sacris Conciliis, & Patribus, ac revocandæ veteris disciplinæ Ecclesiasticæ antiquorumque Canonum studio dicarit: Inde vero Vergerius tantam sui æstimationem sibi comparabat, ut procurante præfato Episcopo Abbatiam Sancti Cyrani, quam Mater Angelica Arnaldina Regi cesserat, obtineret. Hoc dignitatis gradu tantopere creverat San-Cyrani fama, ut Berullus Cardinalis, S. Vincentius a Paulo, P. Gondrenus Oratorii Sacerdos, aliique Viri pietate & scientia clarissimi cælestem doctrinam hauriendi aviditate animati consortium hujus Viri ambirent, multique sese ejus directioni subjicerent, præsertim Moniales, atque inter eas Religiosæ in Abbatia Portus Regii,

Regii, quarum potiſſimæ Vergerii doctrinam eloquentiæ, verborumque profluvio, ac ſublimioris aſceſeos ſpecie velatam pro oraculo habebant: Cum vero non idem omnium de Vergerii doctrina ſenſus eſſet, & non pauci periculoſas novitates ab eo ſpargi crederent, crebræ exin turbæ, rumores ac querelæ oriebantur, quibus tandem concitatus Cardinalis Richelius, inſtigante P. Joſepho Capuccino, Vergerium die decima quinta Maij anno hujus Sæculi trigeſimo octavo in Vicennenſem carcerem detrudi juſſit: ut datas offenſiones elueret, & ad ſaniora reverteretur, non autem, ut ipſemet ſcripſerat, *ut illuc veſtigia S. Thereſiæ, ejusque de rebus Divinis doctrinam quam proxime ſequi ſatageret.* Hæſit in hoc carcere annos ferme quinque, ubi epiſtolas ſuas ſpirituales a quindecim Præſulibus approbatas, & ab Arnaldo Andillyo editas conſcripſit, tantamque pietatis, ac ſanctimoniæ ſpeciem præſetulit, ut Joannes de Werth Bavarici exercitus Bellidux, quem Richelius Cardinalis a quadam magnifica comœdia ad Vergerii carcerem conduxerat, cuidam Epiſcopo, qui huic drammati intererat, palam hæc dixiſſe feratur: *nil magis mirandum in Galliis vidi, quam Sanctos in carceribus, & Epiſcopos in thea-*

Sæc. XVII. A.C. 1643.

Epiſt. ſpirit. ep.23. p.179. edit. I.

Sæc. XVII. A.C. 1643. *theatris.* Tandem vero Vergerius post Richelii Cardinalis obitum procurante Chavignio Regiæ Curiæ Secretario, & Molano Præside hoc anno libertati redditus est, octavo tamen post Mense die undecima Octobris, sexagesimo secundo ætatis suæ anno apoplexia tactus recepto S. Viatico, & unctione in ædibus suis decessit, sepultus in claustro Ecclesiæ ad Sanctum Jacobum, funebre Sacrum solemni ritu celebrante Caumartino Ambianensi Episcopo.

Scripsit Vergerius præter famosum illud opus *de jure Episcoporum* sub nomine *Petrus Aurelius*, etiam *Theologiam familiarem*, de utriusque hujus libri fatis paulo ante mentionem fecimus: Præterea epistolæ S. Augustini *de Virginitate* notas adjecit, in quibus tamen statum conjugalem contra Divi Pauli doctrinam 1. ad Corinthios cap. 7. v. 32. 33. & 34. Virginali præferre, votaque nil ad Christianam perfectionem addere, nec ea, nisi pro imperfectis esse bona, asseruisse videtur: Suum nomen huic operi præfigere haud ausus, P. Claudium Seguenotium Oratorii Sacerdotem rogabat, ut nomen suum mutuum dare vellet (*): uterque tamen pro-

Vid. supra §. 20. p. 590. & §. 66. pag. 711.

(*) Dupinus Hist. Sæcul. XVII. p. 190. censet, Patrem Seguenotium extitisse harum annotationum Authorem. Vide supra lib. 199. §. 82. pag. 281. & 286. Tom. 60.

propterea carceri fuit incluſus, hic Baſtillæ, ille Vicennarum: liber vero a Sorbona damnatus eſt. Porro ex primis Vergerii elucubrationibus erat *quæſtio*, ſeu *caſus Regius*, in quo tamen ſuicidium commendaſſe redarguitur: ceterorum, quæ edidit, tituli ſunt. I. Explanatio rituum Miſſæ II. Exercitationes pro rite audienda Miſſa. III. Cor novum. IV. Ritus pro ſuſpendendo S. Sacramento. V. Conſiderationes Chriſtianæ in Evangelia totius anni. VI. Epiſtolæ de diſpoſitione ad Sacerdotium. VII. Cogitationes Chriſtianæ circa paupertatem. VIII. Explicatio Myſteriorum in Eccleſiæ officio contentorum, & Meditationes Chriſtianæ de morte præter plurimas epiſtolas iterato excuſas. Sæc. XVII. A.C. 1643.

§. LXXXII.

Scriptores Eccleſiaſtici hoc anno denati.

Inter Scriptores Eccleſiaſticos hoc anno defunctos primum locum ſibi vendicat Henricus Spondanus, qui Malleoſolii in Vaſconia ex Parentibus quidem Nobilibus, ſecta tamen Calvinianis natus, ipſum Henricum Borbonium, poſtea Franciæ Regem in Patrinum habuit: Jam a primis annis ingenium ad *Nicer on. Erud. not. t. 8. p. 263. Miræus Script. Sæcul. XVII.*

Sæc. XVII. A. C. 1643.

ad omnes scientias aptum præseferebat, ac literarum humaniorum curriculum Ortheſii in Calviniano Gymnaſio feliciter emenſus, Græcum, & Scoticum idioma, necnon utriusque jurisprudentiæ ſcientias tam profunde exhauſerat, ut Legationis Regiæ comes in Scotiam decerneretur, ac inde redux Turonii Cauſſidicum ageret; demum vero ab Henrico IV. Rege libellorum ſupplicum Magiſter renuntiatus, Theologiæ ac præprimis Polemicis Perronii & Bellarmini lucubrationibus tam ſedulam navabat operam, ut agnitis ſectæ ſuæ fallaciis ad exemplum Fratris ſui Joannis, qui jam antea Calvinum ejuraverat, Pariſiis anno ætatis vigeſimo ſeptimo, & Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto die vigeſima prima Septembris ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reverteretur: Quinto poſt anno cum Surdiſio Cardinale Romam provectus, cum Præconum ſuorum convitia, & mendacia adverſus Papam, Cardinales & Eccleſiam a teneris ſibi inſtillata contrario experimento detexiſſet, magis adhuc in vera fide firmabatur, ac ſexto poſt anno Sacerdotio initiatus, atque a Paulo V. expediendis Sacræ Pœnitentiariæ literis admotus, poſtmodum in Gallias reverſus eſt, ubi a Ludovico XIII. ad Apamienſem Epiſco-

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Episcoparum nominatus, hanc dignitatem nonnisi ex Urbani VIII. Papæ mandato invitus suscepit, ac die decima sexta Augusti a Cardinale Marquemontio Lugduni inauguratus est. Tum suam Diœcesin ab hæreticorum fœce expurgavit, erectisque Seminariis, atque instituta Congregatione Ecclesiastica pristinam Ecclesiæ disciplinam revocavit: Demum dignissimus hic Præsul, postquam per plurimos annos reditum suum ad Ecclesiam Catholicam ex vero Dei vocantis impulsu, & veritatis cognitione ortum fuisse, constanti vitæ suæ sanctimonia, & supremi Capitis veneratione comprobatum reddiderat, die decima octava Maij Tholosæ annos natus septuaginta quinque pie in Domino obiit.

Edidit primo librum de cæmeteriis Sacris, a quibus jure Protestantes excludi demonstrabat. II. Annales Ecclesiasticos Cæsaris Baronii in Epitomen redactos. III. Annales Sacros a mundi creatione ad ejusdem redemptionem. IV. Annalium Baronii continuationem ab anno 1197. quo hic desiit, usque ad annum 1640. V. Constitutiones Synodales.

Alter erat Joannes Jobertus de Banaut primo Vasatensis Episcopus, postea Arelatensis Archipræsul, qui librum sub

Sæc. XVII. A. C. 1643.

ſub titulo: *Clypeus fidei contra hæreticos*, edidit. III. Marcellus Franckemius Kleſelio Cardinali & Philippo IV. Hiſpaniarum Regi a ſecretis, qui fidem Bohemo-Palatinam, Achilem πάνοπλου, expeditionem Sicambro-Batavam ad fidem & veritatem antiquorum, Pædagogum Hallenſem, librum contra Grotium de jure belli, præter plura alia ſcripſit. IV. Petrus Clavarinus Ord. S. Benedicti Abbas, qui præter Muſarum plauſum Peruſii excitatum edidit problema, *primone, an poſtremo genitus Patris amorem promereatur?* V. Secundus Lancellotus Ordinis Olivetani Generalis, qui præter Ordinis ſui Hiſtoriam vulgavit librum ita inſcriptum: *Uſus modernus*, ſeu modernæ indoles. VI. Philippus Baſtide Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, qui ſcripſit diſſertationem de Gallicana propagatione Ordinis S. Benedicti, & ſuæ diſſertationis elucidationem contra Patrem le Cointe. VII. Raymundus Odo de la Motte ex eadem Congregatione præclo paratum habebat Martyrologium Franciæ, ſed a Suffaio Tutellenſi Epiſcopo præventus, ſuam eidem æque ac Mabillonio in concinnandis actis Sanctorum conjunxit operam, honoremque utrique ceſſit. VIII. Paulus Guldin Jeſuita ſcripſit refutationem Elen-

Elenchi Calendarii Gregoriani præter problema Geographicum de discrepantia in numero & demonstratione dierum. IX. Alvarus de Armanta ex eadem societate edidit pactionem cum B. Virgine, & contractum spiritualem hominis cum Deo, necnon encomia Eucharistica. X. Josephus Augustin itidem Jesuita sub nomine Decii Cyrilli prælo subjecit notitiam eorum, quæ scita sunt necessaria Confessariis præter commentaria in primam partem D. Thomæ. XI. Dominicus Gravina ex Ord. FF. Prædicatorum, qui contra omnes hæreses elegans opus decem tomis vastum de Catholicis Præscriptionibus conscripsit: edidit quoque de Religioso Statu opuscula sub titulo: *Vox turturis* præter confutationes Marci Antonii de Dominis, & plusquam triginta alia opuscula partim edita, partim prælo parata. XII. Adrianus Cardinale ex eodem Ordine, scripsit lectiones eruditissimas in librum Judicum, præter varia in Sacram Scripturam opuscula, & volumen satis amplum Concionum dictis Sanctorum Patrum egregie exornatarum. XIII. Melchior de Soria Toletani Archiepiscopi Coadjutor præter plura alia tractatum de justificatione vulgavit. XIV. Joannes Baptista Valenzuela Salmanticensis Episcopus posteritati

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Sæc. XVII A. C. 1643.

tati reliquit vetera Hiſpaniæ monumenta, & varia conſilia.

§. LXXXIII.

Ex Proteſtantibus Scriptores quidam hoc anno fatis functi.

Freher. Theatr. Erud. part. 1. ſect. 3. Niceron. notit. Erud. t. 4. p. 99. Mabillon. in lib. de ſtud. Monaſt. Ep. Remonſtr. pag. 473.

His addere lubet quosdam Proteſtantes Scriptores, qui hoc anno mortui quasdam lucubrationes poſteris reliquere: horum primus eſt Philippus Pareus, qui catecheſin Religionis Chriſtianæ, commentaria in Epiſtolas D. Pauli ad Romanos, Epheſios & Philemonem, libros tres de Deo uno contra Atheos, & Theologiam Symbolicam de Sacramentis edidit. II. Georgius Daſenius ſcripſit orationem ſæcularem, de annorum Jubilæorum origine, & de cometa anni 1618. III. Simon Epiſcopius præcipua ſectæ Arminianæ columna, Vir acris quidem, turbidi tamen, & mordacis ingenii, quem in Scepticismum, Sociniaſmum aliosque errores ex immodica ſectam ſuam dijudicandi libertate incidiſſe referunt Calviniſtæ: redarguitur etiam, quod cum magno ceterorum Prædicantium contemptu peccatum originale inter Arminianos primus acriter impugnarit, & Polyandrum Præconem acerbis his verbis in quadam epiſtola deriſerit: *Heri diſputabat Polyander de Peccato originis. Eheu! quam miſere! vix dixerim, quam multa*

multa ἄτοπα & absurda responsa sint: Erant, qui dicerent, Theologiam animam agere, & Peccato originali exequias fuisse factas; unum admiratione dignum est, quod cum tam manifeste sæpe prematur, mirifice tamen sibi placeat, neque magis sentiat, quam si Elephanti corio tectus esset. Eapropter hujus viri memoria Calviniſtis oppido exoſa eſt, Mabillonius tamen de eo aſſerit, quod ſi quædam loca in Epiſcopii Inſtitutionibus corrigerentur & contra Catholicos diſputata tollerentur, utiliter illæ ad ſtudium Theologicum adhiberi poſſent: Rumor quoque ſerpebat, quod anno hujus ſæculi decimo quinto Pariſios profectus, ad extirpandam Calvini ſectam cum Catholicis conſpirarit. Deceſſit ſexagenarius Amſtellodami die quarta Aprilis: Scripſit I. præfatas inſtitutiones Theologicas, in quibus tamen aſſerere non dubitavit, dari quosdam fidei articulos certos, & omni tempore pro fundamentalibus veritatibus receptos, quin tamen eos credere ad ſalutem neceſſe ſit, II. Edidit conciones duas de cauſſis incredulitatis Judæorum. III. Quæſtionem agitatam, an homini Chriſtiano liceat Magiſtratum gerere. IV. Reſponſionem ad Patris Wadingi epiſtolas de Regula fidei, & cultu Imaginum. V. Circulum Pontificium. VI. Reſponſionem ad decem dilemata cujusdam Pontificii Doctoris.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

Sæc. XVII. A. C. 1643.

VII. Tractatum de libero arbitrio. VIII. Synodi Dordracenæ crudelem iniquitatem præter plura alia ejusdem argumenti. IV. Joannes Steubergus, qui posteris reliquit dissertationes Theologicas de controversiis inter Lutheranos & Calvinistas, Theologiam moralem, & tractatum de triplici conscientia. V. Nicolaus Hunnius, cujus opera sunt, demonstratio Ministerii Lutherani, disquisitio Theologica de dissensu doctrinæ Lutheranæ & Reformatæ, Capistrum contra Lancellotum, Innocentia Lutheranorum contra Authores libri de pacis compositione, & pellis ovina Romanæ Ecclesiæ detracta præter alia prælo indigna. VI. Samuel Petitus, qui varia de chronologia Judæorum, & de ritibus Veteris & novi Testamenti publici juris fecit. VII. Andreas Kleslerus, qui prælo subjecit suam casuum conscientiæ Theologiam, methodum convertendi hæreticos, necnon bellum Religiosum Petri Apostoli & Papæ Romani, præter Diætam Christianam, aliaque opuscula contra Patrem Forerium. VIII. Joannes Kromayerus edidit Examen libri Christianæ Concordiæ, & Harmoniam Evangelistarum præter alia nullius omnino momenti opuscula. IX. Andreas Halwigius, qui suam ignorantiam nimis luculenter patefecit edito libro: cui titulus: *Anti-Christus Romanus in numero Apocalyptico* DCLXI. *proditus*, edidit quoque carmen de homine Christiano. X. Stephanus Stein vulgavit examen Confessionis Orthodoxæ de Persona & officio Christi contra Combachium. XI. Samuel Wardus edidit Magnetis reductorium Theologicum, suffragium collegiale de quinque articulis Remonstrantium, Concionem de gratia discriminante, commentaria in Mathæum, scriptum contra Hobbæum, pluraque alia opuscula Theologica.

INDEX

INDEX
TOMI LX.

A.

Academia Gallica Parisiis erigitur, 49.
Adelgreiffius Joannes fanaticus Propheta Lutheranus capite plectitur, 109.
Afflictis Hennibal ejus opera & obitus, 289.
Albertus Sigismundus Bavariæ Dux in Frisingensem Coadjutorem cooptatur, 429.
Aldobrandinus Hyppolitus Cardinalis moritur, ejus elogium, 265.
Alenconiense Calvinistarum conciliabulum, 174. ibi increpatur Amyraldus, 183.
Allbonus Franciscus moritur, quænam scripserit, 366.
Alphonsus a S. Hilarione Carmelita Discalceatus, quænam ediderit, & quando decesserit, 684.
Alphonsus a Matre Dei Carmelita Excalceatus, ejus opera & obitus, 66.
Alteriis de Joannes Baptista, abUrbano VIII. Papa Cardinalium Collegio adscribitur, 378.
Alvarus Almantana, ejus mors & opera, 751.

Alvarez Didacus Ord. Præd. quosnam libros ediderit? 67.
Amesius Guilielmus, ejus mors & scripta, 366.
Amurathes Turcarum Imperator de pace cum Cæsare agit, 95. Persas profligat, 234. Bagdatum eis eripit, 235. contra Venetos arma parat, 237. moritur, 437.
Amyraldus Moyses ejus controversia cum Spanheimio, 179. Prædicantibus illudit, 183.
Andrea Balthasar, ejus opera & obitus, 68.
Angli, vide *Puritani*, *Scoti*. Scotos sollicitant ad implorandam Gallorum opem contra Regem suum, 335. varias querelas contra Regem suum deferunt, 414. læsæ Majestatis reos protegunt, 415. iniqua a Rege petunt, 225. plures Regi addictos morti destinant, 499. Episcopos dire vexant, 500. Regem suum atrocibus & indignis convitiis proscindunt, 646. populum contra illum concitant, 647. ad iniquas conditiones compellunt, 650. injuste accusant, 651. fugere compellunt, 655. eidem bellum denuntiant, 653. in omnibus Regi repugnant, 658. Regi addictos vexant, 658. eidem pecuniarum suppetias intercipiunt, 660. simulate pacis conditiones, iniquissimas tamen offerunt, 662. Regem de variis accusant, 666. eum aufugere compellunt, 668. crudeliter illum vexant; & contemnunt, 725. vide *Scoti*, Puritani.

Aral-

Araldus Jesuita, ejus libri condemnantur, 720.
Armandus Ignatius S. J. ejus opera & obitus, 290.
Arnaldistæ a Portu Regio ejiciuntur, 357.
Arnaldus Antonius, ejus liber *de frequenti communione*, 712. defenditur, 713. a Condæo Principe & aliis impugnatur, 714. ipsemet Romam venire jubetur, 715. ejus liber damnatur, 716.
Arnheim Joannes Bellidux Cæsareus moritur, 601.
Attritio naturalis, Jesuitæ eidem nimium tribuunt, 720.
Augustana Urbs a Cæsareo - Bavaris arcte cingitur, 14. horrenda fame premitur, 16. occupatur, 17. deditionis articuli primum rejiciuntur, postea correcti acceptantur, 18. 25. non Augustana confessio sed Calviniana ibidem ante & post pacem Passaviensem prævaluit, 33.
Augustin Josephus S. J. ejus obitus & scripta, 751.
Augustus Brunsvicensis Dux moritur, 113.

B.

Bacmeister Lucas, ejus scripta & mors, 296.
Balcus Josephus moritur, ejus lucubrationes, 447.
Ballas Joannes, quænam scripserit, & quando obierit, 449.
Bannerius Suecus Bellidux nunc victor nunc victus, 75. 147. Cæsareos ex Pomerania

ejicit, 212. Bohemiam infestat, 312. Palatinatum Superiorem devastat, 451. Cæsarem Ratisbonæ intercipere molitur, 452. profligatur, 453.
Bardin Petrus ejus lucubrationes, & obitus, 207.
Barcinonenses Hispanorum jugum excutiunt, 402.
Baunii Jesuitæ liber a Parisiensi Facultate censuris notatur, 320.
Baur Andreas, ejus libri, & obitus, 297.
Baxius Nicasius ejus scripta & mors, 681.
Bellum in Italia inter Hispanos & Gallos, 90.
Bernal Augustinus Jesuita, moritur, quænam scripserit, 683.
Berneggerus Mathias, ejus scripta & mors, 449.
Bessoldus Christophorus a Lutherana secta ad Catholicam fidem revertitur, 54. moritur, ejus opera, 280. suæ conversionis occasio, 294.
Bethlenii Principes a Ragotsio divexantur, 97.
Biarotte Joannes Ord. FF. Prædicatorum, Regem ob apostasiam excommuniari posse defendit, 672. suam propositionem excusat, 673. a Facultatis Theologicæ gremio excluditur, 674.
Biscia Lælius Cardinalis, ejus obitus, 266.
Bohsius Samuel, moritur, quænam scripserit, 367.
Boisius Joannes Anglus, quænam lucubrarit, & quando obierit, 449.

Bollandiſtæ, prima eorum opera, 722.
Boncompagnus Franciſcus, ejus obitus, & elogium, 597.
Boudotus Paulus Marci Antonii de Dominis librum refellit, 65.
Bourgheſius Petrus Maria Cardinalis, ejus vita & obitus, 644.
Bozius Franciſcus, ejus mors & opera, 65.
Bragadenus Marcus Antonius ab Urbano VIII. Purpura decoratur, 599.
Bragantius Joannes Dux Olivarii inſidias eludit, 404. a conjuratis Luſitanis in Regem eligitur, 407. in ejus vitam conſpiratur, 564. rei plectuntur, 567.
Brancaleo Joannes Baptiſta, ejus ſcripta & obitus, 651.
Briſaccum a Suecis occupatur, 217, hanc urbem ſibi Franciæ Rex contra Vinarienſem ſibi vendicat, 303. 347.
Bullionius Dux arma in Franciæ Regem ſumit, 459. Regi conciliatur, 461. ob conſpirationem plectitur, 624,
Burhill Robertus, moritur, quænam ſcripſerit? 609.
Bzovius Abrahamus, ejus opera & obitus, 208.

C.

Campronius Franciſcus Dominicanus, moritur, quænam ſcripſerit, 683.
Caetanus Aloyſius Cardinalis, ejus obitus, & elogium, 643.
Cæſius Petrus Collegio Cardinalium ab Urbano VIII. adſcribitur, 599.

Calviniſtæ Thiennæ in Brabantia in Catholicos dire deſæviunt, 41.
Campanella Thomas, ejus fata, obitus, & opera, 365.
Camporeus Petrus Cardinalis, ejus vita, mors, & elogium, 735.
Cantacrucia Princeps Carolo Lotharingiæ Duci nubit, 463. de valore hujus matrimonii diſceptatur, 463. Jeſuitæ & alii illud validum pronuntiant, 463. ſe a ſuo Marito ſeparare jubetur, 465.
Caracia Archangelus Ord. FF. Præd. moritur, quænam ediderit? 683.
Caroli Philippus, ejus opera & obitus, 364.
Carolus IV. Lotharingiæ Dux contra Franciæ Regem arma ſumit, 459. in Regis gratiam redit, 462. ſuum matrimonium diſſolvi petit, 462. Cantacruciæ Principi nubit, 463. hoc matrimonium a Papa nullum, ab aliis validum pronuntiatur, 463. a Gallis ad Auſtriacos deficit, 467. iterum ad Gallos redit, 470.
Carolus I. Angliæ Rex Liturgiam novam Scotis obtrudere nititur, 117. ſeditioſos Scotos incaſſum placare ſtudet, 191. iniqua a Puritanis tolerat, 193. complacere ſatagit, 253. 255. illos ad obſequium revocare nititur, 256, Liturgiam revocare paratus eſt, 259. Puritanorum comitia diſſolvit, 261. ſeditioſos componere parat, 327. ejus auctoritas deprimitur, 331. belli in Scotos æquitatem vindicat, 409. Parla-

Parlamentum in Anglia habet, maximo ſuo damno, 412. ejus exercitus a Scotis profligatur, 419. atrocibus convitiis appetitur, 649. iniquis conditionibus ſubſcribere & aufugere compellitur, 651. ancipiti Marte pugnat, 723. turpiter contemnitur, 724. inique a rebellibus accuſatur, 730.

Carolus Bavariæ Dux moritur, 429.

Carolus Ludovicus Princeps Palatinus a Gallis capitur, 307. ad Principum preces liberatur, 310.

Cataloni Hiſpanorum jugum excutiunt, 399. Pro-Regem trucidant, 401. Hiſpanos cædunt, 620.

Cellotius Ludovicus Jeſuita, ejus propoſitiones damnantur, 472. illas revocat, 473. ſed ſubdole confirmat, 484.

Centinus Felix Cardinalis moritur, 590.

Centinus Jacobus cum aliis vitæ Pontificis inſidiatur, 57. ipſe, ejusque complices morte plectuntur, 133.

Cera Franciſcus Adrianus, ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiatur, 739.

Chriſtianus Daniæ Rex pacem conciliare nititur, 75. pacis negotiationibus certum diem præfigit, 687.

Ciacrus Felix, quænam ſcripſerit, & quando deceſſerit, 682.

Cimmartius Henricus cum Hiſpanis adverſus Richelium Cardinalem conſpirat, 622. detecta conjuratione capite plectitur, 623.

Clavarinus Petrus Ord. S. Benedicti, ejus opera & deceſſus, 750.
Coccinus Joannes Baptiſta, ejus mors & lucubrationes, 607.
Collado Didacus Ord. FF. Præd. ejus obitus & opera, 290.
Colonia a Suecis devaſtatur, 611.
Concilia, Conciliabulum Alenconienſe Calviniſtarum, 174. Græcorum Conſtantinopolitanum, 250. Namurcenſe, 366. Audomaropolitanum, 450. Culmenſe, 605. Conſtantinopolitanum, in quo Cyrilli Lucaris fides damnatur, 669. & Græcos nullatenus cum Calviniſtis, bene tamen cum Catholicis præcipue circa Euchariſtiam conſentire probatur, 672. Tornacenſe, & Antverpianum, 733.
Condren Carolus, ejus obitus, & ſcripta, 607.
Congregatio Filiarum charitatis a Ludovica de Marillac inſtituitur, 720.
Congregationes Romanæ, earum deciſiones, 61. 126. 203. 208. 440. 602. 677. 740.
Connaus Georgius moritur, ejus lucubrationes, 447.
Conſtantin Robertus, ejus Theſes a Pariſienſi Facultate notantur, 384. retractat ſuas propoſitiones, 389.
Contzen Adamus S. J. ejus opera & obitus, 65.
Corbet Joannes moritur, quænam lucubrarit? 610.
Cordeſius Joannes, ejus obitus, & lucubrationes, 606.

Coſacci

Cosacci seditionem concitant, 232. compescuntur, 233.
Costagutus Vincentius ab Urbano VIII. Purpuratorum Collegio accensetur, 739.
Crequius Franciæ Marescallus moritur, 298.
Cupisus Franciscus ob apostasiam a Sorbona ejicitur, 159.
Cyrillus Lucaris olim Patriarcha Constantinopolitanus, a Turcis trucidatur, 248. ejus errores a Synodo Constantinopolitana damnantur, 250. denuo in Concilio ejus confessio proscribitur, 669.

D.

Davenantius Joannes, ejus scripta & mors, 450.
De-Cea Didacus, ejus lucubrationes, & decessus, 448.
Desenius Georgius, varia ejus scripta, 71.
Dietrich Conradus, moritur, quænam scripserit, 367.
Dietrichstein Franciscus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 111.
Dieu de Ludovicus, quænam ediderit, & quandodecesserit, 685.
Dompsius Franciscus, ejus opera & obitus, 67.
Dongius Joannes Stephanus, ab Urbano VIII. Purpuratorum Collegio adscribitur, 739.
Doria Joannes Cardinalis, ejus obitus & elogium, 645.
Dositheus ab Angelis, Carmelita Excalceatus moritur, ejus lucubrationes, 448.
Drabitzius Nicolaus ejus deliria, 239. Ragotio

gotsio falsa prædicit, 240. eundem contra Catholicos concitat, 241. capite plectitur, 245.
Drexelius Jeremias S. J. ejus opera & obitus, 290.
Duate Ludovicus, moritur, quænam scripserit, 367.

E.

Elias a S. Theresia Carmelita Excalceatus, moritur, ejus lucubrationes, 448.
Elisabetha Bavariæ Ducissa moritur, ejus elogium, 58.
Episcopius Simon, Arminianorum Princeps, moritur, quænam scripserit, 71.
Estampes Achilles, ab Urbano VIII. Purpura Romana decoratur, 739.
Estensis Raynaldus Cardinalium Collegio ab Urbano VIII. adscribitur, 600.
Eudes Mezeraius Fundator Congregationis Eudistarum, 720.

F.

Fachinetus Cæsar, renuntiatur Cardinalis, 738.
Falconerius Lælius ab Urbano VIII. Romana Purpura decoratur, 738.
Fanaticus quidam rusticus secta Lutheranus varia prædicit, 104. plectitur, 106.
Fassolinus Benedictus, ejus opera, & obitus, 65.
Ferdinandus II. Imperator Pragæ pacem cum Saxoniæ Electore init, 1. eidem bona Ecclesiastica cedere statuit, 3. desuper

ſuper Theologorum ſententias exquirit, 5. Auguſtam, pluresque urbes recuperat, 15. 35. belli in Gallos moti æquitatem demonſtrat, 83. pacem cum Turcis agitat, 95. moritur, ejus elogium, 141.

Ferdinandus III. Cæſaris Filius exercitus Imperium ſuſcipit, 33. varias urbes recuperat, 35. in Cæſarem eligitur, 98. ejus electio impugnatur, 103. Suecos profligat, 145. Bredamurbem tradere cogitur, 153. plurima pro obtinenda paceGallorum fœderatis fruſtra concedit, 299. 377. comitia Ratisbonæ agit improſpero ſucceſſu, 378. ad pacem inclinat, 614. deſuper ſuam mentem explicat, 687. prævios pacis articulos promulgat, 688. Gallo-Suecos profligat, 693. in Auſtria ab hoſte haud ſecurus Filios ſuos Græcium transfert, 694. Gallo-Vinarienſes cædit, 693.

Ferdinandus Cardinalis Infans in Gallias irrumpit, 87. Leodienſes turbas componit, 90. Caroli Lotharingiæ Ducis nuptias declarat irritas, 463. moritur, ejus elogium, 595.

Feſti dies quidam ab Urbano VIII. Papa abrogantur, 675.

Fides ſola non juſtificat, 609.

Figueyredo Rodericus Jeſuita, ejus ſcripta & obitus, 683.

Franciotus Marcus renuntiatur Cardinalis, 200.

Fran-

Franciſcus Sabaudiæ Princeps moritur, 297.
Franckemius Marcellus, ejus opera & deceſſus, 750.
Francofordienſis Conventus pro pace reddenda, 615. ſuam mentem circa prævios pacis articulos congregati Ordines aperire jubentur, 687.
Fridericus Haſſiæ Landgravius ad fidem Catholicam revertitur, 127.

G.

Gabrielius Julius Cardinalis renuntiatur, 600.
Galaminius Auguſtinus ex Ord. FF. Prædicatorum Cardinalis, ejus geſta & obitus, 355.
Gallaſſus Cæſarei exercitus Dux infauſte dimicat. 85. Gallias invadit, 87. ex Pomerania ob inediam excedere cogitur, 212.
Gallicanæ Eccleſiæ libertates, varii tractatus colliguntur, a Regio Senatu proſcripti, 361.
Gœzius Cæſareus Bellidux nunc victor nunc victus, 79. Briſacci jactura eidem imputatur, 220.
Gaſto Aurelianenſis Dux arma contra Regem fratrem ſuum ſumit, 459. in Regis gratiam redit, 461.
Georgius Guilielmus Elector Brandeburgicus moritur, 429. ſuccedit Fridericus Guilielmus ejus Filius, 429.
Georgius Luneburgicus Dux moritur, 601.

Ginneſius Dominicus, ejus obitus & elogium, 351.
Giorius Angelus, ab Urbano VIII. Papa Romana Purpura decoratur, 739.
Goldaſtus Melchior moritur, ejus ſcripta, 69.
Gomarus Franciſcus Arminianos inſectatur, moritur, quænam elucubrarit, 609.
Gondius Franciſcus Pariſienſis Epiſcopus Janſenii doctrinam publice vel impugnari vel defendi prohibet, 709. Urbani VIII. Bullam acceptari, & Janſenii Auguſtinum proſcribi jubet, 707. San-Cyrani librum de frequenti communione damnat, 710.
Gonzaga Carolus Nivernii Dux moritur, 206.
Gordon Jacobus S. J. ejus ſcripta & deceſſus, 608.
Graſina Dominicus Ord. FF. Præd. varia ejus ſcripta & deceſſus, 751.
Gramajus Joannes, ejus opera & obitus, 68.
Gratzius Philippus Viennæ capite plectitur, 37.
Grimaldus Hieronymus ab Urbano VIII. Purpuratorum Collegio cooptatur, 738.
Gualterus Balthaſar, moritur, ejus ſcripta, 449.
Guebriandus multiplici clade a Cæſareis profligatur, 694. ex vulnere occumbit, 696.
Guidius Joannes Franciſcus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 593.
Guilielmus Haſſiæ Landgravius moritur, 204.
Guiſius Dux arma contra Regem ſumit. 459. fugere cogitur, 461.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Guldin Paulus S. J. moritur, 751. quædam evulgat, 751.
Gypſius Beringerius Cardinalis, ejus geſta & obitus, 353.

H.

Habertus Vabrenſis Epiſcopus contra Janſenii doctrinam declamat, 716.
Halwigius Andreas, ejus ſcripta & deceſſus, 71.
Hatzfeldius Comes ſeſe Suecis opponit, 312.
Hatzfeldius Franciſcus Herbipolenſis & Bamburgenſis Epiſcopus moritur, 680.
Hein Stephanus, recenſentur ejus ſcripta & fata, 71.
Henrieta Angliæ Regina, vide *Maria*.
Herrnſchmid Jacobus, moritur, quænam lucubrarit? 610.
Himmelius Joannes, quænam ediderit, & quando decefſerit, 685.
Hiquæus Antonius, ejus ſcripta & obitus, 608.
Hiſpani a Gallo-Batavis profligantur, 40. Gallo-Batavos cædunt, 220. 313. Salſulas urbem recuperant, 314. a Gallis profligantur, 568. prope Ilerdam cæduntur, 621. 698. apud Rocroam ingenti clade afficiuntur, 699.
Hollandi Luſitanos, omnesque Europæos in perpetuum a Japoniæ Regno excludunt, 427, Reginæ Angliæ clam ſuppetias ferunt, 724.
Hommius Feſtus, quænam ediderit, 684.
Höpfnerus Henricus, ejus deceſſus, & ſcripta, 686.

Huldri-

Huldricus Jacobus, ejus mors & opera, 295.
Hunius Nicolaus, moritur, ejus ſcripta, 754.

I.

Jakſonius Thomas, ejus ſcripta & obitus, 449.
Janſenius Cornelius ſuum *Martem Gallicum* contra Gallos edit, 80. creatur Yprenſis Epiſcopus, 82. ejus liber refellitur, 82. ejus obitus, 266. ejus opera, 271. relatio de ejus libro: *Auguſtinus*, 272. hic liber poſt ejus obitum typis vulgatur, 275. qua ratione de illius editione notitia haberetur, 276. motus contra ejus libri editionem excitantur, 576. ejus fautores contra Papæ Bullam ſcribunt, 589. Lovanienſis Univerſitas ejus doctrinam propugnat, 702. adverſus Bullæ Pontificiæ promulgationem reclamat, 703. duos Doctores Romam in hac cauſſa ablegat, 703. Janſeniſtæ in Galliis contra Bullam Urbani VIII. declamant, 706. varia ſcripta evulgant, 707. Janſenii ſubmiſſionem erga Eccleſiam ſequi debuiſſent, 710.
Japonia, Luſitani per Hollandos in perpetuum ab hoc Regno arcentur, 427.
Jeſuitæ contra librum ſub nomine Petri Aurelii editum ſcribunt, 590. acta Sanctorum edere incipiunt, 722. ex Inſula Melitenſi ejiciuntur, 723. quod ſuas approbationes pro excipiendis confeſſionibus non exhibuerint, accuſantur, 734.
Ildphonſus a Jeſu Maria Carmelita Excalceatus, ejus obitus & opera, 291.

Joannes Albertus Dux Megapolitanus moritur, 113.
Joannes Maria a S. Joseph contra Socinianos disputat, 66. ejus mors & opera, 67.
Joannes Georgius Saxoniæ Elector paci Pragensi subscribit, 2. propterea a fœderatis carpitur, 4. bona Ecclesiastica eidem asseruntur, 3. a Suecis hostiliter invaditur, 76.
Joannes Samson cæcus Carmelita, ejus scripta & obitus, 131.
Jonæ Suenon, quænam ediderit, & quando decesserit, 685.
Josephus Cappuccinus, ejus fata, opera & obitus, 291.

K.

Kleslerus Andreas, varia ejus scripta & decessus, 754.
Krakewitzius Bertholdus, quænam scripta posteris reliquerit, 654.
Kromayerus Joannes, recensentur ejus libri, & fata, 754.

L.

Lambojus Cæsareus Bellidux a Suecis ingenti clade afficitur, 611. capitur, 612.
Lancellotus secundus, moritur, quænam scripserit, 750.
Lapide a Cornelius S. J. ejus commentaria & obitus, 207.
Laudus Cantuariensis Archiepiscopus Regem ad plectendos Scotos incitat, 191. in carceres conjicitur, 426. eum Angli morti destinant, 498.

Leodienſes tumultuantur, 88. compeſcuntur, 90. novas turbas concitant, 155. plectuntur, 156.
Leopoldus Auſtriæ Archidux Suecos ex Bohemia ejicit, 369. Suecos profligat, 618.
Leopoldus Cæſaris Filius naſcitur, 369.
Liturgia nova in Scotia, tumultus propter eam, 118. 124. quare Scoti illam rejecerint? 523. quare novum Canonum librum non acceptarint? 551.
Lovanienſis Univerſitas Pontificio diplomati contra Janſenii librum ſe opponit, 702, duos Doctores Romam ablegat, 703. eorum colloquium cum Papa, & ejus Nepote, 704.
Loviot Franciſcus moritur, ejus ſcripta, 682.
Lubienskius Stanislaus Plocenſis Epiſcopus, ejus obitus & opera, 445.
Lucius Ludovicus, quænam ediderit, 685.
Ludovica de Marillac Matrona Gallica Congregationem Filiarum Charitatis, & domum pro expoſitis inſtituit, 721.
Ludovicus XIII. Galliarum Rex bellum Cæſari denuntiat, 11. cum Suecis fœdus pangit, 13. 227. 455. Hiſpanos fundit, 40. de æquitate hujus belli diſceptatur, 80. votum pro obtinenda prole maſcula nuncupat & exſolvit, 227. Beatam Virginem in Regni Patronam eligit, 229. prolem maſculam ſuſcipit, 230. Hiſpanos navali prælio devincit, 231. Proceres contra Regem conſpirant, 459. Rex a rebellibus cæditur, 460. Hiſpanos fundit, 688. ipſus

in acie consistens Hispanos profligat, 621. conjurantes in Richelii vitam plecti jubet, 625. moritur, ejus vita, 732.
Ludovicus XIV. Delphinus Franciæ nascitur, 227. suo Patri in Regno succedit, 733.
Ludovicus Suessionensis Dux arma contra Regem sumit, 459. Regios profligat, ipse vero trucidatur, 461.
Lugo Joannes Cardinalis renuntiatur, 379.
Lusitani Hispanorum imperium excutiunt, 403. Pro-Reges trucidant, 407. e Japonia in perpetuum ejiciuntur, 427. contra novum Regem conspirant, 565.
Lutherani in Posnanensibus comitiis contra Catholicos turbas excitant, 200.
Lutzovius Cæsaris Orator prævios pacis articulos promulgat, 688.

M.

Machiavellus Franciscus Maria Romana Purpura ab Urbano VIII. honoratur, 599.
Maculanus Vincentius Ord. FF. Prædicatorum Cardinalium Collegio ab Urbano VIII. cooptatur, 600.
Madloniana legio una cum Duce suo ob ignaviam plectitur, 620.
Malfius Joannes, ejus scripta & decessus, 296.
Maria Henrieta Angliæ Regina a Puritanis divexatur, 115. in jus vocare eam præsumunt, rebelles Angli, 505. in Hollandiam aufugit, 505. 653. redux etiam belli tormentis impetitur, 724. perduellionis rea ab Anglis accusatur, 728. contra seditiosos victrix pugnat, 729.

Maria Medicæa Franciæ Regina, ejus fata & obitus, 679.
Marinus Didacus Carmelita, ejus obitus & ſcripta, 208.
Matheius Caſpar ab Urbano VIII. Purpura Romana decoratur, 738.
Mattos Joannes Bragæ Archiepiſcopus novum Luſitaniæ Regem ſolio deturbare molitur, 565. detecta conjuratione plectitur, 567.
Mauden David, ejus ſcripta & obitus, 607.
Maximilianus Bavariæ Elector mortua conjuge Ferdinandi II. Cæſaris Filiam ducit, 59. Palatinatum reſtituere ſub certa lege paratus eſt, 613.
Maximilianus Henricus Bavariæ Electoris Nepos in Colonienſis Archiepiſcopi Coadjutorem eligitur, 680.
Mazarinus Julius ab Urbano VIII. Purpura Romana decoratur, 600.
Mazqueret Joannes Carmelita, ejusdem libri & deceſſus, 684.
Mædicæa Franciæ Regina in Angliam ad ſuam Filiam proficiſcitur, 328.
Mede Joſephus ejus ſcripta & deceſſus, 296.
Meelführer Joannes, moritur, quænam ſcripſerit, 449.
Merckius Andreas, ejus ſcripta & obitus, 449.
Mercius Bavarici exercitus Dux Gallo-Suecos profligat, 694.
Monaſterium, ibidem communis pacis articuli præliminares promulgantur, 688.
Moncada Franciſcus, ejus opera & obitus, 65.

Montaltus Franciſcus Cardinalis ab Urbano VIII. renuntiatur, 600.
Moravia a Suecis devaſtatur, 616.
Movius Caſpar, moritur, quænam ſcripſerit, 367.
Murea Chriſtophorus, ejus ſcripta & obitus, 607.
Mutus Tiberius Cardinalis, ejus obitus, & elogium, 110.

N.

Neſſelius Nicolaus, ejus ſcripta & obitus, 681.
Nicolina Lotharingiæ Duciſſa Carolo Lotharingiæ Duci nubit, 426. repudiatur a ſuo Marito, 263. ejus connubium validum fuiſſe deciditur, 465. 471. in Gallias profugit, 466. denuo a ſuo Marito in conjugem acceptatur, 469. novum adhibere conſenſum renuit, 469. de ſua ſecuritate idonee ſibi caveri petit, 470. moritur, 471.
Nigrinus Guilielmus, ejus ſcripta & deceſſus, 290.
Nouat Jacobus S. J. ſe quicquam contra Arnaldi librum dixiſſe negat, 719.

O.

Odo della Motte, quænam ſcripſerit, & quando mortuus fuerit, 750.
Odoardus Parmæ Dux a Barberinis vexatur, 569. bellum movet in Papam, 571. injus interminato anathemate vocatur, 572. a Venetis & Florentinis ſuppetias accipit, 573. pax redintegratur, 575.
Olivarius ſupremus Hiſpaniæ Miniſter Catalonos acerbius vexat, 399. horum ſeditio-

ditionem promoviſſe dicitur, 400. fruſtra Joannem Bragantium capi tentat, 404.
Optatus Gallus, liber ſub hoc titulo a Carolo Herſento editus, 381. tumultus inde oriuntur, 382. hic liber proſcribitur, 382. & refellitur improſpero ſucceſſu, 382.
Oregius Auguſtin. Cardinalis, ejus obitus, 60.
Oſiander Lucas, miſerabilis Præco, ejus mors & opera, 294.
Osnabruga ibidem pacis negotiatio inchoatur, 688.

P.

Palatini Principes ab Anglis ſuppetias ferunt, 223. a Cæſareis profligantur, 224. ſuas dignitates repetunt, 613.
Pancirolus Joannes Jacobus ab Urbano VIII. Romana Purpura decoratur, 738.
Panormo Hieronymus, ejus ſcripta & obitus, 682.
Pareus Philippus, moritur, quænam ediderit, 72.
Parthenius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Synodo Cyrilli Lucaris errores damnat, 669.
Pariſienſis Facultas Theologica varios libellos proſcribit, 52. 53. ejus cenſura in libros Milleterii, 163. Seguenoti annotationes damnat, 281. epiſtolam nuncupatoriam Joannis Fabri perſtringit, 287. varias propoſitiones ex libro P. Baunii Jeſuitæ configit, 329. Conſtantini theſes cenſuris notat, 384. Cellotii Jeſuitæ propoſitiones damnat, 472. Biarotum a ſuo gremio excludit, 673.

Paſmanus Petrus Cardinalis pacem Pragenſem approbat, 7. moritur, ejus elogium, 196.

Pax Pragenſis inter Ferdinandum III. Cæſarem & Saxoniæ Electorem, 1. hanc Saxoni ſuadet Mathæus Hoe Præco Lutheranus, 2. agitur de ejus æquitate, 5. illius articuli, 8.

Peire de la Jacobus, moritur, quænam ſcripſerit, 682.

Peireſeius Nicolaus, ejus opera & obitus. 206.

Perez Antonius ejus obitus, & lucubrationes, 207.

Petræus Nicolaus, moritur, quænam ſcripſerit? 609.

Petrus Aurelius, fictum nomen cujusdam libri ab Abbate San-Cyranno ſcripti, 590.

S. Petrus Forrerius, ejus vita & obitus, 441.

Philippus Auguſtus Cæſaris Filius moritur, 369.

Philomarinus Aſcanius ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiatur, 599.

Pilus Joannes Baptiſta, quænam ſcripſerit: & quando mortuus fuerit? 682.

Pineda Joannes, ejus opera & obitus, 208.

Pius Carolus Cardinalis moritur, ejus elogium, 592.

Placæus Joſua ejus hæreſis de peccato originali, 432.

Polus Fauſtus ab Urbano VIII. Cardinalium Collegio adſcribitur, 738.

Polyander Joannes moritur, ejus lucubrationes, 448.

Portus

Portus Regius, ejus Hiſtoria, inde Arnaldiſtæ ejiciuntur, 357. Moniales ab Abbate San-Cyrano depravantur, 359.
Poſonienſia comitia, 200. ibidem Lutherani cum Catholicis altercantur circa Religionis capita, 201,
Puritani in Anglia Reginam vexant, 115. ſeditionem concitant, 185. adverſus Regem conjurant, 187. huic conjurationis fœderi ſubſcribunt, 189. contra Regis edictum conventus agunt, 193. petulanter quædam poſtulant, 193. nova erigunt tribunalia, 194. Regi ſuo fidem ejurant, 252. iniqua a Rege petunt, 252. oblatas reconciliationis vias reſpuunt, 354. proprio arbitrio comitia agunt, 257. totum Regimen Eccleſiaſticum invertunt, 262. bellum adverſus Regem parant, 327. Regi ſuo iniquas præſcribunt conditiones, 329. Edini comitia in Regis contumeliam habent, 331. novas querelas contra Regem deferunt, 496. Stafordiæ Comitem in Regis odium trucidant, 500. Catholicos dire vexant, 503. ſuam immunitatem & rebellionem apud reliquos Calviniſtas excuſare nituntur, 508. Prædicantes populum contra Angliæ Regem concitant, 647. 649. Regem omni injuria afficiunt, 724. Scotiam ſeu verius Calvinianam Liturgiam in contemptum Regis invehunt, 728. oblatam a Rege pacem reſpuunt, 730. Regiæ familiæ omnes reditus intercipiunt, 730. vid. *Angli*, *Scoti*.

Q.

Quercitanus seu Andreas du Chene, ejus opera & obitus, 446.

R.

Rabordous Michael Jesuita librum, cui titulus: *Optatus Gallus* refellit, 382. ejus confutatio proscribitur, 383.
Raetz Balthasar Ord. Red. Captivorum, ejus obitus & opera, 289.
Raggius Octavianus Romana Purpura ab Urbano VIII. decoratur, 599. ejus mors, & eloginm, 737.
Ragotsius Transylvaniæ Princeps Bethlenios divexat, 96. bellum in Cæsarem parat, 234. a falso Propheta contra Cæsarem incitatur, 240. eidem bellum infert, 700.
Rasenius Joannes, ejus scripta & obitus, 296.
Ratisbonensia Imperii comitia, 375. infaustus illorum successus, 378. a Suecis interturbantur, 452, acta & illorum successus, 488.
Reihingius Jacobus Jesuita, ejus Apostasia, fata, & obitus, 7.
Reitanus Joannes ejus lucubrationes, & decessus, 447.
Ricciulus Antonius Episcopus Cosentinus moritur, quædam scripta relinquit, 681.
Richelius Armandus Cardinalis Galliarum Regi bellum contra Cæsarem suadet, 11. Gallicam Academiam promovet, 49. Hispanos in Belgio infestat, 152. in Papam excandescit, 319. in ejus vitam quidam Proceres conspirant, 623. conjurationem detegit, 624. de hostibus suis triumphat, 625.

625. moritur, 627. ejus Teſtamentum Chriſtianum, 631. & Politicum, 636.
Robertus Claudius, ejus lucubrationes, & obitus, 207.
Robertus Palatinus Princeps in prælio captus Viennam abducitur, 226.
Ræſlius Petrus S J. ejus mors & opera, 682.
Rohanæus Dux moritur, 298.
Ropacciolus Franciſcus Angelus Romana Purpura ab Urbano Pontifice decoratur, 739.
Rondinus Paulus Æmilius, ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiatur, 739.
Roſenkrantzius Oligerius, quænam ſcripſerit, & quando mortuus fuerit? 685.
Roſſetus Carolus Papæ Nuntius in Angliam venit, male habitus ab Anglis, 331. Angli contra illum inſurgunt, 497. ſæpius morti deſtinant, 507. ex Anglia aufugere compellunt, 508. varia accuſationum capita contra eum a rebellibus proferuntur, 654. ab Urbano VIII. Papa Purpuratorum Collegio adſcribitur, 738.
Ryckel Joſephus, ejus ſcripta & obitus, 681.

S.

Sabaudia, ob Ducatus tutelam bellum ibidem exoritur, 315.
Salkeldus Joannes, moritur, quænam ſcripſerit, 367.
Samſon Hermanus, quænam ediderit, 686.
Sanctacrucii Antonii Cardinalis obitus, & elogium, 597.
Sanctorius Paulus Urbini Archiepiſcopus, ejus ſcripta & obitus, 64.

San-Cyranus Abbas, an auctor fuerit verſionis tractatus *de Virginitate*, 281. in ejus doctrinam inquiritur, 336. capitur, 336. fruſtra pro eo quidam deprecantur, 361. librum ſub nomine Petri Aurelii edit, ſummo applauſu exceptum, 590. a Pariſino Archiepiſcopo ejusdem liber *de Theologia familiari*, damnatur, 711. ejus epiſtolæ eduntur, 712. moritur, 743. ejus opera, 746.

Santiago Ferdinandus, ejus obitus, & lucubrationes, 368.

Scalia Deſiderius Cardinalis, ejus geſta & obitus, 354.

Schaffgotſius Joannes capite plectitur, 37.

Schah-Soffi Perſarum Rex moritur, 437.

Schadius Elias moritur, quosnam libros ediderit? 610.

Scheretzius Sigismundus moritur, ejus ſcripta, 366.

Schmart Petrus, quænam ediderit, 686.

Schreiter Joannes, ejus libri & obitus, 296.

Scotorum oppoſitio contra novam Liturgiam, 118. 124. 186. ſeditionem concitant, 187. in Epiſcopos & Magiſtratus inſurgunt, 188. Regis mentem nequiter interpretantur, 191. Gallos contra Regem evocant, 412. Anglos etiam ad rebellionis ſocietatem vocant, 417. Regem de favore in Catholicos accuſant, 418. Regis exercitum profligant, 419. iniqua a Rege petunt, 421. ad convocandum Parlamentum eum compellunt, 422. Liturgiam

giam rejiciendi rationes exponunt, 523. ab Anglis contra Regem in Angliam evocantur, 727. vid. *Angli*, *Puritani*.

Seguenotus Claudius, ipſius notæ in tractatum de Virginitate damnantur, 281. an illius fuerit Author? 746.

Serrano Joannes, ejus opera & obitus, 206.

Sileſia a Torſtenſonio Suecorum Duce devaſtatur, 616.

Soria Melchior, moritur, quænam ediderit, 751.

Sorria Lucas, ejus ſcripta & deceſſus, 608.

Spondanus Henricus a Calvini ſecta ad veram fidem revertitur, 747. moritur, ejus opera, 748.

Stadian Joannes ſupremus Teutonici Ordinis Magiſter moritur, 601.

Steubergus Joannes, ejus lucubrationes, & obitus, 754.

Stafordiæ Comes Hiberniæ Pro-Rex ab Anglis rebellibus capitur, 426. morti adjudicatur, 499. trucidatur, 502.

Stravius Bruxellenſis Nuntius Papæ, contra Janſeniani Auguſtini editionem reclamat, 577.

Sueciæ Regina cum Gallis fœdus pangit, 13. 455. Sueci in Pomeraniam repelluntur, 145. Bernaviæ crudeliter in incolas deſæviunt, 213. in Marchia Brandeburgica varias urbes expugnant, 311. vario Marte pugnant, 341. a Cæſareis profligantur, 453. Cæſareos fundunt, 611.

T.

Theodulus Marius, ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiatur, 379.
Tholosa Antonius Ord. Melitensis Magister moritur, 114.
Thorres Cosmus Cardinalis, ejus obitus, & vita, 643.
Thorasius Franciæ Mareschallus, ejus mors & elogium, 114.
Thorras Facundus, Benedictinus, moritur, ejus lucubrationes, 447.
Thuanus Franciscus ob conjurationem capite plectitur, 623.
Tirinus Jacobus S. J. ejus scripta & mors, 129.
Torstensonius Silesiam & Moraviam occupat, 616. Cæsareos profligat, 617. 618. sæpius ab iisdem cæditur, 693.
Trevirensis tumultus inter Clerum & populum, 157.
Turrianus Ludovicus S. J. ejus opera & obitus, 66.

U. V.

Vagnonius Alphonsus S. J. ejus lucubrationes, & decessus, 447.
Vair du Petrus Vincensis Episcopus, ejus obitus & scripta, 297.
Valdiviva Ludovicus Jesuita, quænam ediderit, & decesserit, 683.
Valachi a Cæsare deficiunt, 700.
Valeta Ludovicus Cardinalis in Alsatiam irrumpit, 84. 93. moritur in castris, 356. de eo in Collegio preces non funduntur, 356.
Vallensis Andreas ejus opera & mors, 129.

Vallenzuella Salmanticenſis Epiſcopus, ejus ſcripta & deceſſus, 751.
Vaſconcellus Luſitaniæ Pro-Rex a Luſitanis trucidatur, 407.
Ubaldinus Robertus Cardinalis, moritur, ejus elogium, 59.
Vega Fabricianus Mexicanus Archipræſul, ejus opera & obitus, 447.
Veneti varias contentiones cum Papa habent, 45. Piratas profligant, 237. propterea Turcarum Imperatoris indignationem in ſe concitant, 238. componitur hoc diſſidium, 239.
Vergerius vid. *San-Cyranus*.
Veroſpius Fabritius Cardinalis, ejus obitus, 351.
Veroſpius Hieronymus Cardinalium Collegio adſcribitur, 600.
Victor Amadæus Sabaudiæ Dux moritur, 205.
Villalobus Henricus, ejus lucubrationes & obit. 206.
Vinarienſis Dux Bernardus Burgundiam depopulatur, 151. Cæſareos profligat, 215. in Burgundiam effunditur, 302. fruſtra Briſiaccum ſibi contra Gallos vendicare nititur, 304. moritur, 304. Vinarienſes Sueci Cæſareos fundunt, 610. ab iisdem funduntur. 694.
Vincentius S. a Paulo, ejus teſtimonium contra Abbatem San-Cyranum, 330. Arnaldi librum de frequenti communione inſectatur, 716.
Urbanus VIII. Papa Franciæ Regem a bello in Cæſarem movendo, dehortari rogatur, 12. varias a Venetis moleſtias patitur, 45. inſcriptionem Venetis glorioſam delet, 47. mota exin contentio componitur, 48. in ejus vitam inſidiæ ſtruuntur, 58. pacem conciliare nititur, 75. 92. Ferdinandi III. electionem approbat, 102. varias edit Conſtitutiones, 203. 279. a Cæſare opem ferre rogatur, 312. pacem inter Sabaudos reddere conatur, 315. varias moleſtias a Gallis, Hiſpanis & Venetis ſubit, 316. pro Valeta tanquam Cardinale preces fundi non patitur, 357. ad pacem hortatur, 376. varias edit Conſtitutiones, 430. interminata anathematis pœna Carolum Lotharingiæ Ducem jubet, ut ad priſtinam conjugem revertatur, 465. 471. ad bellum

lum Parmenſi Duci inferendum a ſuis Nepotibus inducitur, 571. pacem acceptat, 575. Janſenii Auguſtinum typis edi prohibet, 577. hujus libri lectionem prohibet, 578. Conſtitutionem, quæ incipit: *In eminenti*, contra hunc librum, & ultro citroque ſcripta promulgat, 578. hæc Bulla impugnatur, 589. quasdam Conſtitutiones promulgat, 601. 674. quosdam dies feſtos abrogat, 675. Lovanienſium querelas contra Bullam diſcuti jubet, 705. varias edit Conſtitutiones, 740.

Urſinus Virginius ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiatur, 601.

W.

Wallæus Theodorus, ejus opera & obitus, 65.
Wentworthus Thomas, vide, *Stafordiæ Comes.*
Wardus Samuel, moritur, quænam ſcripta poſteris reliquerit? 754.
Werth Joannes Gallos fundit, 84. Sueco-Gallos profligat, 149. a Suecis capitur, 216. Pariſios abducitur, 218. 221. victor & victus, 613. Vinarienſes cædit, 697.
Weſtphalus Albertus, moritur, quænam ſcripſerit, 366.
Wezyckius Joannes Gneſnenſis Archiepiſcopus moritur, 298.
Wigerus Joannes, ejus obitus & opera, 364.
Willius Joachimus, moritur, quænam ediderit, 609.
Wolfartus Abbas Cremifanenſis moritur, 369.

Z.

Zachia Laudivius Cardinalis, ejus obitus, 199.
Zamoyskius Poloniæ Cancellarius moritur, 297.
Zamaldi Michael Dominicanus, quando deceſſerit, & quænam ſcripſerit? 683.
Zapata Antonius Cardinalis moritur, ejus elogium, 264.
Zœmanus Georgius Præco, ejus opera & obitus, 263.

ERRATA, *ſic corrige.*

Pag. 46.	Cardinalibus	Cardinales.
74	Macenatum	Mæcenatum
79	captoque	captaque
82	Divinæ	Divino
99	gerere	gereret
140	facto	facta
246	Auguſtiſſimum	Auguſtiſſimam,
306	accidente	accedente
410	tradito	tradita
437	continuos	continuas
570	ditaſſent	ditaſſet
571	munitam	munitum

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA.
TOM. LIX. LX.

Th 59-60
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN